UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Visual Library

Th. 2585.

J. X
24

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

OPVS
DE IVDICIIS DIVINIS, QVAE DEVS IN HOC MVNDO EXERCET.


Conscriptum & diuisum in quatuor Tomos

A

GEORGIO STENGELIO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.

Collegij Soc. IESV Paderborn

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus.



Omnia iudicia eius, in conspectu meo. Psal. 17. 23.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Permissu Superiorum.
INGOLSTADII, Apud GEORGIVM HÆNLIN.
ANNO M. DC. LI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

OPVS

DE IVDICIIS DIVINIS, QVAE DEVS IN HOC MVNDO EXERCET.

Complectens & disputans in quatuor Tomos

A

GEORGIO STENGELIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

INGOLSTADII, Apud GEORGIVM KRENLIN.

ANNO M. DC. LX.

INVICTISSIMO ET AVGVSTISSIMO
CÆSARI

FERDINANDO III.

ROMANORVM IMPERATORI
GERMANIAE, HVNGARIAE,
BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ,
SCLAVONIÆ REGI, &c.
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,
CARNIOLÆ, WIRTENBERGÆ, &c.
MARCHIONI MORAVIÆ, LVSATIÆ,
COMITI HABSPURGI, TYROLIS, ET
GORITIÆ, &c.

SI quod est argumentum verè regium, *FERDINANDE CAESAR AVGVSTE*; illud est Diuina Prouidentia: quâ *DEVS* omnia gubernans, præsentia moderatur, euoluit futura. Hæc est ille Mundi oculus, qui nullo glaucomate laborat; qui nunquam sese patitur sopiri. Hæc est illa manus, quæ omnia molitur, impellit, perficit. Summa, infima, quidquid habent, Prouidentiæ debent exasse. Ista humiles pressit Codri casas; eduxit alta regum palatia. Ista plebeias tegit petaso ceruices; diademate condecorat regales. Ista militem

litem romphæâ, satellites sariſsâ, colonos munit ligonibus: Regum dexteras implet sceptris, nitidat Gratijs, Cornúq; copiæ circũmvallat. Quando ludos Diuina Sapientia dare decrevit in orbe terrarũ; ibi tum Prouidentia scenã parat, struit orcheſtram, tendit siparium. Roſcios euocat ordine, non fato, non dignitate singulos. Hîc hæret mendicus principi; trudit olitor consularem; lixa præuertit imperatorem. Tempus nascendi, ac rursus denascendi, modum imperat vnicuique; non litui, non fasces, non opes. Splendet purpura, dum Phœbus lucet: sub vitæ occasum, cataſtrophe fabulæ luditur. Et optimus is est chorago, non qui summas personas gessit; sed qui suam egit ex vsu. Sæpe tunc lacernis cedit, quod perdiderunt trabeæ; quod laticlauia neglexerunt. Laus & plausus manet postremũ, si bene; summos sibilus & cataſtæ, qui noxiè vitam egerunt. Ad diuerbia quoq; deflectitur nonnunquã: & videbis ab aratro vocatos ad imperia; ex aulis alios detrudi ad caulas. Vbi nemo Diuinæ Prouidentiæ diẽdicat, quasi non justè, non sapienter hæc talia factitaret: summâ ratione, consilijs perquisitiſſimis omnia siue ruunt, siue surgunt. Nos homunciones, quibus conceſſum non est inspicere diphterã Iouis, nos putamus alios casu prolabi, nonnullos fortuitò tolli:

Fortunæ

Fortunæ perinde, vt Pilæ ludum, hos in terrã affligere; illos humo erigere: sursum, deorsum, in omne latus impelli, vt casus tulerit, aut voluptas. Secus autẽ res se habent; nulla his iudicijs Fortuna intercedit, nullus prouoluit casus, nullum fatum interturbat: omnia suis librata momentis æquæ apponuntur lanci; non temere deprimendæ, non fortuitò subleuandæ: Trutina quibusdã seuerior, alijs mitior obtigit, omnibus tamen justissima: quam si quis mortalium vnquam temperare didicit, ij fuerunt Archiduces *Avstriaci*, quos Pietas genuit, Clementia fouit, Iustitia tot regnis præfecit.

Quà mare, quà terra, quà sidus currit vtrumque, Austriacos Principes, vel Reges, aut Imperatores adorat. Germaniæ pars melior, potior Italiæ, vniuersæ Hispaniæ, vtraq; India, summâ Dei largitoris benignitate his accesserunt. Tot Prouincijs Rudolphum glorioſissimæ Gentis Austriacorũ conditorẽ in posteris suis imposuit *Deus*, qui *Se* sub paruo panis orbiculo latitantẽ imposuit quondam equo. Quid Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ regna potentissima? quid Neapolitanum & Siciliæ memorẽ? quid vrbibus opulentissimis consitũ Belgium? quid ea, quæ situ remotiora, quæque vix nominibus suis pleræq; hominũ parti nota sunt, referã? istud quàm

inauditæ felicitatis argumentum est, tertium decimum ex hac gente fortunatissima nunc Imperatorem numerari! Hîc, hîc admirari libeat diuinæ Prouidentiæ mitissimas Etesias. Non temere tot exierunt vrnâ Cæsares: nihil hîc sibi vendicent Parcę, ah! nimium quantum parcæ, seu vitæ, seu honorum duxerint fila: tam auspicatum ac diuturnum Imperium, nisi diuinâ protraheretur manu, dudum hæc omnia decora fuissent, non essent ampliùs. Iam, si memoriâ repetantur æmulationes, bella, pericula, quibus euersa, ac pessumdata domus inclyta *AVSTRIACORVM* procumberet, si hostium vim non eluisset Dei cõsilium; quid primùm admirabimur? depulsas diuinitus malorum tempestates; an in procuratissimis ruinis, Augustæ gentis inopinabile incremẽtum? quod perpetuum, faustissimúmq; porrò precantur omnes boni, neq; augurãtur ex vano prudentes. Quid enim portendere potest sinistri, illa *CAESAREAE VESTRAE MAIESTATIS* Libra, cuius lances sacratæ sunt *Iustitiæ*; momentum omne agitur *Pietate*? vt Inscriptio loquitur, Picturáq; symboli demonstrat. Christus ibi è Cruce pendens, *FERDINANDI* Oculos ad se, atque animum rapit: quò fit, vt nihil desperandum sit à tam pio *CAESARE*, nihil non apprecandum à nobis tam

justo *Imperatori*. Hisce modis parata, ac reparata regna Austriacorum, vt apud eosdem perennent, precatur modò è cælo Georgius Stengelius, Societatis nostrę Theologus, *Maiestati Vestrae* quondam ab ore & calamo notus, ante trimestre hinc euocatus ad supremi tribunal Prætoris. Quatuor ille Tomos *De Iudicijs Diuinis*, quæ in hoc mundo exercet Deus, à se conscriptos, & absolutos typis antè, quàm de vita decessit, dum *Maiesti Vestrae* molitur inscribere, dum tempus aucupatur opportunum, tempus vitę elabitur auctori; abit ad judicium, quod singulis datur semel. Quod igitur mors ipsi intercepit officiū, illud nos vt occupemus, par est; qui voluntatis vltimæ tam obsequiosæ vt simus executores, multa nos mouent, & impellunt, tum *Vestrae Maiestatis*, tum glorioſissimi D. Parentis collata in hoc Collegium beneficia: quorum gratam memoriam nulla patietur ætas nobis excidere. DEVS Augustissimam hanc Familiam nobis, Imperio, Ecclesiæ suæ diutissimè conseruet. Ingolstadij XXXI. Iulij, ipsâ S. P. N. Ignatij anniuersariâ panegyri, M. DC. LI.

SACRÆ CÆSAR: MAIEST: VESTRÆ

Deuotissimum Societatis Iesv Collegium
Ingolstadiense.

FACVLTAS R. P. Prouincialis.

Libros de Diuinorum Iudiciorum, ac præcipuè, quibus hunc mundum regit DEVS, varietate, justitia & æquitate inscriptos, & scriptos à piæ mem. P. GEORGIO STENGELIO Theologo Societatis IESV, tres eiusdem Societatis nostræ Theologi legerunt, censuerunt, & ad pietatem hominum animis inserendam, aut altiùs infigendam typis publicis vtiliter edi posse judicârunt. Quamobrem Ego CHRISTOPHORVS SCHORRER Societatis IESV per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, factâ mihi potestate ab Admodum R. P. N. Præposito Generali FRANCISCO PICCOLOMINEO, eundem de diuinis judicijs tractatum prælo subijci, & bono publico in publicam lucem euulgari permitto. Hoc meâ manu, & consueto officij Sigillo testor. Augustæ Vindel. 8. Iunij Anno 1651.

CHRISTOPHORVS SCHORRER.

IN

IN OMNES DE IVDICIIS DEI, QVÆ IN HOC MVNDO EXERCET, TRACTATIONES.

PROOEMIVM.

§. I.

MVNDVM A DEO ESSE, ET REGI, QVOD athei & impij insipienter negant.

Sibilis & cachinnis jam dudum explosa est eorum Philosophorum amentia, qui Mundum vel ex atomis temerè confluxisse, cum Epicuro, vel cum Empedocle, insita elementorum vi, sponte enatum, vel certè sine Numine, aut Numinis arte & cura, ortum conseruatumq; crediderunt. Sapienter Plato Mundi opificium Deo tribuit; sed in eo errore hæsit, vt materiam existimaret non esse a Deo effectam. Rectissimè, qui è diuinis libris sapere didicerunt, profitentur, Deum esse totius Mundi architectum. Qui Mundus, quòd esse cœpit, & aliquid est, *ait S. Iustinus Philosophus & Martyr*, & mirè durat, voluntas eius in caussa est. Aut enim sine corruptione permanent Mundi partes, sicuti cælum & cælestia (ad tempus tamen suum) & quæ sub visum non cadunt virtutes: aut per generationem & corruptionem perdurant, vt quæ in terris sunt animantes & plantæ. Et sicuti, quod conditum est, non extaret, nisi ille præcepisset: *Fiat*: ita etiam non permaneret, nisi idem ille præceptum posuisset, incorruptibilibus quidem, vt constarent in sæculum sæculi: eis verò, quæ in generatione & corruptione consistunt, vt crescerent, & multiplicarentur

S. Iustin. ad Paul. Presbyter. in euers. quorumd. dogmat. Aristot.

rentur, & replerent terram. *Eiusdem ergo est conseruare Mundum, cuius condidisse; sine cuius nutu, vt nulla Vniuersi pars cœpit existere, ita nulla quoque potest consistere; nulla gubernari. Quod quidem omnes credunt, qui rectè credunt. Neque id tantùm docet doctrina à Deo reuelata; sed suadet etiam ipsa ratio, & jurat totius cursus, ordo, & symmetria Vniuersi: quin etiam illiipsi, qui negauerunt, optauerunt. Siquidem vel Euripides scripsit, melius actum iri cum rebus humanis, si diuina essent, aut esse putarentur. Existimauit enim mortales longè fore meliores, si Numinis alicuius maiestatem verererentur. At sunt profectò res diuinæ; neque opus est, famam fingere diuinitatis ad terrorem sceleratorum.*

Psal. 13. 1. *Sed sunt etiam hoc tempore, qui id non credunt:* Dixit enim impius, in corde suo: Non est Deus. *Neque parvus est istorum numerus. Tametsi enim multi horrent* athei *appellari, sunt tamen* athei *plurimi re, si non professione, qui licet Deum esse aliquem dicant; tamen vt iniquum, aut humani generis negligentem identidem accusant: dum illis quidquid in Mundo impatientiæ ansa est, caussa est & blasphemiarum. Parum autem interest, siue Deum penitus neges, siue putes esse iniquum, aut non omnia perspicuè videntem, sapienter prouidentem, justeq; & rectè disponentem. Negat enim Deum, quisquis negat esse bonum, justum, sapientem, omnipotentem. Qui autem negat Deum, quid est, quod timeat post mortem? Hinc impius se ad omne facinus audendum animans ait:*

Psal. 9. 13. Oblitus est Deus: auertit faciem suam, ne videat in finem. *Et vel ob hoc iram meretur:* Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret. *Cur id dixit? audi impium, apud quem, Momus, in concilio Deorum, Epicurum prouidentiam diuinam negantem ita defendit.* Et lanè, per æquitatem, indignum facinus est, eam ob rem irasci Epicuro, aut eius assecl is eiusque disci-

Lucian. in Ioue Tragœdo.

plinæ ſucceſſoribus, ſi talia de nobis ſuſpicati ſunt. Quam enim æquam opinionem de nobis illis habendam eſſe, contendat quiſpiam, quando tantam omnium rerum perturbationem, in vita videant? Bonos quidem ex illis, vt quiſq; agit vitam maximè inculpatam, potiſſimùm negligi, paupertate, morbis, ac iugo ſeruili indigniſſimè afflictos opprimi: ceterùm homines facinoroſos, nefarijs ſceleribus contaminatiſſimos, honore & dignitate priores eſſe, diuitijs extructiſſimis affluere, melioribus imperitare? Quin etiam ſacrilegos, nullis ſupplicijs mulctari, verùm, conceſſa impunitate, tutò latere: in crucem verò ſubigi, ac varijs modis pulſari eos, qui nihil mali ſunt commeriti, per iniuſtitiam delinquentes? Hæc itaque cùm videant, jure optimo talem de nobis opinionem obtinent, nihil prorſus nos eſſe. *Hæc, apud vanos Deos, fictus Deus, non tam contra falſa Numina & nomina (quæ* nihil prorſus ſunt) *quàm, loco & vice impiorum, contra ipſam veri Dei diuinam prouidentiam perorat; neque jam* in corde ſuo, *ſed in curia & concilio Deorum ait:* Non eſt Deus. Pſal. 13. 1.

Idem alij quoque non veriti ſunt dicere, vel certè illud: Oblitus eſt Deus; auertit faciem ſuam, ne videat in finem. *Siquidem Lothardi, Lothardo Walthero duce (à quo ipſis nomen) docere auſi ſunt:* Fugere diuinos oculos, aut minimum vltrices manus, ea ſcelera, quæ ſub terra perpetrantur. Qua de cauſſa exercebant impudicitias ſuas ſubterraneis in locis. Adeò vt, cùm ex puella quadam flammis addicta, Gisla nomine, quæreretur, inter ipſos ignes, virgoné eſſet, illa reſponderet: *Super terram Virgo ſum, non ſub terra.* Horrenda ſanè blaſphemia, vt quæ ipſam Dei ſapientiam & juſtitiam petit. *Quæ vtinam intra hæreticos ſteriſſet! Pulſat nonnumquam etiam corda Catholicorum,* Pſal. 9. 13. Vide Prateolum. V. Lothard. Sander. h. 163. Genebrard. in Clemente V. & Ioanne XXII. Iacobi Gault. ad An. 1400 ſec. 14.

licorum in vitia, atque ex vitijs, in vitiorum vltimum desperationem declinantium; qui, cùm vellent vindice carere, optant non esse, quem timent; &, quia optant, prona fit eorum credulitas, vt facilè putent esse verum, quod verum esse vellent. Quamuis igitur palam athei non sunt, stant tamen in præcipiti; &, si non professione, saltem cogitatione atheizant:

Ioan. 1. 10. *vt de his quoque dici possit:* Et Mundus per illum factus est, & Mundus eum non cognouit.

§. II.

SAPIENTES MVNDI AVTHOREM ET GVBERnatorem vtiliter & indagasse, & agnouisse.

Longè aliter cautiùs circa hunc scopulum Propheta na-

Ierem. 12. 1. *uigauit, cùm dixit:* Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: Verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. *Hoc dignum est quæstione argumentum, hæc iusta consideratio; vt justitia Dei non in dubium, aut ad humanum tribunal vocetur, sed vt laudem gloriamq;, &, quod vbique meretur, præconium reportet.*

Psal. 70. 16. *Tali mente dixit alter Prophetes:* Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à juventute mea, & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Et vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me. Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est. Potentiam tuam & justitiam tuam Deus, vsque in altissima, quæ fecisti magnalia. Deus quis similis tibi? *Et iterum:* Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus, non intelliget hæc.

Psal. 91. 6.

Cur

Cur? Quia isti euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. *Æstimarunt, quod amarunt; amarunt vana, ideò euanuerunt.* Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia *DEI*, & justitia *eius* in terra obliuionis? *Videri volebant sapientes & fatui euaserunt. Procul enim abest vera sapientia à temeraria curiositate. Vitra citiùs lucent, quàm calent; metalla priùs calent, quàm lucent, nec antè lucent, quàm candent. Ita stultus quisq; antè vult de Deo pronuntiare, quàm Deum amare. Qui autem verè sapit, priùs vult amore diuino calescere, & exardescere, quàm de eo disputare. Ideò illi tamquam vitrei curiositate franguntur; isti accenduntur charitate. Aristotelem Euripus, Plinium Vesuuius hausit; illum aqua, istum flamma. Quid mirum est, hos diuinæ maiestatis scrutatores à gloria oppressos, si in ignorantia elementorum perierunt? Qui verò rectè sapit Deumq; amat, facilè de Deo sentit in bonitate. Quare nihil videt fieri in mundo, cuius non aliquam possit inuenire rationem, ob quam Deum amet; etsi nihil fiat, cuius omnis ratio reddi queat. Est enim Dei sapientia infinita. Sic Isaias ait:* In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te. *Et iterum:* Cùm feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. *Non discent autem, nisi qui rectè de summis principijs ratiocinantur,* quia, *vt Tertullianus ait,* Deus omnium Conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit, nihil non ratione tractari intelligiq; voluit. *Si quid occurrat, cuius nulla prorsus ratio occurrat, cogitemus, humana multa esse, & in naturis rerum, quæ non solùm nescimus quo modo, sed etiam cur fiant; cur speremus nos in hac vita penetraturos diuinitatis abyssum? Saltem vniuersim cum S. Paulino dicere possumus:* Si à Deo omnia, & Deus bonus est; omnia profectò quæ fecit Deus, bona. Si qua autem sunt in-

Rom. 1, 21.

Psal 87. 13.

Tertull. lib. de pœnit. c. 1.

S. Paulin. ep. 38.

arcanis statutorum eius altiora sensibus & cogitationibus nostris, etiamsi rationem eorum consequi & colligere non possumus, tutius tamen nobis est, magis occultas esse rationes, quàm nullas credere: quia non ambigendum, omnia Dei, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta. *Ad fidei meritum prodest, quædam nescire: nec admirandus esset Deus, si omnia caperemus. Maiestatem illius commendat ignorantia nostra; quamquam & scientia diuinorum timorem amoremq; Domini gignat.*

Aristeas ad fratrem Philocratem.

Memorat Aristeus, à rege Ptolomæo, Indum aliquando, è septuaginta duobus Sacræ Scripturæ interpretibus vnum, interrogatum: Quid Principi optimum in vita esse existimaret? *Cui Indus respondérit:* Si cognoscas, quoniam Deus mortalibus dominatur. *A quo dicto, non abludit illa*

Ioan. 17. 3. *Seruatoris sententia:* Hæc est vita æterna: Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. *Quisquis hanc cognitionem adeptus est, veram sapientiam adeptus est, quæ illum in prosperis continentem, patientem in aduersis; in arduis fortem efficit, Deumq; non solùm terribilem, sed etiam, in rebus omnibus, amabilem & laudabilem esse ostendit. Dominatur enim, cum summa iustitia, non*

Sap. 8. 1. *sine summa bonitate,* attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. *Quod nosse, est primum*

Epictet. in Enchirid. *virtutis auspicium, etiam Epicteto teste, qui fundamenti loco posuit:* bene de Deo sentire. *Quod etiam in diuinis*

Sap. 1. 1. *monemur, vbi illud legimus,* Sentite de Domino in bonitate. *Hoc est viam ingredi immortalitatis, quam, per omnem vitam, Philosophi apud Græcos; Druides apud Gallos; Gymnosophistæ apud Æthiopes; apud Persas, Babylonios, Indos, Magi*

Psal. 106. 4. *& Brachmanes quæsiuerunt; sed* errauerunt in solitudine, in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.

Boët. 4. de consolat. prosa. 6. *Vnde Boëtius scribit,* rem hanc esse omnium quæsitu maximam.

Est

Est autem coniuncta cum dominatione gubernatio, *quæ rem à Deo, certum ob finem, creatam, ad eumdem finem dirigit, & ad hoc media procurat æternâ prouidentiâ constituta. Res porrò creatæ aliæ merè Physicæ sunt ac naturales; aliæ ratione etiam & libertate præditæ, idcirco Deus illas ita gubernat, vt causſa Physica earum vim naturalem conseruans, & consentaneo, ad earum connaturales operationes, concursu semper instruens, nisi si subinde, per altiorem prouidentiam, aliud decernat, earumq; actiones vel immutet, vel suspendat. Res rationis capaces gubernat, vt causſa etiam moralis, hortando, consulendo, alliciendo, præcipiendo, comminando, terrendo. Hæc qui intelligit, intelligit Deum secum loquentem; hoc est, cognoscit* Deum mortalibus dominantem, *seq; manu duci dirigiq; sinit, per spes, per metus, per varios casus, per mille rerum discrimina,* per gloriam & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam, *ad finem æternæ felicitatis. An non igitur rectè Indus Ptolomæo respondit,* Principi optimum in vita esse, Si cognoscat, quoniam Deus mortalibus dominatur?

1. Cor. 6. 2.

B. Angela de Fulginio, orasse se aliquando, scribit, vt Deus ipsi patefaceret, cur mundum passus sit, à se conditum, in tot mala prolabi, vt & homines peccarent, & morte Filij Dei redimendi essent, & alia insuper acerba multa deberent sustinere? Cui indicatum est, diuinæ sapientiæ, bonitatis, atq; iustitiæ immensitatem, hac ratione mortalibus clariùs innotescere. Sed & in raptu mentis extra se posita, tantam intuita est, in rebus humanis omnibus, diuinæ justitiæ bonitatem & æquitatem; vt, ex ea hora, protestaretur, ita se quietam, securam atque animo contentam esse factam, vt, etsi sua æternæ damnationis certa esset, tamen, ea causſa, conqueri non posset; sed æquè laboratura, oratura, atque Deum veneratura foret, ac si id nesciret. Vsq; adeò enim, aiebat, se perspicuè euidenterq; diuinorum iudiciorum

In vera via ad vitam æternã cap. 24. Interprete M. Ioan. Paulo Curtzio.

diciorum justitiam æquitatemq; cognouisse, vt in mente, cum ea notitia, sibi Numinis benignitas constantissimam reliquerit tranquillitatem, voluntatemq;, cum omnipotentia, justitia, bonitate ac voluntate diuina se conformandi. Ita perinde illi fuit, inter mala & aduersa, atq; inter bona & prospera viuere, cùm omnia ex judicijs diuinis iustissimis orirentur, quæ semper esse veneranda agnouit. Immò vsque adeò diuinam vbique bonitatem penetrauit, vt Deum æquè perfectum in damnatis, atq; in beatis videret, amaret, prædicaret. Ex qua Numinis & diuinorum judiciorum cognitione, profundissimisq; mysterijs animam aiebat magnum fructum & emolumentum adipisci. Sensit igitur & Angela hæc, non solùm Principi, verùm etiam omni homini optimum in vita esse, si cognoscat, quoniam Deus mortalibus, *sapientissimè, potentissimè, æquissimè, benignissimè* dominatur.

Sed quàm maximè expertus est Dauid, quid possit hæc per misericordiam & justitiam diuina dominatio, quam in toto mundo, omnibusq; operibus Dei considerans dixit: Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: justitia & pax oscu- Psal. 84. 12.
latæ sunt; *itemq;.* Vniuersæ viæ Domini misericordia & Psal. 24. 18.
veritas. *Si quidem misericordiæ vocabulo cuiuscumque defectus remotio intelligatur. Etenim non quiuis defectus, sed rationalis dumtaxat naturæ, quam contingit esse felicem, propriè miseria potest appellari. Quòd si igitur misericordiam pro cuiuscumque defectus remotione paulò latiùs accipiamus, necessariò fatendum est, in quolibet Dei opere misericordiam, & veritatem, hoc est, justitiam inueniri. Quod ita ostendit D. Thomas de Aquino.* Quia cùm debitum, quod ex diuina 3 Thom. 1 p. q. 21. a. 4. c.
justitia redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ: neutrum potest in alquo opere Dei prætermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conueniens sapientiæ, & bonitati ipsius; secun-

dum

dùm quem modum diximus, aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quidquid in rebus creatis facit, secundùm conuenientem ordinem & proportionem facit; in quo consistit ratio iustitiæ. Et sic oportet in omni opere Dei esse iustitiam. Opus autem diuinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur. Creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens, vel præconsideratum. Et rursus si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius. Et cùm hoc sit procedere in infinitum, oportet deuenire ad aliquid, quod ex sola bonitate diuinæ bonitatis dependet, quæ est vltimus finis. Vtpote si dicamus, quòd habere manus, debitum est homini propter animam rationalem: animam verò rationalem habere, ad hoc, quòd sit homo; hominem verò esse, propter diuinam bonitatem. Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius. *Quin* etiam ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largiùs dispensat, quàm exigat proportio rei. Minus enim est, quod sufficeret ad conseruandum ordinem justitiæ, quàm quod diuina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit.

Hæc S. Thomas, cum quo etiam alij Theologi docent, vsq; adeò inter se coniungi diuinam justitiam ac misericordiam, vt vtramque tam in hac, quàm in altera vita non solùm in bonis, sed etiam in iniustis exserat. Nam & cùm bonus gratiam largitur, ex misericordia largitur; gratia autem augmentum ijsdem ob meritum, adeoq; ex justitia confert; sicut & æternam coronam, quam vt nemo adultus sine gratia diuina consequi potest, ita neq; sine diuina justitia consequitur. Vnde eam & Apostolus coronam justitiæ *appellat. Mali autem & pœnæ digni, si in hac vita diutiùs superesse sinuntur, ideò sinuntur,* 2. Tim. 4. 8.

quia misericors Deus eorum pœnitentiam expectat: sin autem non dimidiant dies suos, ideò è vita tolluntur, ne sibi maiorem iram in diem iræ thesaurizent. Denique adeò etiam in altera vita misericordia diuina cum justitia est copulata, vt illa ipsa præmia beatorum, quæ tamquam justissima merces à Deo Sanctis conferuntur, vltra condignum; & supplicia damnatorum,

Luc. 6. 38. *citra condignum impijs conferantur. Hæc est enim* mensura bona, & conferta, & coagitata, & superefluens, *quæ datur in sinum eorum, qui præmia meruerunt. Damnatorum autem pœnæ quantacumq; sint, non tamen æquantur iniurijs, quæ Deo infinito & immenso inferuntur. Sic ergo per justitiam misericorditer, & per misericordiam iustè Deum dominari sapientes agnouerunt.*

§. III.

IN TOMI PRIMI PRIMA PARTE, A CAPITE primo vsque ad nonum quid tractetur?

S. Augustin. lib 22. contr. Faust. c. 27. *Dominationi huic adest* Lex æterna, *quæ, D. Augustino definiente,* est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari jubens, & perturbari vetans. *Vetat autem vel Physicè, vt cùm* legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; *vel moraliter per decalogum, & cuncta præcepta diuina, quæ ad forum internum pertinent. Quia igitur, ex hac Augustini descriptione, lex æterna nihil est aliud, quàm liberum Dei decretum circa creaturas gubernandas, vt etiam*

S Thom. 1. 2. q. 93 art. 1. ad 1. Soarez. lib 2 de legib. c. 3. n. 3. *S. Thomas alijq; tradunt, idcirco pendent ab hac lege non quidem creatarum rerum essentiæ, sed tamen existentiæ, & proprietates physicè; voluntates autem moraliter. Essentiæ enim rerum necessariæ sunt; quare libero Dei decreto non possunt subsistere; siquidem hominem irrationalem facere non potest diuina potentia; potest autem ei vel non dare, vel adimere existentiam; quin & risibilitatem etiam postquam cœpit existere. Sola enim prædicata essentialia nequeunt mutari. Etsi ergo lege æter-*

ge æterna, seu libero Dei decreto, ignis sursum, terra deorsum tendat; aqua liquida, lapis solidus; cera mollis, ferrum durum existat; homo rideat, equus hinniat; & hæc omnia posita lege, non contingentia, sed necessaria sint; tamen lex ipsa fuit libera Legislatori, qui harum aliarumq; rerum proprietates aliter potuit constituere. Et constituit in certis casibus aliter. Sic enim in fornace Babylonica actiuitatem caloris in igne suspendit. Nam lex æterna, eo tempore, eáque actione, igni, contra tres sanctissimos pueros, noluit dare actiuitatem, quam illi dedit contra Sodomitas, & dare solet contra alios. Atque ita lex æterna res naturales, seu necessarias, prout liberis opponuntur, imperio naturali dirigit, cui creatura nequit resistere. At moralia, infallibili quidem directione, nequaquam tamen necessitante gubernat. Quippe solam voluntatem obligat moraliter. Qua de caussa ait S. Augustinus: In sola bona voluntate secundùm legem agimus, in ceteris autem secundùm legem agimur, cùm lex ipsa immutabilis maneat. Quando itaque multis in locis D. Augustinus docet, nullam esse creaturam, quæ possit subterfugere legis æternæ imperium; sensus est, siue quis liberè, siue necessariò, siue bene siue malè operetur, semper eum correspondere decreto efficaci æternæ huius sanctionis; siquidem etiam si peccando contra legem æternam, quà obligantem ad talem actum moralem, operetur, in eamdem incidit, quà permittentem, vt talis suo arbitrio & præcipiti electione vtatur.

S. Augustin. lib. 83. qq. q. 27.

Quoniam igitur hæc omnia prouidè, iustè, piè, sapienter ab æterno liberè decreuit Deus, valde affinia inter se sunt, diuina Dei decreta, dominatio, prouidentia, gubernatio, iustaq; judicia, siue huius, siue sequentis vitæ; à quorum cognitione perfecta Dei cognitio, amor, & timor pendet; idcirco de diuinis judicijs, siue justitiæ ea sint, siue bonitatis, simúlque de prouidentia, de æternis Dei decretis, de dominatione, deq; diuina

gubernatione agimus. Pro quibus melius clariusq; cognoscendis, in prima parte, quæ à primo vsque ad nonum caput porrigitur, de Nomine, deq; diuersis generibus judiciorum, deq; eorum incomprehensibilitate, & comprehensibilitate, de scientia & justitia, deq; diuina bonitate atque modo iram cum bonitate exercendi disserimus. E quibus fundamentis tota gubernationis rerum omnium œconomia potest deduci. Vt omnia prouidentiæ opera suscipiamus *(S. Damasceni verba do)* omnia laudemus, omnia citra vllam censuram comprobemus; quamlibet ea pleriſque iniqua videantur.

S. Damascen lib. 1. orthodox. fidei. cap. 29.

§. IV.

TOMI PRIMI PARS SECVNDA, A CAPITE NOno, vsque ad vigesimum quartum, quid contineat, De Spe & Fiducia, è diuinis Iudicijs, erga Deum haurienda?

Solimanno Turcarum, cùm in conspectum suum legatos admittit, assidenti in toro adsunt, ad manum, ensis incuruus, clypeus, claua ferrea, arcus, sagittæ, *signa non minùs territi, quàm terrentis; quippe apposita ad vim vi repellendam, & ad propria vitæ defensionem perinde, atq; ad offensionem alienæ. Christum Seruatorem nostrum, ad judicandum orbem terrarum, in nubibus venturum, picturæ,* arcui cælesti, *seu iridi multicolori insidentem, atque hinc, victoriæ, præmijq; indicio, viridante palmâ amabilem; inde gladio vagina vacuo terrificum proponunt; absque clypeo; quia* jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Vnde non habet, quod paueat; neque clypeo vtitur, ad se, sed ad suos dumtaxat,* scuto bonæ voluntatis *protegendos, quando* induet, pro thorace justitiam, & accipiet, pro galea, judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem. *Lætus palmæ vtror bona præmiaq; significat, quæ vincentibus largietur, & laurigeros saluandorum triumphos. Ensis à sinistra*

Laurent. Sur. An. 1543. in comment. rer. in orbe gestar.

Rom. 6. 9.

Psal. 5. 13. Sap. 5. 20.

stra fulgurans mala portendit, quæ, in nouissimo, atque totius mundi judicio, prævaricatoribus est daturus, quando acuet duram iram in lanceam. *Et hoc quidem judicium notum est omnibus, quibus fides orthodoxa non est incognita. Neque Ethnicos omnino latuit, qui neque Tartara, neque vllos vnquam finxissent in Proserpinæ regno, Minoës, aut Rhadamanthos, aut Æacos, nisi maius quoddam tribunal, post hanc vitam, adeundum metuissent. De quo Vniuersali Iudicio, compluribus concionibus à me explicato, peculiares libros conscripsi, Deo dante, & maiorum nutu approbante, prodituros.*

Aliud judicium est quotidianum, sub quod omnia cadunt, quæ in mundo geruntur: idq; sanè geminum. Cùm enim ad Vniuersi huius supremum Gubernatorem pertineat, nihil sine judicio agere; neque tantùm hunc inuitare præmijs, illum terrere supplicijs; sed etiam alijs modis vti, ad illos in virtute exercendos; necesse est, vt idem sapientissimus ille Moderator, alijs vitæ huius bona, alijs mala existimet attribuenda. Nam quoniam multis bona, vt putant, nocent, maláque prosunt, quoniam ipsi errore mentis, bona esse censent, quæ reuera mala sunt; & mala vocant, quæ, in diuina trutina, esse optima inueniuntur; vel quia etiam vera bona bonis in præmium, malis in virtutis incitamentum; vera autem mala, malis in supplicium, bonis in exemplum cedunt, & adeò ipsa quoq; ad bonum flectuntur: idcirco quidquid mortalibus accidit, ex diuinæ iræ justitiáq;, vel misericordiæ & bonitatis judicio accidit.

Quæ duæ virtutes, cùm in Deo reipsa vnum quid sint; ita etiam in rebus à Deo immissis, aut permissis inter sese cohærent, vt, ferè, nisi sola hominis cogitatione, effectúsque parte, separari non possint. Est enim, in omnibus mundi casibus, vel justa misericordia, vel misericors justitia summi Gubernatoris. Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra judicia eius. *Qualia judicia? judicia justitiæ & misericordiæ; quo-* Psal. 104. 7

Psal. 114. 5. *niam* misericors Dominus, & justus. *Hæc* judicia, *etsi quandoque horrida primo sint aspectu, in recessu tamen Deum amanti, sunt* jucunda, *dulci nucleo sub duro cortice latenti comparanda. Quorum* considerationem *Odo Morimus, rectè dixerit esse* osseam: *suauem enim medullam continent, sed ad quam, per ardua venitur, cùm difficile sit, in damno, quod patiuntur mortales, lucrum agnoscere; atque etiam in malis, quæ contingunt, beneuolentiam deprehendere. Quicumq; autem deprehendere didicerunt, promptum in ore habent illud:*

Psal. 118. 39. Iudicia tua jucunda. *Neq; voluptatem tantùm, ex hac consideratione, capiunt, sed alium insuper quemdam fructum longè maiorem. Etenim, ob hæc* judicia, *ab ima radice perspecta, rectè sapientes Deum etiam colunt; eius iram timent, bonita-*

Deuter. 32. 3. *tem amant, laudant sapientiam, & assiduè cantant:* Date magnificentiam DEO nostro: DEI perfecta sunt opera, & omnes viæ eius judicia.

In his judicijs *cognoscendis, quia versantur quotidie Sancti, nihil quidquam ægrè ferunt, quod ferunt. Vident enim*

2. Cor. 1. 3. *justum esse, quidquid est à summè justo; benignum, quidquid est* à Patre misericordiarum, *quem amant, quia cernunt nostri tam amantem; à quo omnia placidè suscipiunt, quia reue-*

Psal. 17. 22. *rentur eum, nihil ex odio facientem.* Custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, *inquit rex ille & aulis, & bellis assuetus. Cur?* Quoniam omnia judicia eius, in conspectu meo: &, *hac ipsa de caussa,* justitias eius non repuli à me. *Siquidem inuidias & odium capitale Saulis, perfidas populi persecutiones, diras, maledictiones Semei, parricidales rebelliones ipsius filij mei, ipsas iniquitates aliorum,* judicia *&* justitias eius *esse reputaui. Cur enim non haberet jus me exercendi Dominus meus, aut me puniendi Iudex meus? qui tam bonus est, vt velit etiam malis benè vti; tam valens, vt è contrarijs contraria exprimere possit?* Diuina est vis, *in-*

quit

quit Boëtius, cui mala quoque bona sunt, cùm eis competenter vtendo alicuius boni elicit effectum. *Sic vulnerat, vt sanet; labi sinit, vt altiùs erigat: peccatique ipsius ignominiam conuertit in gloriam humilitatis; faciens, ex peccatrice Magdalenam pœnitentem; ex discipulo negatore, Petram Ecclesiæ; ex persecutore Saulo, vas electionis. Hoc qui perspectum habent,* justitias DEI *à se non repellunt, sed beneuolentiam interpretantur, quidquid prouenit à beneuolente; consilium optimum esse censent, quidquid diuina sapientia nostri boni tam cupida decernit. Denique quia mundi Rectorem, tam pro nobis sedulum, tamque saluti nostræ attentum experiuntur, spinosam illam rerum caducarum solicitudinem, in latissimæ fiduciam mentis mutant, & in cælestem quamdam securitatem.* Boët. lib. 4. de Consol. pros. 6.

Non sic impij, non sic judicia Numinis meditantur: qui, cùm acerbissimâ flagitiorum memoriâ, assiduis intemperijs, & Furiarum facibus, conscientiaque ictibus agitati, non possint dicere: judicia tua jucunda: *id, quod meruerunt, semper timent; quod timent, auersantur; & vel obliuione conantur sepelire, vel obliquo & refugo oculo aspiciunt; ad præsumptionem, non ad emendationem, monita omnia rapientes. Hoc est, quod Vates dixit:* Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in justitiam tuam; *in quam, qui intrant, ne illi optimè Deo contenti sunt, quidquid agat, quidquid vel bonis mali, vel malis boni, vel vtrisque aduersi secundique inferat, vel auferat.* In justitiam, *& arcana consilia justissimi Dei, qui* intrant, *discunt, in prosperitate, modestiam; in accumulatione casuum humanorum, constantiam; patientiam in aduersariorum calumnijs, fortitudinem, inter ipsa martyria retinere, crucémque suam portare, non calcare. Discunt varias quidem esse, in hac vita vias Domini, sed omnes justas.* Non enim solet DEVS, eâdem subinde ratione, res humanas gubernare, *ait Nicetas Acomi-* Psal. 118. 39. Psal. 68. 28. Niceт. Choniat. lib 3. de Imper. Isaaci Angeli.

cominatus Choniata, sed ad varietatem administrationis Vniuersi declarandam, regna & principatus, (*altáque officia*) aliter atque aliter transferre, ne minutissimis quidem rebus, à sua cura exclusis. Pharaonem, cum equitatu, in fundo maris demersit. Alium (*Holophernem scilicet*) per formosam mulierem jugulat. Alium ab hostibus occidi sinit. Est & qui ex mentis errore pro mortuo habitus, atque (*vt Zeno*) obliuioni traditus, palatio cum derisu effertur, & sepelitur. Vnde obscura voce clamans, & lucem desiderans, non Imperium expetens, nihilominus, vt vir pessimus, rectè pessum ire, & interire sinitur. Multi (*cum Anastasio*) leni morte extincti, velut oculis somno clausis, hinc demigrant. Sunt, qui per hinnitum equi (*vt in Dario factum*) ad regnum ascenderint. Alius ab aratro & sulco ad purpuram est vocatus. Alius adolescens opilio (*de post fœtantes*) diuinitus in regnum vngitur. Sed quorsum attinet commemorare singula, quæ prouidentia in vitæ humanæ ratione, pro vtilitate cuiusque, varijs modis; mutat & transfert? Misericordia Domini plena est terra. *Quia igitur pauci sunt, qui, quot, & quanta bona à Conditore suo accipiant, agnoscunt; & non pauci, qui Pharisaico scandalo, ostendunt, se etiam eius benignitate atque clementiâ offendi; pauciss imi autem acie mentis adeò aquilina, vt, in diuina ira, diuinam deprehendant bonitatem; vt ament castigantem, & pœnas nôrint, inter beneficia, computare; idcircò multiplex est hoc argumentum, à me, duabus partibus de Iustitia & Misericordia Iudicis (quæ in quatuor tomos diuisæ sunt) conscriptum. Sed per partes emissum, quia tempus illud magnos edi libros, non patiebatur; & parua plerumq; sunt gratiosiora. Cyrum ergo sum imitatus, qui Gnidem amnem ita restrinxit, vt in trecentos sexaginta riuos duceret; ex quo nimia eius amplitu-*

Psal. 77. 71.

Psal. 32. 5.

Herodot. l. 1.

amplitudo concisa est. Ita ergo & ego materiam latissimè diffusam, neque vmquam satis exhauriendam, secui, & ex libro libellos feci. Quorum primus erat, qui de Spe & Fiducia *è curis judiciisque Dei haurienda agit. Fiducia autem nihil est aliud, quàm spes confirmata, atque perfecta, vt cum S. Thoma, Theologi docent, & Seneca quoque ad Lucilium ita scribens.* S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 6.

De te spem habeo, nondum fiduciam. *Quam igitur spem, immò & fiduciam iussi habere Lectorem, de libellis, eam etiam de tomis alij ne frustra haberent, ecce eos, Concionatoribus aliisq; ob Indices profuturos.* Seneca ep. 6. ad Lucil.

§. V.

TOMI PRIMI PARS TERTIA, QVÆ A CAPITE vigesimo quarto vsque ad trigesimum quartum extenditur. Quid & quare de Fortuna, Fato, Casu agatur?

Quæ fuit jam olim, apud Scriptores minimè Christianos, de Virtute *atque* Fortuna, *ea etiam hodie est, apud malos, aut malè doctos Christianos, querela.* Accusatur enim Virtus, vt pulchra quidem, cæterùm inutilis quæ sit: Fortuna, vt bona quidem, sed instabilis: & illius labores fructu, huius dona fide carere, aiunt. *Hæc accusatio licentior est, quàm vulgò videtur; nam, si, quem petat, attentiùs cogitare velimus, deprehendemus, instrui illam in ipsius Naturæ Authorem, & Mundi Gubernatorem. Siquidem* ipsam, quæ nobis omnia gignit atque profert naturam alij Fortunam esse arbitrantur, alij Sapientiam, *ait Plutarchus. Naturæ autem & Sapientiæ fons est Deus. Quippe, vt diuinæ litteræ testantur:* omnis sapientia à Domino Deo est. *Cùm ergo ipsum artificem carpat, qui opus eius reprehendit, necesse est, vt Vniuersi Rectorem probri accuset, qui vel de* Virtute *queritur, tamquam* inutili, *vel* Fortunæ *iniuriosam sibi existimat esse instabilitatem. Nam etsi nobis, vt Pindarus dixit,* incerta est

Plutarch. de Fortun. Rom.

Loc. cit.

Eccli. 1. 3.

Plutarch. ib.

ta est fortuna, *tamen vel ex eiusdem Plutarchi sententia*, rectiùs dicitur Iustitiæ & Suadæ soror, ac Prouidentiæ (siquidem ea est Promethea) filia, quo modo genus eius Alman describit. *Quid enim Fortuna facit, quod Deus non*
Sap. 14. 3. *prouidit?* Tua, Pater, prouidentia, ab initio, cuncta gubernat, *ait ille. Omnes ergo* Casus *à Prouidentia pendent; omnis* Fortuna *à Deo justissimè sapientissimèque gubernatur; immò hi ipsi Casus Sapientiæ diuinæ quidam riuuli sunt; per quos, in hac vita, homines, aut conuenienter rerum naturis; aut, ad justissimam æternæ Prouidentiæ libellam, vtiliter irrigantur.*

Quod si agnoscerent, in vtraq; Fortuna, *diuinorum judiciorum non vtiq; censores essent, sed admiratores; non in indignationis verba, sed in Prophetæ præconia ebullientes, atque ad omnem, vel proprium, vel alienum casum, ex intimo affectu*
Psal. 144. 3. *mentis, exclamantes:* Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua; & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt. *Neq; enim iniquè se tractari à* Fortuna *dicunt, qui justissimum Deum sciunt esse* Fortunæ *moderatorem. Et vel hinc fiunt patientes, quos cælestis Suada, diuinæq; litteræ docent; nihil fieri sine eo, à quo facta*
Luc. 12. 7. *sunt omnia, &, sine cuius nutu,* ne capillus quidem cadit
Prou. 14. 29. de capite *nostro. Hoc est, quod prouerbium pronuntiat:* Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam; *facilè enim furit, & multa, contra Deum & proximum, stulta loquitur; multa insanit,* Fortunæque cæcæ *ascribit, quæ suæ ascribere deberet*

aut cæcitati, aut improbitati; cùm non videat, se eiuscemodi Fortunam *aut meruisse, aut in virtutis occasionem acceptare potuisse. Patiens autem meminit diuinæ Sapientiæ æquitatem, instar* FIGVLI, *ad* Fortunæ rotam *sedere, eamq́, ex arte summa, vel impellere, vel cohibere; motumq́, omnem, velut* HOROLOGIO *à pondere, ita & humanis negotijs, à Numine accedere. Cùm enim sit à furore liber, animo sedato & tranquillo, de rebus limpidè judicat; &* multâ gubernatur prudentiâ, *quæ Deum laudat, quaq́, se etiam scit à Deo gubernari. Impatiens autem, idcirco* stultitiam suam exaltat, *& vsq́, ad insaniam, sæpe etiam vsq́, ad restim adigitur; quia animus perturbatus stagno similis est ventis agitato, cuius aquæ motæ, & fluctibus exasperatæ, imagines aut non reddunt, aut concisas laceratásque referunt, vt vel formosissima, in ijs monstrosa esse videantur. Mens autem furore libera aquæ stanti, tranquillæ & lucenti similis; rerum imagines integras recipit & genuinas. Quare totam rerum seriem intuens, non mordet frænum, non calcitrat contra stimulum, sed attendit ad equitantis dirigentisq́, voluntatem; hoc est, non cogitat, quid cogitet calumniator; sed quid velit Deus, qui justo consilio, permittit alterum conuitia ingerere. Ita cogitauit rex, qui, Semei eum conuitijs sibilisq́, consectante, & lapidibus petente, dixit:* Dimitte eum, vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? *Cogitare ita docuit ipse hominum Reparator, qui iniquissimo judici suo dixit:* Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Non ergo, ad Præsidem, sed ad primum motorem aspexit, quando crucem humeris excipiens,* exultauit, vt gigas, ad currendam viam *Passionis & mortis. Quis stultorum non jurasset esse* Casum *aut* Fortunam, Fatumque *suum non indignantissimè accusasset, quando* spiritus immundi introierunt in porcos; &

Stobæus in serm. de ira.

2. Reg. 16. 10.

Ioan. 19. 11.

Marc. 5. 13.

& magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari? *Casúne hoc factum est, aut aliquâ Deâ Fortunâ irascente? Certè cacodæmonum id voluntate, & Christi permissione accidit. Siquidem* deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesvs. *Concessit autem justè, vel quia Geraseni illo, maiorèq; damno digni erant, qui ita ingrato erant animo, vt beneficia adepti abigerent benefactorem; nam rogabant eum, vt* transiret à finibus eorum; *quemadmodum D. Chrysostomus illum locum interpretatur: vel quia hinc potestas Christi, & nominis authoritas innotuit.* S. Chrysost. hom. 29.

Nam quod rogant, vt transeat fines eorum, *ait S. Hieronymus*, non de superbia hoc faciunt, sed de humilitate, qua se indignos Domini præsentia indicabant, sicut & Petrus ait: Exi à me, Domine, quia vir peccator sum. *Vtra harum caussa fuerit, justa fuit. Quod si neque* Casus *in porcos, neq;* Fortuna *in gregem eorum, sine nutu Dei, quidquam potuit; poteritne in homines, & homines Christianos? Facilè credunt, nihil posse sibi* sine Numine Diuûm *accidere, qui credunt, nihil vel vilissimæ auicularum contingere, sine Creatoris voluntate.* S. Hieronym. comment. in c. 8. Matth.

Nonnè duo passeres asse væneunt: & vnus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro? Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. *Hæc ratio omnes* Casus *mitigat, omnem* Fortunam *excusat; linguam omnem in diuinas laudes facundam facit, vt non cum lupis vlulet, sed cum illa luscinia, vbique, & vsque canat:* Quàm magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Matth. 10. 29. Psal. 103. 24. Sap. 6. 16.

Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, citò securus erit. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis. *Quod*

in

in hoc libro etiam ostendemus. Quia hæc itidem pars est Iudiciorum DEI, quæ, in hac vita nostra, exercet. *Quare & tu, mi Lector, (verbis D. Basilij te compello)* inuestigabilem Conditoris tui sapientiam meditare, vt simul cum Propheta dicas: Mirabilis facta est scientia tua ex me. Attende itaque tibi ipsi, vt DEO simul attendas. *Ita neq; intus pauebis, neq; foris formidabis auro, ne surripiatur. Ita non Fortunam, sed Fortunæ Dominum timebis. Ita abhorrebis ab impio illo Machiauelli dogmate, qui Principi suadet,* vt Fortunæ & Casui felicitatem, non virtuti & veræ religioni tribuat. Et hæc quidem sceleratum illud Satanæ organum, prioribus duobus libris, quibus de Principe agit. *Hac machina virtutem euertit. Nam, teste etiam Ethnico,* si Solon Remp. fortuitò constituit; si Miltiades Fortunæ munere exercitum duxit; si Aristides Casu fuit justus: nullum jam virtutis erit opus. *Nimis, hoc æuo, serpsit illa pestis, quæ, vt virtuti nihil relinquat, omnia tribuit Fortunæ. Quamobrem dum Fortuna semper in ore est, diuinæ Sapientiæ, Prouidentiæ, Iustitiæq; memoria è mente pellitur. Quadrat proinde in nostrum sæculum illud, quod de Romanis dictum est cum sale:* Sapientiæ in hunc vsq; diem *(nisi Constantinopoli)* templum non est, neque Temperantiæ, aut Tolerantiæ, aut Magnanimitatis, aut Continentiæ. Fortunæ verò templa sunt splendida & antiqua, ac tantùm non cum primis, Romæ, fundamentis posita. *Extritæ mentis sit homo, qui horologium non solùm externa facie pictum, aut sculptum, stilo indice velut linguâ loquens, aut tamquam digitum in numeros horarum intendens; sed etiam, in visceribus, tot currentibus rotulis animatum, tot reuolutis in sese dentibus complicitum; tot ferri Mæandris inquietum, tot cardinibus vinculisque compactum, si intueatur, pronuntiet, non certis ponderibus id librari, non moueri consilio, denique non arte concinnatum*

S. Basil. serm. in verba Moysis: Attende tibi ipsi Psal. 138.

Anton. Possevin. lib. 1. Biblioth. selectæ. cap 26.

Plutarch. orat 2. de Fort vel Virt. Alex.

cinnatum esse, sed casu & temerè ita coaluisse. Sicut ergo in horologio Archimedicum miramur ingenium, ita in toto mundo, diuinum illum Opificem suspiciamus, eiusq; sapientiam agnoscamus; nec temerè ac fortuitò putemus, Solem, Lunam, sidera, orbésq; cælestes rotari; multóq; minùs homines ipsos, quorum caussa sphæræ & astra, tam certis motibus quotidie currunt & recurrunt, suósq; circulos, vel mensibus, vel annis, vel sæculis, absoluunt. Sic Fortunæ rotam, qui mente voluit, non voluit, vt saxum suum Sisyphus, sed vt, structo meliore templo, incipiat Sapientiæ litare, ac desinat sacrificare Fortunæ. Illud monere debeo, de Fortuna me agere, eiúsque vel dominio, vel fræno. Fortunatos & Infortunatos, prorè nata, attigi. Ilius esset, si vellem omnes enumerare. Et eiuscemodi vel ludibria, vel spectacula, passim, in reliquis de judicijs Dei partibus recensentur.

§. VI.

CVR DE SORTIBVS ET QVID DISPVTET QVARTA Pars Tomi primi, quæ à vigesimo quarto capite vsque ad finem continuatur?

SORS & FORS, *velut duæ sorores, tam arcto societatis vinculo copulantur, vt, si quando, apud authores, non significant idem, tamen se se mutuò trahant, & vbi vna nominatur, altera non procul absit. Significat enim vniuersim &* SORS, *&* FORS *fortuitum alicuius rei euentum.* Quid enim sors est? *ait M. Tullius,* idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, nec consilium valet. *Et de* FORTE: Fors, *inquit,* in aliquibus rebus, plus quàm ratio potest. *Sæpe tamen* FORS *à casu & fortuito alicuius rei euentu in genere sumpto, distinguí solet, atque idem est, quod* Fortuna. *Vnde, apud Cæsarem,* mala Fors, *apud Liuium & Terentium,* bona Fors, *seu* Fors Fortuna *reperitur. Cùm autem*

Cic. lib. 2. de diuinat.

Idem lib. 14. ad Attic.

Cæsar. lib. 8. bell. Gallic. Liu. lib. 1.

tem Fortuna *non sit Dea, nisi in fabulis, sed casus dumtaxat,* Terent. in Hecyra,
& felix aut infelix euentus; perspicuum est, duplici nomine, eamdem rem indigitari. Sortis *quoque vox aliquando præsiùs, pro conditione, vice, parte, munere, fatali necessitate; aliquando pro judicio ponitur; quando scilicet,* sortes *trahuntur, ducuntur, consuluntur, vt,* cùm suffragijs tres ex tribus generibus creati sunt, res reuocatur ad sortem, *cuius judicio statur. Priore sensu illa quæstio, apud Poëtam, extitit: Quî fiat, vt nemo sua* sorte *contentus viuat? Huic quæstioni, tractatu de* Fortuna, *respondi. Quæ quidem tractatio, tamquam genus, etiam* sortes, *in altero sensu, sub se continet; relinquit tamen de* sortium *judicio alias quæstiones peculiares. Apud Romanos, non audiebantur causſæ, nisi per* sortem *ordinatæ. Nam, quo tempore, causſæ agebantur, conueniebant, & ex* sorte, *dierum ordinem accipiebant, quo, post triceſimum diem, causſas suas exequerentur. Quod sortiendi genus etiam apud milites & belli duces valet: nam sæpe Duces* sorte *leguntur, qui primi vrbem aut hostem inuadant; sæpe milites tesseræ & vitæ jacturam faciunt, quando in eos capitaliter animaduertitur.* Cetera multitudo sorte, decimus quisque ad supplicium lecti, *ait Liuius. Et vtique ibi* Sors *&* Fors *putantur simul esse, quando illa alij craterem, ex vrna, educit aureum; alij, caniculæ jactu, laqueum mandat. Quod ludendi genus, in castris, admodum est vsitatum. Nec sanè etiam illicitum. Quia nulli laqueus iniuriam facit, vbi omnes suspendi meruerunt. Sententia judicis, non* sors *damnat reos: quæ si aliquem eximit, non illa, sed judex vitam donat, ea lege & conditione, quem* sors *est designatura. Donaret, sine præjudicio, etiam si conditionem non apponeret. Nulla igitur hîc querela potest esse contra judicem.*

Cic. Verrin. 4

Horat. lib. 1. Sat. 3.

Seruius lib. 6. Æneid.

Liu. lib. 2.

Potest tamen esse contra sortem, *apud eos, qui* sorti *nimium tribuunt. Quippe non rarò* sors *est funesta illi, qui ipse*

minùs

minùs fuit funestus; & audaces juuat, deserit miseratione dignìores. Ducitur, qui ephippium clepsit: absoluitur, qui viginti abegit equos. Ita venia est coruis, & columbas censura vexat, immo strangulat. Sunt ergo non pauci, qui sortem *temeritatis accusant; nimirum temerarij ipsi in accusando. Siquidem quod ignorant, accusant. Si enim, etiam Poëtis fingentibus, vel apud Inferos,* immensis vrnam quatit Æacus vm-

Prou. 16. 33. bris, *quantò magis, in hoc mundo,* sortes mittuntur in sinum: sed à Domino temperantur? *vt dicere quisque possit:*

Psal. 30. In manibus tuis sortes meæ? *Deus enim ipsum* sortis *judicium judicat. Vnde Chaldæus textus ibidem legit:* In sinum consilij cadit sors, & à DEO egreditur judicium eius. *Qui*

Prou. 16. 33. *locus varias patitur explicationes. Prima, Bedæ, Hugonis, & Dionysij mystica est:* Sortes mittuntur in sinum, &c. *hoc est, sicut* sortes, *quàm diu in sinu, vel vrna sunt, incertæ sunt, donec extrahantur, & ostendant, quid cuiusque sit; ita hominis sors, in hac vita, adhuc obscura est, & anceps, quoad mors* sortes *educit, & patefacit electiones prædestinatorum. Altera expositio ad litteram accedit, & ad lectionem septuaginta interpretum, qui sic habent:* In sinum veniunt omnia injustis: à Domino autem omnia justa. *Quia igitur* sortis *nomine frequenter pars, hæreditas, substantia, opes, fortunæ intelliguntur, sensus esse potest,* sortes, *diuitiæ, & bona temporalia impijs, quibus omnia, in hac vita, ex animi sententia contingunt,* mittuntur in sinum, *sed hæc eorum felicitas haud magni est facienda; quia* à Domino omnia justa; *&* sortes *ita temperantur, vt malis quidem ac iniustis fortunas, & prosperitatem, bonis autem labores & ærumnas admetiatur; sed* sortes *istas tam dissimiles, tandem ad trutinam & æqualitatem, componat. Siquidem fluxam huius vitæ beatitudinem, in impijs, æterna calamitate; perbreuem miseriam autem & laborem, in pijs, perpetua felicitate compensat.*

Tertia

Tertia explicatio, & communis, & ad nostrum hunc tractatum maximè pertinens est, de sortitione; cuius tria possunt constitui genera. Sunt enim sortes diuinatoriæ, consultoriæ, & diuisoriæ. *Dicuntur autem hæ* sortes *propriè*, cùm aliquid fit, vt, eius euentu considerato, aliquid occultum innotescat. *Quare si indagetur, judicio sortium*, quid cui sit exhibendum; siue illud sit res possessa, siue sit honor, seu dignitas, seu pœna, aut actio aliqua, vocatur sors diuisoria. Si autem inquiratur, quid agere oporteat, vocatur sors consultoria. Si verò quæratur, quid sit futurum, vocatur sors diuinatoria. *Quæ ultimæ duæ ex institutione DEI, ad eius voluntatem exquirendam vsitatissimæ fuêre, apud Hebræos. Christianos. S. Thomas monet 1. actus hominum, qui ad* sortes *requiruntur, non pendere à dispositione stellarum, adeoq; nec* sortes *inde temperari; nec* sortium *judicia inde licitè posse pati. 2. Vanè etiam expectari à Fortuna. 3. Desiderari impiè à cacodæmone. 4. Expectari etiam in quatuor casibus male à Deo; si sine vlla necessitate, ad* sortes *recurratur; & adeò Deus tentetur; si quis etiam in necessitate, absque reuerentia Dei,* sortibus *vtatur: si diuina oracula, & sacra litteræ, ad terrena negotia conuertantur: si in electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritus S. inspiratione fieri debent, aliqui* sortibus *vtantur.* Secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrena disponenda ordinantur, *ait*, in quarum electione plerumque homines sortibus vtuntur; sicut & in temporalium rerum diuisione. Si verò necessitas immineat, licitum est, cum debita reuerentia sortibus diuinum judicium implorare. *Ne quis ergo existimet, aliquam inesse* sortibus *ipsis vim diuinandi, quando videt earum judicia, res ecrtò declarari aut definiri, Salomon ait,* sortes à Domino temperari, *atq; ea propter judicium earum, in prouidentiam*

S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8.

S. Augustin. epist. 119.

diuinam referendum, cui libet aliquando per sortes, *rerum euentus manifestare. Non igitur astris, non Fortunæ tribuendum erat, quòd hæc potiùs, quàm illa* sors, *olim tempore Salomonis prodiret, sed Numinis consilio & moderationi, ex cuius institutione diuinatoriæ sortes solennes fuêre, quemadmodum & consultoriæ, & diuisoriæ, vt adeò tunc harum* sortium judicia, *diuinum judicium esse crederentur; quod quicumque habent, non habent caussam conquerendi.*

At numquid sortes *ita* à Domino temperantur, *vt omnis sortitio ex Dei moderatione & dispositione perficiatur? etiam hoc tempore? etiam non jussa? etiam illicita? cuius vsus hoc ipso suaderetur, si diceretur, speciali Domini arbitrio prouidentiaq; regi. Videretur enim* sors *ea, quæ diuinæ voluntati maximè congrua sunt, semper enuntiare. Duplex hîc Dei prouidentia considerandam se offert: generalis vna, altera specialis; quarum si non hæc, tamen illa cum rebus omnibus coniuncta est. Generalis vocari solet, qua Deus res omnes, juxta naturalium caussarum exigentiam moderatur. Specialis, qua res, singulari consilio, perficit, & ad finem aliquem bonum instituit. Quamquam igitur non solùm diabolicæ* sortes, *vt Deo aduersæ, cauendæ sunt; sed etiam non omnium* sortium *licitarum judicia, speciali Dei consilio reguntur; cadunt tamen omnes etiam illicitæ* sortes *sub prouidentiam Dei generalem, cuius est, totam mundi gubernationem disponere: prædestinare: reprobare, &c. Cùm igitur* sortes *ex se temerariæ sint, atq; incertæ, fit vt prouidentia diuina circa eas generalis existat: sic alcas ad eum modum cadere sinit, quo ipsa jacentis manus impulit. Sæpe tamen etiam interuenit prouidentia specialis, qua Deus sortes, singulari consilio, temperat, & non euenire permittit, sicut illæ fortasse per se caderent, aut manus postularet educentis, sed ad bonum ipse finem dirigit, vt vel tristi damno cautiorem, vel felici lucro liberaliorem reddat aleatorem; aut*

etiam

etiam à ludo penitus posthâc abstinentem. Lusitanus miles alea ludens sexcentos aureos amiserat. Igitur tristis & inops consilij auxilijque ad Franciscum (*Xauerium*) confugit. Tum ille ex veneno ipso medicinam morbi petendam ratus, aleam ab eo poscit: suaque manu permistam reddens repetere ludum jubet, eo, quod reliquum ludus fecerat, amissa recuperaturum. Non fefellit. Repentè mutata cum auctore ludi sors: & miles secundo vsus ludo cuncta recuperauit. Suo recepto: ludere pergentem Franciscus inhibuit, nec miles abnuit, sed beneficij memor salubribus eius præceptis impensè paruit. Quin etiam vltro promisit, se in posterum numquam alea lusurum: & extitit promissi fides: ex eo tempore aleam in manus sumere sustinuit numquam: tantum illius ludi odium eum ceperat, auctore Xauerio.

Horati Turfellin. lib. 6. cap. 2. de vita S. Francisc. Xauerij.

Quis, in hac alea, manum Dei non agnoscat? sicut & in altero ludo, quo Lutetiæ, Doctoris egregij animam lucratus est S. Ignatius Loyola. Nam cùm eius ludi nec consuetudinem haberet, nec artem; instante tamen, & vrgente, & pertinaciter efflagitante Doctore, in lusum tandem, sed serium, consensit Ignatius; itaq; feliciter globulum ludentis in mensa, ludentem autem ipsum in pœnitentia saccum coniecit, vt, qui aderat, identidem diceret: Domine Doctor, digitus Dei est hîc. *En digitum, en manum Dei ludentis in orbe terrarum. Quamobrem etsi* sortes *temerariæ sint ex se, ac dubiæ, justas tamen habet caussas diuina sapientia, cur eas vel infeliciter subinde prosperas esse velit, vel feliciter infortunatas. Itaque speciali prouidentia illas regit, vt jam in eis, à parte rei, non sit temeritas, sed consilium & ordo. Qua de caussa dicuntur* à Domino temperari: *& in Hebraico textu: à Domino judicium earum. Hæc, qui perpendet, nulla alia regula indigebit, vt sciat, quibus* sortibus, *& quatenus, & quomodo sit vtendum, vel*

Petr. Ribad. de vita S Ignat. l. 5. c 10.

abstinendum; itemq; nullum non sua sorte *contentum esse oportere.*

§. VII.

TOMI SECVNDI PRIMA PARS, A CAPITE PRIMO vsque ad caput vigesimum primum deducta, quid, & cur de Mundo & mundi Partibus tractet?

Homine dignissima occupatio est, consideratio Mundi. Ea enim & intelligenti maximè conuenit, & vtilissima est cupienti venire ad veritatem. Clarè in hac vita, Deum nemo in-

Rom. 1. 20. *tuetur: per vestigia itaque est indagandus.* Inuisibilia enim ipsius à creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Inuisibilia *sunt, æternitas, immensitas, bonitas, æquitas, scientia & prouidentia Dei:* virtus *est omnipotentia, qua tamquam caussa rerum efficiens Mundum produxit, & hut vsque sapientissimè, benignissimè, justissimè gubernauit.* Diuinitas *est ipsa Dei essentia & maiestas, velut primi ac perfectissimi entis, à quo omnia pendent, vt summo Effectore; ad quem omnia tendunt, vt ad supremum bonum atque vltimum finem; gratiarum actione, precibus, votis, sacrificijs,*

Sap. 13. 5. *maximè colendum.* Siquidem à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.

S. Thom. 3. p. q. 2. a 1. S. Dionys. c. 7. de diuin. nom. *dum ex ijs quæ facta oculus corporis videt, mens ad ipsum factorem ratiocinatione ascendit, colligitq; naturali etiam lumine, Deum esse vnum, esse liberum, habere prouidentiam, circa singulos, & circa vniuersos. Vnde & Trismegistus dixit,* Mundum *esse* librum diuinitatis, & speculum diuinorum.

In hoc libro studere, hominis & officium, & labor est.

Eccles. 3. 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt distendatur in ea. Cuncta fecit bona, in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum. *Sed non perinde*

omnes

omnes disputauerunt. Sicut iaculatores quidam scopum sagittis tangunt, quidam ne oculo quidem rectè destinant; ita nonnulli, per ea, quæ facta sunt, *factorem cognoscunt; alij in reprobum sensum dati, deserta veræ rationis via, longissimè aberrauerunt.* Ita vt sint inexcusabiles. Quia, cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt (*Conditori pro Mundi fabrica, suiq; ac rerum omnium ad suum vsum creatione, conseruatione, iustissimoq; regimine*) sed euanuerunt, in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: *adeò vt Simon, Menander, Cerinthus, Saturniani, Valentiniani, Archontici, Mundum à Deo factum negârint; Priscilliani autem à maligno Principe fabricatum affirmârint, ob tot mala scilicet, quæ viderunt in eo contingere. Veteres autem illi, de quibus D. Paulus loquitur, etiam* mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. *Siquidem, teste S. Augustino, aues, serpentes, feles, crocodilos; immò allia, porros, & herbas; quin & Stercutium, Cloacinam, Pestem, Febrem, & longè absurdiora, Numinum loco, habuerunt; in sole cæcutientes, more noctuarum.*

Aquilas imitati sapientes, vt filij lucis ambulauerunt, *atque vel ex vmbris etiam eum deprehenderunt, qui* lucem habitat inaccessibilem. *Nam vel Orpheus hoc oraculum fudit:* Mundi machina est musica, & admirabilis consonantia, prædicans & laudans Deum. *Nec aliud fuit illa musica cælorum, quàm Pythagoras prædicauit; cuius illa sunt:*

Magna, nec ingenijs inuestigata piorum,
Quæq; diu latuêre, canam, iuuat ire per alta,
Astra, iuuat terris, & inerti sede relicta,

Rom. 1. 23.

Vide Iacobũ Sirmondum in Prædestin. lib. 1. de hæresibus.

S Augustin. lib. 3. de ciu. c 12. & lib 4. c. 10. & l. 18. cap 15.

Eph 5. 8. 1. Tim. 6. 16.

Ouid. lib. 15. Metam.

Nube vehi, validiqúe humeris insistere Atlantis:
Palantesque homines passim, ac rationis egentes
Despectare procul, trepidosq; obitúmq; timentes.
Sic exhortari, seriémque euoluere fati.

Sed multò profundiùs in Dei arcana penetrauit Ezechiel, qui & gloriam Dei, & hominum Dei iram prouocantium idola vt, velut ex alto, contemplaretur, sublimis ductus est. Et emissa similitudo manus, *inquit*, apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terram & cælum. *Dauid quoque, siue pluuiæ caderent, siue plantas vrerent pruinæ, siue etiam fulgura præmicarent, semper dixit:* Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. *Et Philo*, Dei templum, *ait*, alterum summum verúmque existimandum est, Mundus scilicet hic vniuersus, cuius sacrarium sit cælum, qui tota rerum natura præstantissimus; donaria verò sint sidera; sacerdotes & æditui sint potestates Angelicæ, ratione sinceritatis vnitati similes. Alterum verò templum est manufactum. *Consonat Prosper, his verbis:* Quod est testimonium, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate, ac potestate conticuit; nisi ipsa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio? per quam humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur. Cælum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis sunt, consono species suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris, & tamen maximus hominum numerus hanc vocem non intellexit. *Intellexit autem S. Antonius, intelle-*

Exech. 8, 3.

Psal. 18, 1.

Phil. de vnit. Dei.

Prosper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 1. qui liber male ascribitur S. Ambrosio.

xit Paulus simplex, intellexit Hilarion; intellexit Augustinus, eùm diceret: Cæli & terræ clamant, Domine, vt amemus te. Feciſti nos, Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Intellexit & humilis S. Franciſcus, & S. Benedictus, de quo S. Gregorius hæc habet:* Alio quoque tempore Seruandus Diaconus atq; Abbas eius monaſterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patritio fuerat conſtructum, ad eum viſitationis gratia, ex more, venire conſueuerat. Eius quippe monaſterium frequentabat, vt quia idem quoq; vir doctrina gratiæ cæleſtis influebat, dulcia ſibi inuicem vitæ verba transfunderent, & ſuauem cibum cæleſtis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, ſaltem ſuſpirando guſtarent. Cumq; hora iam quietis exigeret, in cuius turris ſuperioribus ſe venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus ſe Seruandus Diaconus collocauit, quò videlicet in loca inferiora ad ſuperiora peruius continuabat aſcenſus. Ante eamdem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriuſq; diſcipuli quieſcebant. Cumq; vir Dei Benedictus quieſcentibus adhuc fratribus, inſtans vigilijs nocturnæ orationis tempore perueniſſet ad feneſtram, ſtans & omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſta noctis hora, reſpiciens, vidit factam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantóque ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde, in hac ſpeculatione, ſecuta eſt: quia ſicut pòſt ipſe narrauit, omnis etiam Mundus, velut ſub vno ſolis radio, collectus, ante oculos eius adductus eſt. Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc ſplendore coruſcæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Epiſcopi animam, in ſphæra ignea, ab angelis, in cælum

S. Athanaſ. in vita Antonij. S. Auguſt. in l. 1. confeſſ. c. 1.

S. Gregor. l. 2. dial. c. 35.

cælum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis, terq; eius nomine, cum clamoris magnitudine, vocauit. Cúmq; ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque iam lucis exiguam vidit. *Nempe, vt in cælo, vnus beatorum, altero clariùs Deum à facie in faciem intuetur; ita & in terris, dispares oculi, non eâdem claritate, diuinam justitiam & bonitatem, in hoc Mundo, & eius Partibus deprehendunt. Digitum igitur intendere necesse est, vt videant mortales, quid sit, in Mundo atque eius Partibus, videndum.*

§. VIII.

PARS SECVNDA SECVNDI TOMI A VIGESIMO primo capite vsque ad quadragesimum septimum, cur de faustis & infaustis matrimonijs tractet?

Iustum esse Numen, in Mundi huius gubernatione, atque etiam in iratis Mundi partibus *benignum, huc vsque ostendimus; nunc etiam eiusdem æquitatem demonstrabimus in incolis Mundi; & quidem in illis primò, quibus dictum est:*

Genes. 1. 28. Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. *Qui sunt autem isti, nisi coniuges? quorum statum atque condicionem à Deo profectam meritò laudaueris; est enim status honestate plenus, vtilitate refertus, propagando humano generi necessarius; mutua charitate iucundus.*

Propert. l. 2. eleg. 15. Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus & tutum femina coniugium.

Vis videre, quàm tutum, S. Paulum audi: Si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. *Sæpe auibus præstat includi, quàm vagari. Multæ, dum nolunt domi coërceri, foris lacerantur; Illa ipsa columba, quam Noë à se*

dimisit

dimisit, cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. *Arca illi pro cauea fuit, extra eam mortem bibisset in diluuij aquis. Ita multi & multæ sine nuptijs perirent, matrimonijs seruantur, coniugali vinculo in bonum suum ligati. Et seruantur quidem nonnulli in columbina innocentia & simplicitate. Qua de caussa D. Damascenus S. Ioachimum & Annam, ob castissimum matrimonium, appellat* par turturum, *quibus tota creatura obstricta sit, tamquam Matris Dei progenitoribus, gratias agere. De quibus ipsa Dei Mater ad S. Brigittam in hunc modum est locuta:* Meus Filius coniugium mei patris matrisque tanta castitate copulauit, vt tunc nullum, in toto orbe castius matrimonium esset. Ex amore Dei, & Angeli indicio conuenerunt, non ex voluntate carnis ac voluptatis. Cùm Deus omnia matrimonia, ab Adamo vsque ad nouissimum diem, futura ante oculos poneret, non vidit vllum aliud matrimonium, quod sit in amore Dei & honestate comparandum cum matrimonio Ioachimi & Annæ. Quamobrem placuit, vt ex hoc coniugio corpus Matris Dei nasceretur. *Ob hæc talia Mundi Architectus, qui* fecit omnia bene, *meritò etiam potest, debetq; in Matrimonijs prædicari.* Marc. 7. 37.

Et quidem hoc facile est, in Matrimonijs faustis, *juxta illud:* Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. *Quando serenum est, & sol lætus, etiam ranæ exultant in supremis aquis capita attollentes; ast vbi cælum nubes contrahunt, ac pluuiæ diem fœdant, tum in ima refugiunt, & sub turpi limo se condunt. Ita mortales plurimi in lætis rebus Deum laudant, cùm autem fortuna vertitur, cùm tristia euentunt, cùm lachrymæ cadunt, tum Diras serunt & execrationes, neq; jam dentes vibrant in Alastorem dumtaxat, sed in ipsum non rarò Mundi Conditorem. Quamobrem sicut facile est, Deum in Matrimo-* Psal. 48. 19.

nijs, quæ sunt felicia, laudibus celebrare; ita prorsus excelso oportet animo esse illum, qui cùm in infaustum Matrimoniũ incidit, non reprehendit Matrimoniorum institutorem. Audimus enim frequenter, immo nihil frequentiùs, quàm coniugum querelas. Iam vir vxorem; jam vxor, apud vicinos omnes accusat virum. Nec satis est, proclamat, infamat, execratur. Et crescit malum; à viro vel ab vxore, ad omnes viros vel feminas vituperandas, & totum sexum à Mundo proscribendum venitur. Hinc deniq; contumeliæ in ipsum Vniuersi Dominum redundant. Atqui ille, cui non minor ex iustitia, quàm bonitate gloria debetur, semper est laudabilis, siue fausta, siue infausta matrimonia largiatur. In faustis suam declarat bonitatem, in infaustis æquitatem. Quin & in his bonus est. Multis enim mala vxor, si non debita, saltem vtilis fuit. Quid peius fuit vxore Iobi? Hunc quia artificiosissimè voluit aggredi cacodæmon, conatus est illum procellis semper maioribus quatere. Abstulit illi boues; abegit asinas; oues fulminibus mactauit; camelos abduxit; seruos ferro occidit; vtq; cresceret calamitatis atrocitas, tandem conuiuantes filios & filias illius, ruina miserabili oppressit. Quid potuit grauius supereſſe, quo in fortissimum virum arietaret? Satan censuit mulierem his omnibus machinis catapultam esse longè potentiorem. Nam etiam postquam corpore eius pessimè afflicto nihil effecit, vxorem illi suam immisit, tamquam Orci Furiam, quæ dixit: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Simili catapulta serpens antiquus etiam Adamum quassauit. Fortior tamen fuit Iob, qui quoniam non passus est se labefactari, nonnè illi profuit vxor? Siquidem mala illum bonum, & stulta ipsa illum ostendit fuisse sapientem. Alia complura ex infaustis matrimonijs bona consequi, atq; inde etiam viduitatis, virginitatis, & vniuersim cælibatûs excellentiam clarè doceri, docebo sequenti tractatu: qui vtinam, quemad-

Iob. 1. 14.

Iob. 2. 9.

quemadmodum Lectores habiturus est curiosos, sic etiam dociles nanciscatur! Qui non discet nuptijs meliora præferre, saltem monebitur, ne nuptias incautè tractet, aut, si in retia atq; insidiosos casses incidit, quod non potest vitare, docebitur tolerare. Hæc est vtilitas fescenninorum; quorum quòd vel ipsa Deæ olim participes non essent, dicuntur, teste Arnobio, pertur- Arnob. lib. 4. Aduerſ. Gentes. n. 176.
basse discordijs omnia. *Tanti enim fecerunt antiqui connubialia monita, vt illa ipsa* matrimonia infausta *arbitrarentur, in quorum nuptijs*

Non soliti lusêre sales: nec more Sabino Lucan. lib. II.
Excepit tristis conuicia festa maritus.

§. IX.

TOMI SECVNDI PARS TERTIA, A CAPITE QVAdrageſimo ſeptimo, vſque ad finem. Quamobrem de Monſtris, & monſtroſis, ac Quid differat?

Monstra dicere, & monstra narrare, seu Τερατολογεῖν, *vt Græci loquuntur, varys de caussis homines solent. Quia enim curiosorum cibus est, noua atq; mirabilia audire, quidam res prodigiosas memorant, vt earum narratione aures curiosorum pascant. Alij, vt res raras, monstra capitibus coronatis offerunt, quibus, eorum gratiam captant. Qualia monstra multa, ex vtraq; India, vel descripta, vel missa sunt ad Reges Hispaniarum. Alij, in his ipsis colligendis, industriam, potentiam, vel magnificentiam suam demonstrant; vt olim Romani Imperatores, in belluis, aliisue bestijs theatro inducendis.* Ita Leonum simul plurium pugnam, Romæ princeps Plin lib 8. Nat hiſt. cap. 16.
dedit Q Scæuola P. filius in curuli ædilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea dictator fuit, in Prætura. Post eum Pompeius Magnus in circo DC. in ijs jubatorum CCCV. Cæsar dictator CCCC. *Probus Imp. mille; item mille Leopardorum, mille seruorum; mille aprorum; mille ibicum; mille struthionum.* Lamprid. in cor. vita.

Atque, ne in paruis ostentandis vanitas deesset; Heliogabalus collegit mille mustelas; totidem sorices; decem millia murium; decem millia pondo aranearum, & muscarum; monstrosa vtiq; prodigalitate; & inutili vanitate. Iudic. 15. 4. *Alio fine Samson* cepit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio: quas igne succendens, dimisit, Gen. 7. 14. vt huc illucque discurrerent. *Aliam ob caussam, Noë in arcam coêgit* omne animal, secundùm genus suum; *nimirum, vt Vniuersi Conditor, eiusdem etiam Vniuersi Conseruator esset, &, in illis etiam animantibus, post diluuium, à mortalibus laudaretur.*

Quamobrem, sicut Noë in arcam, ita omnis formæ animalia in Mundum collegit Deus; inter quæ & monstra subinde reperiuntur; quæ quia à consueto naturæ ordine, ac præsertim à matrimoniorum fine videntur aberrare, vulgò non solùm putantur contaminare pulchritudinem creaturarum, sed etiam existimantur diuinæ bonitati atque æquitati minùs conuenire. Igitur isti laborem ex labore serunt, dum mala & pati coguntur, & malè patiuntur; atq; idcirco in omni, vt prouerbio fertur, fabula Dædali execrationem admiscent. Sed humi serpunt isti, neque mentem ad diuina attollunt, vt cognoscant, quàm sapientes sint cælestis Architecti cogitationes, quàm iusta consilia; quæ norunt etiam his ipsis Mundo quisquilijs ornatum conciliare, hominiq; stimulum admouere, ad diuinam maiestatem cum timore & tremore venerandam.

Itaq; non certatur de oleastro, non de nugis, aut corollis, quando de MONSTRIS *aut* MONSTROSIS *agitur; ipsa diuina judicia in trutinam veniunt, ipsa Numinis laus & gloria diuulgatur & amplificatur, quando eiuscemodi opera ducuntur in quæstionem. Semper enim altissimæ prouidentiæ, justitiæ, aut misericordiæ latentis vena deprehenditur. Hinc multis sacræ paginæ locis hæc meditatio præscribitur:* Auscultа hæc,

Iob:

Iob: sta, & considera mirabilia Dei. *Et ad Tobiam eiusq; familiam, valedicens Angelus ait* · Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. *In celebri quoq; illa Dauidis musica istud carmen canebatur*: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius. *Iterumq;*: Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare eius. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos. *Apud Esdram quoque*: Dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouisti enim quia superbè egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die. *Quin & Dauid ipse*: Memento mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & judicia oris eius. *Deniq; ne longum faciã, ipse rex Nabuchodonosor, ex hoc* MONSTRORVM *censu cætuq; liberatus, mentiq; restitutus, quasi de profundo somno euigilans dixit*: Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est, qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni: & figura mea reuersa est ad me: & optimates mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi, Nunc igitur

Iob. 37. 14.
Tob. 12. 20.
1. Paral. 16. 8.
Ibid. v. 23.
2. Esdr. 9. 10.
Psal 104 5.
Dan. 4 31.

ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

Hunc fructum è MONSTRIS & MONSTROSIS *decerpere mens est; hinc* Monstra Deûm refero.

Attonitum monstris vulgus, *si curiositatem hũ non satiat, sciat, me delectum, non numerum quæsijsse. Haud enim ignoro Conradi Lycosthenis copias; haud nescio ostenta Iulij Obsequentis; neq; mihi ignota sunt monstra Arnaldi Sorbini, quæ à temporibus Constantini huc vsq; ortum habuerunt; aut centuriæ quas Schenck in obseruationibus Medicis collegit; vel quæ Martinus Weinreichius, de ortu monstrorum Lypsiæ An. 1505. edidit; neq; Alcoranus Turcicus Schweickheri Norinbergici, qui plenus est monstris. Habent isti plurima, quæ ego omisi; sed & ego pleraque discutio, quæ neque illi attigerunt.*

§. X.

TOMI TERTII PARS PRIMA, A CAPITE PRIMO vsque ad decimum octauum, cur, & quid de Dititijs & Paupertate agatur?

Verè rectèq; Iudex vocatur Mundi Gubernator. Talem
Psal. 7. 12. *eum omnes agnouerunt sapientes.* DEVS iudex iustus, fortis & patiens, numquid irascitur per singulos dies? *ait regius Psaltes. Iudicat Deus in cælo, judicat in terra. Hinc*
Psal. 49. 6. *dicitur:* Et annuntiabunt cæli iustitiam eius, quoniam Deus judex est, *qui superbum Angelum inde deiecit. Hinc*
Psal. 67. 6. *in laudes eius excitantur terrigenæ illis verbis:* Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum, *quos iniqui oppressum eunt.*
Eccli. 35. 15. Noli inspicere sacrificium iniustum, quoniam Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ. *Et*
Isa. 33. 22. *Isaias ait:* Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. *Ieremias quoque ita loquentem*

inducit:

inducit: Ego sum iudex, & testis, dicit Dominus. *Vt alios quàm plurimos omittam, Paulus* Iudicem omnium DEVM *nominat.* Ierem. 29. 23. Hebr. 12. 23.

Datur autem illi hic titulus ob varia iudicia illius. Nam & Angelos in cælo, & primos parentes in paradiso, & omnes homines in hoc Mundo, & defunctos post hanc vitam judicauit; judicaturúsque est omnes aliquando creaturas intellectu praditas, in publico totius Mundi theatro. Hæc judicia enumerauit etiam D. Augustinus, exposuitq; illis verbis. Idcò, cùm diem iudicij Dei dicimus, addimus vltimum, vel nouissimum: quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit, dimittens de Paradiso, & à ligno vitæ separans primos homines peccati magni perpetratores: immò etiam quando angelis peccantibus non pepercit, quorum princeps homines à seipso subuersus inuidendo subuertit, proculdubio judicauit. Nec sine illius alto justoque judicio, & in hoc aëreo cælo, & in terris, & dæmonum, & hominum miserrima vita est erroribus ærumnisque plenissima. Verùm, etsi nemo peccasset, non sine bono rectoque judicio Deus vniuersam rationalem creaturam perseuerantissimè sibi domino suo cohærentem in æterna beatitudine retineret. Iudicat etiam, non solùm vniuersaliter de genere dæmonum atque hominum, vt miseri sint, propter primorum meritum peccatorum: sed etiam de singulorum operibus proprijs, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones, ne torqueantur, precantur. Nec vtique iniustè vel parcitur eis, vel pro sua quiq; improbitate torquentur. Et homines plerumque apertè, semper occultè luunt pro suis factis diuinitus pœnas: siue in hac vita, siue post mortem: quamuis nullus hominum agat rectè, nisi diuino adiuuetur auxilio: nullus dæmonum agat iniquè, D. Augustin. lib. 20 de ciuit. cap. 1.

iniquè, nisi diuino eodemque iustissimo DEI judicio permittatur. Sicut enim ait Apostolus: Non est iniquitas apud Deum.

De primis illis Dei judicijs alibi jam disserui; de vltimo, Deo dante, vti & de particulari vniuscuiusque, post obitum judicio, breui aliquot libri sequentur: de medijs autem sex jam partes dedi, seu duos tomos, in quibus ostendi, ad Conditorem Mundi pertinere, vt, quod sapientissimè fabricauit, idem prouidentissimè conseruet, summaq;, & justitia, & bonitate gubernet, nulla Dea, quam vulgus Fortunam *vocat, partem regiminis vsurpante, nullis* Casibus, *nullis* Sortibus, *nullo* Fato, *ei quidquam præscribente, aut sceptro eius manum injicien-te. Itaque tunc præcipuè verum est,* magna negotia magnis adiutoribus egere, *quando ad immensam potentiam venitur. Vnde conficitur, nihil fieri sine Deo. Quod si ita est, vti esse fatentur omnes sapientes, rursus necesse est, omnia, quæ in Mundo hoc fiunt, non fieri nisi Deo perspicacissimè vidente, prouidentissimè disponente, sapientissimè ordinante, justissimè*
Sap. 7. 24. *immittente, vel æquissimè permittente.* Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula DEI maiestatis, & imago bonitatis illius. *Itaque demonstrandum fuit, quo modo hæc in* Mundo, *&* partibus Mundi *magni vel bonitas, vel maiestas reluceret; qua ratione item, in paruo mundo, seu homine, ac propagatione illius (quæ legitimè non nisi per* matrimonia *contingit) cerneretur, cùm* fausta *quædam, quædam* infausta *esse videamus. Deniq; num* Monstra, *quæ sunt quidam naturæ errores, & ipsa Numinis bonitatem atque æquitatem commendent.*

Hæc

IV.

Hæc omnia vel in vno Iobo, viro simplicitatis generosissimæ, tamquam in quodam diuini artificij compendio, mortalibus agnoscenda proposita sunt. Quamquam neque hæc ipsa omnia sint, quæ in diuinorum judiciorum thesauro spectari possunt. Longè plura maioraq; restant, vel in ipso quoque Iobo consideranda, in quibus vtiliter scrutandis materiam habet humana admiratio. Nam præter Mundum Mundiq; partes, & incolas earum, multa sunt, quæ hominibus accidunt, non sine nutu diuino, nec tamen perspicuam videntur habere causam, ob quam diuini judicij bonitatem, aut æquitatem possimus prædicare. Sunt enim in Mundo opes, *&* paupertas; *est* copia & inopia; *sunt* deliciæ & fames; *sunt* dignitates & infamia; *sunt voluptates &* dolores; pax & bellum; sanitas & morbi; vita & mors. *Deniq;* si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? *ait Propheta. Cur igitur opulentissimus Iob ad incitas est redactus? cur eum hostes spoliauerunt? cur de opiparis opsonijs, vino, ornamentis, maximis optumitatibus ad simum deiectus est? cur ignominijs, morbisque oppletus? Nonnè hæc omnia ei tormenta Orcus admonere non potuisset, nisi obtenta à Deo potestate? An quia hæc patitur Iob vir iustus, ideò Deus est iniustus? nequaquam; sed in his omnibus summa æquitas, summa bonitas, summa sapientia continetur.* Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. *Sed à paupertate ordior, quam fames, & despicientia, & plura mala comitantur; vt inopes primo statim in limine reperiant diuinæ prouidentiæ templum, discántq; ferendo vincere, quod ferendum est.*

Amos 3. 6.

Sap. 7. 13.

V.

Refert Guilielmus Parisiensis hanc ex Æsopo, de arundine & quercu fabulam. Quercus vehementia venti confra-

Guilielm. Paris. lib. de de morib. c. 3.

cta fuit, arundo verò illæsa permansit. Admirata igitur quercus confractionem suam, & euasionem arundinis, interrogauit arundinem qualiter hoc factum esset? & respondisse fertur arundo: Quia tu præsumens de fortitudine tua voluisti resistere vento, qui fortior erat te, sicut manifestè ostendit confractio, ego autem cessi humilians me, & sic euasi. *Eadẽ fabula extat apud Rufum Festum Auianum, vbi canna humilis quercui delapsæ & caussam sciscitanti, cur tam placidè se in suo statu contineret?*

Stridula mox blando respondit canna susurro,
Seque magis tutam debilitate doceo.
Tu rapidos (inquit) ventos, sæuasque procellas
Despicis, & totis viribus acta ruis.
Atqui ego surgentes paulatim demoror Austros,
Et quamuis leuibus prouida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.

Hoc volo, vt qui aduersis afflantur ventis, discant se submittere, non opponere. Præstat flecti, quàm frangi; & pati, quàm mori. Quamquam apud quos virtus radices egit, immoti perstant. Nam, vt D. Cyprianus scripsit, Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur.

S. Cyprian. serm. 4. de mortal.

§. XI.

TOMI TERTII PARS SECVNDA, A CAPITE decimo octauo vsque ad quadragesimum primum. Cur, & quid de Honore hîc disputetur? qui dignis & indignis; iustè vel iniustè; Deo semper justissimo, datur, negatur, violatur.

Sæpè multúmque suis tragœdijs antitheta inserebat Agathon. Ea cùm quidam velut emendaturus ex dramatis ipsius tollere vellet: Tu verò, vir magne, inquiebat, non animaduertis, sic delere te in Agathone

Aga-

Ælian. l. 14. vvaiar. c. 13.

Agathonem? Adeò his delectabatur, vt ea suam tragœdiam efficere putaret. *Censuit diuina sapientia idem sibi faciendum, cùm mundum hunc conderet, susciperetq; gubernandum. Nam siue naturam consideres, siue mores inspicias, nihil ferè inuenies, nisi* antitheta. *Opponitur enim frigus calori, & calor frigori, siccitas humiditati, & humiditas siccitati: quæq; his prædita sunt elementa, inter sese pugnant, extinguit enim ignem aqua, & aquam ignis dissoluit in vaporem. Perpetua est vbique varietas & vicissitudo. Iam feruet æstas, jam riget hiems, aliàs ver floribus ornatum effert caput; aliàs Autumnus triumphat fructuum vbertate. Nox & dies, lux & tenebræ semper alternant vices. Nec ipsum cælum sibi semper constat, nunc enim serenum est, nunc nubilum; nunc luce terras, nunc imbre perfundit.* Hæc antitheta *qui è mundo tollit, mundum ipsum tollit, & diuinæ gubernationis sapientiæ manus injicit violentas.*

Idem videre est in moribus & casibus humanis. Enimverò, *ait S. Chrisostomus*, misericors Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas: sed tum de aduersis, tum ex prosperis vitam justorum quasi admirabili varietate contexit. Quod hic quoque eum fecisse considera. Videndo quippe S. Ioseph grauidam Sponsam, in conturbationem incidit maximam: sed adfuit repentè Angelus, timorem prorsus extinguens. Deinde videns Puerum natum, maximâ exultatione repletus est, sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cùm tota vtique ciuitas turbaretur, ipse rex fureret, & ad necem puerum quæreret. Sed & hunc mœrorem alia rursus lætitia sub secuta est, apparitio videlicet stellæ, & adoratio magorum. Post hanc quoque iucunditatem

S. Chrysost. hom. 8. in Matth.

iterum periculum, iterumque formido. Quærit, inquit, Herodes animam Pueri, & fugere necesse est, & in longinquum transire. *Hæc* Antitheta *Iosephus, hæc Dei mater, hæc ipse Christus habuit, quæ si quis deleret, in Iosepho Iosephum, in Maria Mariam, Christum in Christo deleret: quem non minùs mons Olueti, quàm Thabor; ignominiosa crucifixio, quàm gloriosa resurrectio clarificauit. Et in fabulis Vlyssem, Æneam, ipsum denique Herculem, non tantùm victoriæ, sed etiam pugnæ ac prælia illustrauerunt. Sæpiusq; nominantur Herculei labores, quàm Herculeæ voluptates. D. Gregorium certè Nazianzenum illum adhuc iuuenem Athenis abeuntem, etsi alioqui castum atque sapientem, tamen longè fecit celebriorem fortuna tristis, quàm iucunda. Nam sæuissima tempestate maris iactatus, se vouit Deo seruiturum. O quàm multi ad cælum non currerent, nisi in terris iactarentur!*

Gregor. Presbyt. in vita S. Greg.

Sunt igitur non tantum in mundo antitheta, *sed etiam prosunt. Alij summo loco nati, natalibus suis digna faciunt, Alij terræ filij emergunt, & obscuro sanguini clarum nomen pariunt. Quosdam diuitiæ extollunt; quosdam inopia reddit industrios. Quin plerumque vel ipsa fames alioqui malesuada, ad Deum citiùs mortales adduxit, quàm saturitas. Difficulter sunt sine Venere, qui colunt Cererem & Bacchum. Rarò à Numine petunt* panem quotidianum, *qui ineunt conuiuia quotidiana. Vt ergo falco, ex alto aëre, redit ad manum aucupis escam ostentantis; ita homo, cui alimenta desunt, currit ad Deum, sicut prodigus ille dicens:* Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo! Surgam & ibo ad patrem meum. *Fames igitur orta in regione illa eum ad patrem reduxit, quem abundantia in petulantiam luxurians allexerat, vt in regiones longinquas proficisceretur. Quod ergo vel diuitiarum, vel escarum defectus in decantissima illa Ruth effecit, vt benignissi-*

Luc. 15. 17.

mo

mo Booz conciliaretur; id etiam sæpe præstat defectus honoris, iuxta illud: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. *Quamobrem etiam* Honor & Ignominia; Decus, & Dedecus; Fama & Infamia; Gloria & Humilitas *sunt inter ea* antitheta, *quæ hunc Mundum & iuuant, & ornant. Quod vt de* honore *facile est credere, ita pauci intelligunt, quomodo* ignominiæ *atque humilitati conueniat. Qui mihi proinde in hac parte sunt instruendi. In qua quatuor conabor præstare. Primum est, honorem meritis rectè à Deo conferri; alterum, ijsdem etiam non iniustè ab eodem auferri: tertium quosdam ignominiâ dignos iure ignominiâ notari, ac proinde conqueri non posse: quartò, alios honore dignos ipsam ignominiam omnibus honoribus anteferre; qui exemplo suo refutent illud Satyrici:* Psal 82. 17.

An erit, qui velle recusет
Os populi meruisse? Pers. satyr. 1.

Refutauit autem ipse Christus luculentè, Tanta est quippe humanæ humilitatis vtilitas, *ait S. Augustinus*, vt eam suo commendaret exemplo etiam diuina sublimitas. Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. *Neque tunc tantùm fugit, sed à prima ætate etiam, in stabulo pecorũ, non in palatio principis, nascens; vilissima quæque exercens; non cum satrapis, sed inter piscatores versans, & moriturus denique linteo se præcingens missaq; in peluim aqua, pedes discipulorum, & inter eos Iudæ quoque proditoris abluens. Quam virtutem vt discipulos suos doceret, illam facto suo coronidem adiecit:* Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *S. Ambrosij verba accipe:* In Euangelio, Dominus Iesus docens virtutem atque insigne patientiæ, ait: Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram: Vult enim

S Augustin. tract. 55. in c. 13. Io.

Io. 6. 15.

Io. 13. 15.

S. Ambros. serm. 10. in Psal. 118.

 disci-

discipulos suos & iniuriarum esse patientes, nec referire facilè, ne dum referire potens iniuriam faceret, iudicium humilitatis non exhiberet. Patientia enim humilitatis indicium est. *Itaque duo docuit cæleſtis Magiſter, & abiecta amare, ſi contumeliam patiaris; & glorioſa non quærere, ſi rem præclarè geras. Primum Dauid quoque fecit, alterum multi alij.* De Dauide S. Gregorius: Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſeſe ſub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum ceteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus egerat fortia. Quid de eius factis ab alijs ſentiatur, ignoro, ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe hoſtes ſubdidit, ſaltando coram Domino ſemet ipſum vicit. *Hoc de primo.*

S. Greg. lib. 17. Moral.

Alterum in pluribus demonſtrat Chryſoſtomus in hunc modum. Nolimus extolli, ſed nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Nam ſi te quidem dixeris probabilem, licet probabilis exiſtas, inutilis factus es; ſi verò te nominaueris inutilem, factus es vtilis, licet ſis improbandus; propterea meritorum obliuiſci neceſſarium eſt. *Et infrà.* Nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm, poſtquã omnia benevolè miniſtrarint, nihil magnum feciſſe ſe cenſent. Itaque ſi tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes, & magna nunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: & propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus dicens: Non ſum dignus vocari

S. Chryſ. hom. 8. Luc. 17. 10.

Matth. 8. 8.

Apo-

Apostolus, est propter hoc omnium primus factus. Itidem & Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, & ideò amicus quoque fuit sponsi. Et manum, quam dixit esse calceamento indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat: Exi à me, quia peccator sum, Domine, & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare. Hoc est totius sapientiæ principium; *quod discere, difficile, sed vtile ac necessarium est; multoq; honestius, quàm strumam dibapho tegere; aut asinum vestire pelle leonina.* 1. Cor. 15 9. Matth. 3. 11. Luc. 5. 8.

§. XII.

TOMI TERTII PARS TERTIA, A CAPITE QVADRAgesimo primo, vsq; ad Quinquagesimum quintum, Quid sit Talio, aut lex Talionis, seu mensura metiens & remetiens tam benè, quàm malefacta?

Iudiciorum DEI justitia clarissimè elucet etiam in retributione, & vel præmij, vel supplicij paritate. Quam & in re, & in imagine frequenter intuemur. Puerorum ludus est, vt trabi transuersam trabem asseremué imponant, æquato pondere ita libratum, vt neque hinc, neque illinc prægrauetur. Insident deinde in extremo vtrimq; lusiri, atq; alternis vicibus jam hac, jam illa parte emergunt, & in altum leuantur; ita vt vicissim quoq; premantur, & ad terram vsq; descendant. Ad hunc modum, dum se se mutuò jactant, & qui alterum ascensurus præsit, & qui descensurus alterum in altum extulit, paria faciunt, & paria patiuntur. Ludus iste imago est diuinæ non solùm sapientiæ, sed etiam æquitatis & justitiæ, quæ de se ipsa loquitur: Cum eo (Mundi Conditore) eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum. *Quid enim* Prou. 8. 30.

enim memorato puerorum ludo similius est, depressos efferentium, & elatos deprimentium, quàm illud, quod Seruator effatus est; Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur? *Nominatim autem:* Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes. *Nimirum superbia, quæ vsq; ad Dei contemptum ascendit, & deprimere vult ipsam diuinitatem, meritò digna judicatur, quæ sit vicissim deijcienda. Quo pacto Lucifer summa affectans, ad ima est præcipitatus; solio suo excussus, qui ambiuit alienum.*

Matth. 23. 12. Matth. 11. 23

Hanc talionem etiam Ethnici agnouerunt, apud quos non nemo interrogatus, quid Iuppiter in cælo rerum actitaret? respondit: ALIOS ATTOLLIT, ALIOS DEPRIMIT, *nulla vtique iniuria; & sæpe non alia de caussa, quàm vt par pari reddat. Quo judicio sapientissimi quiq; alios & deterruerunt à maleficijs, & ad benefaciendum impulerunt. Apud Comicum fictus Tyndarus Hegioni sic loquitur.*

Plaut. in Captiu. Act. 2. scen. 2.

Tam ego fui ante liber, quàm gnatus tuus.
Tam mihi, quàm illi libertatem hostilis eripuit manus,
Tam ille apud nos seruit, quàm ego nunc hîc apud te seruio.
Est profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditq;, & videt.
Is, vti tu me hîc habueris, proinde illum illic curauerit.
Bene merenti bene profuerit, malè merenti parcerit.

Quod plerumq; viuis à Deo euenire, compluribus exemplis docebimus, hoc tractatu. Quin & mortuis contingere sacra Machabæorum historia ostendit in Iasone, qui insepultos multos abiecerat, ipse *igitur*, & illamentatus, & insepultus abijcitur,

2. Machab. 5. 10.

citur, sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participans.

Quia autem, apud multos, mores leges perduxerunt jam in potestatem suam, *ipsi mores pro legibus habentur. Vnde alios jubere facere videmur, quæ ipsi à nobis facienda judicamus. Igitur & alij vicissim cupiunt nos pati, quæ ipsi à nobis patiuntur. Ac, teste Ausonio, Pittaci est dictum:*

Pareto legi, quisquis legem sanxeris.

Et Lactantius, Quicumque, *ait,* dat præcepta hominibus, ad vitam moresque fingit: aliorum siquidem bona sunt, quæ præcepit: at ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum: ne, si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahat, leuioremq; doctrinam suam faciat, si reipsa resoluat, quod verbis nitatur astringere. Cùm igitur quis non faciat, quæ præcepit, quæ insolentia est, vt homini libero imponere velit leges, quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exempla, quàm verba. Quia loqui facile est, præstare difficile. *Si igitur eadem exemplo docenda sunt, quæ docemus verbo, quis non videt talionem? de qua Christus ait:* Omnia, quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. *E diuerso autem, quæ non vultis vt faciant vobis homines, nec vos facite illis. Non graue est docere, non difficile mandare, non arduum leges condere; sed opere facere, quod docetur sermone; & exequi mandata, ac parere legibus, hoc opus, hic labor est. Et tamen æquum est. Hinc Seruator ait:* Qui soluerit vnũ de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorun: qui autẽ fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Nimirum ob seruatam sermonis & operis talionem.*

Lactant. lib. 4 diu. instit.

Matth. 7. 12.

Matth. 5. 19.

Tales doctores ac Legislatores fuêre etiam ex Ethnicis multi, immo & Reges. De Alcamene Telecri filio scribit Plut-

archus, eum interrogatum, cur munera à Messenijs oblata recusasset? respondisse: Quoniam si recepissem, cum legibus pacem habere non poteram. *Hoc responso relato, subiungit Plutarchus:* O mentem rege dignam, quæ magno obuioq; lucro legum authoritatem antepoſuit! Et vbi sunt interim, qui clamant: Quod Principi placuit, legis vigorem habet? *Et*, Principem dare quidem leges, at non teneri legibus? *Putarunt autem multi, eum teneri. Hinc in filijs, immo in seipsis, quod in alios statuerunt, seruari voluerunt. Tennes Tenediorum rex, ex maris periculo seruatus, in quod ob falsam adulterij suspicionem proiectus erat à patre, legem tulit, vt quisquis adulterum deprehendisset, eum securi trucidaret. Deprehenso verò filio ipsius, rogatus rex, quid faciendum esset? respondit,* Lege vteretur. *Ob hanc causſam in altera parte numismatum suorum securim insculpsit, in altera viri atq; mulieris factem ex vno collo dependentem. Quàm pauci nunc tales parentes inuenirentur? Enimuerò inuenti sunt olim, qui legibus vt satisfacerent, neq; filijs, neq; sibi ipsis pepercerunt. Nihil illis iustitiæ exemplis fortius.* Zaleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtiliſſimis legibus munita, *ait Valerius*, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundùm jus ab ipso custoditũ, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnauit: Ad vltimum precibus populi euictus, suo priùs, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtrique reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem, & justum legislatorem partitus. Sed aliquanto Charundæ Thurij præfractior atque absciſſior justitia. Ad vim & cruorem vsque seditiosas conciones ciuium pacauerat; lege cauendo, vt si quis eas

Valer. Max. lib. 6. c 5. n. 3

eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur. Interiecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subitò indicta concione, sicuti erat, in eam processit; ab eoque qui proximè constiterat, soluta à se legis suæ monitus; Idem ego illam, inquit, sanciam, ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. Cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere; pœnam tamen repræsentare maluit, ne quæ fraus iustitiæ fieret. *Simile quiddam de Diocle memorat Diodorus. Et quamuis meritò præfractior hæc atque absciſſior vocetur justitia, immò insania se se ipsos occidentium; ostendit tamen vel imprudentium error, quàm non debeamus à nostris legibus recedere; &, quia facta, seu mores etiam sunt quodammodo leges, idē, quod alijs facimus, ab alijs expectare. Diuina igitur sapientia passim nos hanc docet æquitatē. Quam qui discit, neque ægrè fert, si mala pro malis recipiat; neq; bene alijs facere omittit, vt bona vicissim, saltem à Deo reportet. Sic pro freno pariter, & stimulo est, Legem Talionis meminisse.* Diodor. l. 13.

§. XIII.

TOMI TERTII PARS QVARTA, A CAPITE QVINquagesimo quinto, vsque ad Finem, Quàm iustas habeat Deus Bellorum mittendorum, vel permittendorum causſas?

Bella cur non passim homines accusent, optentq; finiri, quæ tot mala colonis, ciuibus, Principibus pariunt? cùm ipsi, qui se militando sustentant, tandem laboribus fatigati fractiq;, tam artificiosis mirabilibusq; modis, legantur missionem petijsse? Refert Tacitus, seditione in Pannonia orta, ac milite dimitti cupiente, Percennium ducem olim Theatralium operarum, dein gregarium militem, procacem lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctum, exercitum commouisse; & oratione finita adstrepuisse vulgum diuersis incitamentis: Hi,

inquit, verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina & nudum corpus exprobrabant. Quidam ex seditiosis, prehensa manu Ducis Germanici, per speciem osculandi inseruerunt digitos, vt vacua dentibus ora contingeret; alij curuata senio membra ostendebant, nudant vniuersi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena, aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in ijsdem laboribus, sed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem orabant. *Et apud Lucanum Poetam Iuliani milites in eundem modum lamentantur:*

Iam respice canos,
Inualidasq; manus, & inanes carne lacertos.
Vsus abit vitæ, bellis consumpsimus ævum,
Ad mortem dimitte senes.

Ad hunc modum multos etiam hodie audiuimus missionem solicitantes milites. Quòd si igitur Martij isti animi tædio Martis afficiuntur, facile apparet, quantum à bello abhorreant pacis amatores. Auersamur latrones, exterminamus prædones, persequimur piratas; non toleramus rebelles & seditiosos, quia chara est nobis securitas; hostes, qui & bona, & vitam, & omnia omnibus, quibus possunt, eripiunt, cur amemus? Et quamuis inter pares queat iusta esse belli contentio, quales sunt Reges, & liberæ Respublicæ, qui possunt esse propriè hostes; haud tamen bellum gerere possunt priuati sua authoritate, quia non sunt sui iuris, sed sub potestate Magistratus superioris. Quare capitale hoc illis esse, si attentauerunt, voluit Plato, Romani maiestatis læsæ postulauerunt. Quid multis opus est? mille causæ sunt execrandi bellum, non solùm priuatis hominibus, sed etiam viris Principibus, ac Regibus, quibus non officij ratio imponit bellandi necessitatem.

Quin

Quin & ipsis belli ducibus sæpe lachrymabiles caussæ horrorem injiciunt armorum. Vnicum illud exemplum sufficiat, quod in Commentario de vita illustris viri Bilibaldi Birckeimeri recenset Melchior Goldastus Haiminsfeldius, & ipse quoque refert in libro secundo de bello Heluetico Bilibaldus, ad commeatum ex valle Telina petendum missus. Transeundum erat Bilibaldo cum suis militibus per vicum quemdam ingentē incendio consumptum, cuius ad portā duas anus conspexit cum permixto grege puerorum ac puellarū, quasi quadraginta, quem illæ ante se, non secus ac pastor aliquis pecudes, minabantur. Erant autem omnes fame ita exhausti, ac propemodum confecti, vt nihil nisi ossa atq; pelles viderentur præ macritudine: quin inter ipsos & cadauera, nihil, præter motum ac tenuem anhelitum, quo hæc destituuntur, distabat: omninóq; erat ipsorum horribilis & teter aspectus. Sciscitanti itaque Bilibaldo, qui in hunc cœtum hominum non hominum, & viuorum ac spirantium cadauerum fortè inciderat, quò tenderent: responderunt aniculæ tremulâ atq; exili voce (vix enim ora præ mœrore, fame & lassitudine aperire valebant) breui ipsum, quò tenderent, visurum. Vix hæc protulerunt, iam ecce in pratum portæ proximum se cōferunt, & ibi in genua agminatim pro se quisque procumbunt, herbasq; & gramina pecudum brutorum more, & ritu depasci & decerpere incipiunt. Hoc solùm intererat, quòd quæ ore prono carpunt bestiæ, illi manuum ministerio euulsa humo ori admouerent. Discernere quoque iam infelici scientia & vsu grex ille puerilis didicecerat, inter salubres & noxias, dulces & gratas gustui, atque amaras & ingratas herbas: inq; primis acetosa delectabantur, quam illico præ cæteris agnitam inuola-

bant, & arripiebant. Ibi aniculæ: Vides iam, inquiunt, quò puerile & miserum istud agmen egerimus? quidúe quæsitum huc venerimus? Vides, inquiunt, vitam morte quauis duriorem? Vides turbam infelicium puerorũm, quibus erat melius numquam nasci, aut statim denasci ab vtero materno, quàm ad has tantas miserias reseruari? Vides orphanos, quorum patres hostilis hausit gladius: Matres fames ac penuria abegit: Bona in prædam conuersa & abrepta: domos & casas flammas absumptas & in cineres redactas? Nos miseras hîc commorari coegit grauis & mala ætas atq; imbecillitas: Remansimus igitur vt infelicem hanc terq; quaterq; iuuentutem instar pecoris positam agamus, & graminiuoros atque herbiuoros, quàm diu dabitur, à morte defendamus. Sed dabit Deus his quoq; finem tantis ærumnis, quibus sola mortis celeritas remedium ac solatium afferre poterit. Ea & nos, vti speramus, & istos his malis breui liberabit. Erat enim paulò antè horum numerus duplo maior. Sed ita subitò decreuit, vt ad istam paucitatem sit peruentũ, in dies singulos, aliquibus fame extinctis & consumptis, qui quidẽ celeri morte, quàm isti & nos longiore vita, multò sunt beatiores censendi. Obstupefactus primò atque attonitus hoc tam partim spectaculo, partim sermone Bilibaldus, vt pænè sui oblitus atque extra se raptus videretur, tandem in lachrymas solutus est largiter. Adeò quippe tangebatur commiseratione famelicæ atque infelicis turbæ: simul etiam indignatione commouebatur aduersus belli furorem, ex quo tales tantæq; miseriæ pullulant, atque proueniunt. Reuocabat ergo sibi ad animum, quàm verè à scriptore egregio dicta esset belli fœda facies. Meminerat quoq; versuum Homericorũ, quibus ille Sapientissimus

& maximus vatum descripsit bellorum sobolem miseriam omnimodam: qui quidem versus omnibus sæculis in admiratione fuerunt, & hîc quoque legi merentur:

Ἄνδρας μὲν κτείνυσι, πόλιν δὲ τε πῦρ ἀμαθύνει.
Τέκνα δ' ἄλλοι ἄγυσι βαθυζώνους τε γυναῖκας.

hoc est, *Cæduntur juuenes: vrbem depascitur ignis:*
Abducunt alij natos, matresq; decoras.

Quæ cùm ita sint, idem summus vatum non immeritò detestari furorem bellicum nos docet, hisce sempiternis carminibus:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὅς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

hoc est: *Extorris patriâ, sine amicis pessimus esto,*
Qui serit atq; sitit dirum & lacrymabile bellum.

Et alibi votum pulcherrimum nobis præit, hoc versu.

αἶψ' ἔρις ἐκ τε θεῶν ἐκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.

hoc est: *Rixa vtinam à cœtu Diuumq; hominumq; procul sit.*

Qui affectus in Oppiano quoque viguit, hoc eius illustri versu expressus, quem primo Cynegetico inseruit.

Οὔκ ἔρδμαι πολέμους, ὑπ' ἄρεος ἔργα κάκιστα.

Non mihi bella placent, non crudi opera horrida Martis.

Quod quidem votum tantò pluris facere & nobis commendatius habere debemus, quia & à Dauide rege, & vate Sanctissimo vsurpatum legimus, Psal. LXVIII. vbi magno cum affectu sic exclamat: *Domine dissipa gentes, quæ bella volunt.* Vnde & nobis sic facere licet:

Ah pereant quos arma iuuant, queis prælia cordi. Huiusmodi cogitationum etiam Bilibaldo materiam præbuit spectaculũ illud, quod modò commemorauimus.

Hæc eadem cogitandi caussam occasionemq; præbent multis hodie quoque tot tristes bellorum euentus. At sapientis est, non tantùm rerum exitus, sed etiam principia considerare.

Qui

Qui enim intelligit, nullum sine Numine bellum *geri*, *neque sine caussa supremam illam moderatricem Sapientiam*, Dominum Exercituum, *in diuinis litteris*, *toties appellari*; *facilè agnoscet*; *etiam in ipsis bellorum malis*, *diuinæ bonitatis æquitatem*; *atque dum clades Martias exhorrescit*, *discet*, *peccata*, *bellorum cladium q; causssas*, *detestari*. *Fuit igitur & hoc à nobis argumentum disputandum*, *vt iudicia Dei*, *quæ in hoc Mundo exercet*, *constet*, *inter vulnera quoque & sanguinis profusionem*, *& æquè in gladio*, *ac in sceptro esse iusta*. *Iustitia enim & æquitas harum quoq; calamitatum agnita*, *& homines à peccando deterret*, *& si peccata videant puniri*, *cohibet à murmurando*. *Atque hinc vera pax oritur*, *sublata animi perturbatione*. *Nam*, *D. Chrysostomo teste*, Nihil æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio, & virtutis possessio, quæ animi perturbationum internum bellum domo procul eijcit, nec permittit, vt homo cum seipso seditiones agitet. Sanè, si hac pace non fruatur, etiamsi sit extrinsecus summa pax, etiamsi nullus eum hostis inuadat, est omnium, qui viuat in terris miserrimus. Neque enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Iudi, nec Mauri, nec quæcumque sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerunt, quàm improba ac nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, & quæ non castigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium. Quòd autem, quæ intus nascuntur, sint ijs, quæ extrinsecus inuadunt grauiora, hoc licet videre in omnibus. Etenim & ligni naturam vermis, qui est intus, magis corrumpit; & vires sanitatemque corporis morbi, qui intus procreantur, plus lædunt, quàm qui extrinsecus adueniunt; & ciuitates non tam externi, quàm interni hostes perdunt. Sed si quis timorem Dei habens perturbationes animi sedauerit, is purissima, & altissima pace perfruetur.

S. Chrysost. in Psal. 4.

TOMI

§. XIV.

TOMI QVARTI PARS PRIMA, A CAPITE Primo vsque ad duodecimum. De miserijs humanæ vitæ, inter quas non est postrema Fames.

Inter maximè admiranda est, vitam humanam, tot ærumnis miseriisq; refertam esse, & adhuc diligi. In caussa est, quòd, sicut in verminosis fructibus, externum dumtaxat colorem ac superficiem intueamur, neglectis rerum medullis. Pomum putredine exesum, aut nucem cassam numquam emeremus, nisi, quæ primo aspectu occurrit species, nos falleret. Itaq; jucunditates tantùm vitæ nostræ æstimamus; acerba passim intermixta, tamquam mala, quà possumus, fugimus: non, quà possumus, perpendimus; quæ tamen & ipsa, tamquam ad animæ nostræ salutem vtilissima, etiam atque etiam quotidie considerare deberemus. Ostendunt enim nobis, quid simus, & stimulos subdunt, vt eò mentem mittamus, vbi nullæ sunt calamitates, nempe ad veram in cælo felicitatem.

Inter has miserias non vltimum locum tenet Fames, graue corporis malum; &, si inualescat, intolerabile. Necessarius enim est naturæ nostræ cibus; qui si desit, vita extinguitur, instar lampadis, cui oleum non affunditur. Itaque Mundi Moderator, penes quem est, quos condidit, conseruare, alios abundè pascit, alios sinit esurire. Vtriusque rei caussas habet justissimas, quæ, si à mortalibus expenderentur, profectò non minùs in inedia, quàm in abundantia, diuini Numinis prouidentia laudaretur. Nam præterquam, quòd Conditor noster, quemadmodum nobis dedit lucis huius vsuram, ita vitæ necisq; jus possidet, potestq;, quod sponte dedit, sponte rursus auferre; tamen insuper & alijs caussis monetur ad dandam nobis escam, vel subducendam.

Dudum dixit Deus: Sicut exaltantur cæli à terra, Isa. 55. 9.

sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. *Quare diuersi sunt mores Mundi, & Dei.* Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: *Deus autem ab absinthio incipit, & ad nectar ducit, seruatq; bonum vinum in finem.*

Ioan. 2. 10.

Lucret. lib. 1. de rer. nat.

Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potiùs tali tactu recreata valescat.

Sic Mundus, non vt sanet, sed vt insanos reddat, primùm bonum vinum ponit, *vinum, epulas, & crapulas ostendit, vt amatores suos perducat ad eos, de quibus dicitur:*

Ierem. 23. 15. Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle. *Deus autem diuersa via graditur, vt homines ab amore rerum caducarum absterreat, instar matris vbera absinthio linientis, vt sugere desuescat, vult nobis vitam hanc amarescere: vt aspiremus ad illam, in qua prouidus Pater filios suos* potabit torrente voluptatis. *Hinc esuriem eos sinit pati, hinc jeiunijs extenuat, quin & inedia emaciat.*

Pfal. 35 9:

Front. lib. 3. cap 4.

Alexander Magnus oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, priùs castella, quæ in confinio erant, cepit, omneq; ex his Leucadiam passus est confugere, vt alimenta inter multos celeriùs absumerentur. Ita famem induxit, & viam fecit sibi, quâ in vrbem ingrederetur. Vtitur tali strategemate etiam rex Vniuersi. Minuit commeatum, vt discamus ad Nutritorem nostrum recurrere, ac dicere:

Matth. 6. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. *Quin etiam hostes suos fame plectit, exemplo parentum; qui,*

cùm

cùm liberos immorigeros experiuntur, eũ vnum ælterúmue ferculum negant, aut etiam omninò mensâ interdicunt, ſi nolunt mores emendare. Quid ni hoc faciat ſupremus rerum Rector? Fecerunt idem ſæpe hoſtes hoſtibus; immò per hoſtes hoſtibus ſuis idem juſtus Iudex, qui Rector.

Iulianus Imperator & apoſtata, Diuûm hominumq; contemptor, cùm iam Orco maturus eſſet, per famem eò promotus eſt, cuius partim ipſe cauſſa extitit, partim alius author fuit. Perſis bellum facturus, per Aſſyriam Romanas duxit copias, & multa caſtella, vrbeſque plures, vel armis ſubactas, vel proditione deditas recepit: & temerè, vt ſors tulit, progrediens, locorum, quæ poſt ſe reliquit, & ad quæ eum reuerti oportuit, nullam curam aut rationem habuit. Quæcumque autem cepit oppida, prorſus vaſtauit: annonæ & commeatus horrea quoque partim ex ipſis fundamentis euertit, partim incendio conſumpſit. Et iter ſecundùm Euphratis flumen faciens, propè ad Cteſiphontem peruenit, *&c. Ibi* cùm inter duo maxima flumina ſe clauſum, & exercitum in ſummum diſcrimen adductum, ſi quidem manere ibi vellet; ſin autem reuerti mallet, per vicos & oppida, quæ combuſta jam eſſent, & rerum neceſſariarum penuria premerentur, eundum ſibi eſſe videret, præmijs propoſitis, milites ad equeſtris certaminis ſpectaculum vocauit. Quod cùm fieret, nauium Præfectos exonerare eas, & frumentum exercitûs omne, & impedimenta in vndas jácere juſſit, vt milites ſe ſe in ſumma rerum inopia, & in medio periculo verſari cernentes, fortes conciperent animos, & ſtrenuè in prœlio cum hoſtibus cõgrederentur. *Infeliciter res cecidit, ſuo laqueo captus eſt. Itaque iam cum copijs ſuis reditum in Romani Imperij ditionem maturabat, quando* ſenex quidam, qui vitam pro

Nicephor. li. 10. hiſt. Eccl. cap. 34.

communi Persarum libertate deuouerat, consultò vt caperetur, nostris, (*hoc est, Romanis*) occasionem præbuit. Igitur mox veluti non sua sponte captus, ad Imperatorem est adductus. Et de rebus multis interrogatus, veraque dicere existimatus, ei, vt sequatur, persuadet. Pollicitus namque est, exercitum se, quàm primùm ad Romanorum fines ducturum. Inuiam tantùm quamdam duorum, aut trium dierum itinere regionem peragrandam, cibaria, & alias res necessarias ferendas, & copias per solitudinem ducendas esse dictitans. Fraude ea atque seductione sapientis, seu potiùs Sophistici senis persuasus seductor, qui multos sophisticâ suâ arte deceperat, eundum esse, quâ senex duceret, statuit. Tridui iter progressi in locos incultos inciderunt: & viæ dux tortus, consilium suum, sua videlicet sponte, propter ciues & populares suos, se ad mortem procurrisse, cruciatusque omnes perferre paratum esse, professus est. In discrimine summo exercitus versabatur, difficultate itineris, & alimentorum penuria confectus: cùm splendida Persarum acies derepentè adest, & prœlio ingenti commisso, turbidus ventus vehementer flare incipiens, densâ nube cælum atque solem obscurat, puluerem in aërem sublatum ventilat, caliginemque & tenebras ingentes excitat. Et Persicus exercitus in nostros irruens, socios atque auxiliares secum Saracenos adduxerat. Horum aliquis (*S. Mercurium fuisse, aliunde constat*) hastâ protensâ Imperatorem grauiter vulnerat: membrana ea, quæ peritonéum dicitur, & exta omnia intrinsecus tegit, ita disrupta, vt cuspide extractâ excrementa sanguine mixta, eam sint consecuta.

Ad hunc modum fame exercitum debilitauit, impium autem

autem Imperatorem in exilium adegit justus scelerum Vindex DEVS. Eamdem plagam intentat & alijs peccatoribus ferè per omnes Prophetas. Quòd si audire nolueris vocem Domini DEI tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, &c. *(ait Moyses)* Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. *Hoc ergo judicium Numinis, & hoc supplicium famis, isto Tractatu à nobis est explicandum, vt, dum pœnam metuimus, discamus detestari culpam.* Deut. 28. 15.

§. XV.

TOMI QVARTI PARS SECVNDA A CAPITE duodecimo, vsque ad quadragesimum secundum; de miserijs, & caussis morborum.

In magnâ hominum miserijs sunt etiam morbi, quorum caussas qui nesciunt, fiunt vtique impatientes: qui autem diligenter expendunt, non solùm æquo animo ferunt, quidquid ferunt, sed etiam de ipsis doloribus suis triumphant, Deumq; ibi laudibus celebrant, vbi improbi existimant, se caussam habere, illum maledictis criminandi. Quoniam enim

cuncta hæc superûm demissa suprema
Mente fluunt,

Stat. lib. 5. Thebaid.

existimant, immeritos se pati, si molestiam sentiunt, aut, si lecto velut ergastulo alligantur. Filij autem Dei, quia superbiâ carent, facilè reos se agnoscunt, aut in ipsis tormentis

morborum aliquam inueniunt beneficij rationem. Hinc, si non lato, saltem grato animo etiam tunc prædicant Mundi Gubernatorem. Nimirum, sicut fides & canes percutiuntur,

Matth. 5. 45. *sed illa suauem conuentum, isti latratum reddunt:* ita pluit super justos, & injustos, *dum in varias cruces incidunt; sed justi vt cithara, injusti, vt bestia, resonant eiuscemodi imbribus verberati. Quod discrimen etiam S. Cyprianus animaduertens, dixit:* Ad varia carnis incommoda, & crebros corporis durosque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur, & patitur, patientia necessaria est. Examinandis autem nobis, atque explorandis diuersi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur; de ardoribus febrium; de cruciatu vulnerum; de amissione charorum. Nec aliud magis injustos discernit & justos, quàm, quòd in aduersis per-

S. Cyprian. serm. 3. de bono patientiæ.

impatientiam queritur, & blasphemat injustus, patientiâ justus probatur, sicut scriptum est: In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum atque argentum.

Eccli. 2. 4.

Vt ergo & iusti pariter animentur, & iniusti emendentur, paulò altiùs in diuinæ prouidentiæ arcana ingrediemur. Nam, qui hominem condidit, mundi opifex, quod quidem ad ipsum attinet, potiùs voluisset, ei naturam esse sanam ac bene valentem, vt & corpus vegetum, & animam tranquillam, sine omni perturbatione, facilè iucundeq; in omnibus, illi deseruirent. Qua ipsa de caussa, primos parentes nostros, in statu innocentiæ, creauit sanos; adeò, vt etiam è statu illo felicitatis, per peccatum, lapsi, longissimo adhuc tempore, in viribus firmis conseruarentur. Israëlitis quoque similis gratia contigit; annis enim quadraginta, quibus in deserto fuerunt,

Psal. 104. 37. *nemo eorum agrotauit, &, vt Dauid ait,* non erat in tribubus eorum infirmus. *Cur id factum est? nimirum, vt*

ita

ita robusti, ire alacriter in terram promissam, & cum hostibus, qui ingressum illum impedire conabantur, pugnare fortiter possent. Quis enim nescit, corporis vires ac sanitatem valde prodesse cupientibus ad æternæ Promissionis terram attingere? Ita enim in huius vitæ deserto expeditiùs progredi, & tam cum Stygijs hostibus, quàm cum vitijs animosiùs congredi; & heroica admodum facinora patrare possumus; quæ & saluti animæ, & auxilio proximorum & propagationi Ecclesiæ vehementer conducunt. Ad ieiunia enim, ad multas vigilias, ad longas abstinentias, ad ceteras corporis asperitates; item ad ministrandum infirmis, immò ad docendum, ad concionandum, ad exhortandum, vno verbo, ad corporalia & spiritualia misericordiæ opera, viribus opus est, quibus ægri destituuntur. Qua de caussa Christus, etsi reliquas Adami multas miserias suscepit, non suscepit tamen corporis infirmitates, quæ optimæ constitutioni illius non congruebant. A quibus etiam infirmitatibus sanctissimam Matrem suam, S. Ioannem Baptistam, & complures alios illustres sanctos præseruauit. Quia eos peculiari prouidentia ad magna opera vocauit. Firma valetudine, robusto corpore, sanis viribus opus erat, vt tam dura possent sustinere. Ad eumdem modum reliquos omnes roborasset benignus mundi Rector, nisi primi progenitores nostri, delicto suo aliud meruissent, omnemq; posteritatem suam coniecissent in moriendi necessitatem, cui ordinariâ lege coniuncta est, vel in ætate longâ morbida senectus, vel peiores morbi ante senectutem. S Thom. 3. part. q. 14. a. 4.

Sed non idcirco oblitus est bonitatis suæ cælestis Pater. Inexhausta illius sapientia multas habet vias, per quas ad eumdem beatitudinis finem homines perducat. Post quam peccauimus, & à recto tramite aberrauimus, per pœnitentiam nobis redeundum fuit in viam. Pœnitentiæ autem non est vnus dumtaxat modus. Adamo dictum est: Maledicta terra in Gen. 3. 17.

ra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Ad quem modum plurimi mortales, in sudore vultus sui pane vescuntur, & peccatum luunt corporis labore; Quid igitur magnis & otiosis illis dominis superest, qui neque arant, neque serunt, neque metunt, neque aliud opificium exercent? qua illi via debent pro delictis suis satisfacere? His (quia ad ludendum, ad dormiendum, ad comessandum & potandum, non magnis viribus indigent, quemadmodum fossores & malleatores) plerumque non datur via sanitatis. Itaque & istis, & multis de plebe, in viridi ætate, & denique plerisque, ante mortem, diuina Prouidentia, aliam viam per morborum patientiam prouidit. Sicut ergo quosdam Deus, per corporis labores, vult ad cælum adducere, quibus & vires corporis suppeditat: ita alios trahit ad suam beatitudinem, per infirmitatem, in qua labores quosdam spirituales exercent. Atque hoc pacto alij faciendo, alij patiendo ad cælum gradiuntur.*

Porrò vtrisq; attendendum est, ne seu morbi, seu sanitatis beneficium non agnoscant; donumq;, quod illis datum est ad diuinam gloriam amplificandam, ad eamdem obscurandam vsurpent. Robustus erat Dauid, & viribus corporis validus,

1. Reg. 17. 34. *adeò vt Regi dicere auderet:* Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, & vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. *Quorsum hæc dixit? num vt se jactaret, sicut Thraso aliquis, aut miles gloriosus? nequaquam: sed vt ad maiores labores & pericula, pro populo suo subeunda, promoueretur. Ideò subjunxit:* Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: *quod numquam domi, apud suos, prædicauerat. Apud regem autem dixit, vt*

contra

cõtra Philisthæum pugnare sineretur, hinc intulit: Erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis, *quem & ipsum interfecit, vti & alias cõplures victorias reportauit, fortitudine suâ acquisitas. In quẽ finem attendit, ne vires suas destrueret; vt quæ à Deo acceperat, ad gloriã Dei adhibere posset. Hinc, teste Basilio, dixit:* Fortitudinem meam ad te custodiam; *non dixit*, ad me, *sed* ad te: *ad tuum honorem defendendum; non vt mihi laudem, non vt nomen, non vt delectationem quæram. Qui sic valet, bene valere meretur. Qui autem ægrotat, tunc vtiliter ægrotat, si agnoscit & cogitat, se ideò doloribus premi, vt pœnitentiam agat; vt à vitijs abstrahatur; vt ad Deum, ad Diuos, ad diuina Sacramenta, tamquam ad sacram anchoram confugiat; vt per viam patientiæ, & virtutum heroicarum, quæ cum patientia coniungi solent, ad cælum eat. Ob has enim comites,* patientia opus perfectũ habet. *Vnde & pati est quoddam operari. Quod vt intelligamus, etiam hoc diuinæ Prouidentiæ, Misericordiæ, Bonitatis, & Æquitatis mysterium à nobis est detegendum.*

S. Basil. in constit. monast. Psal. 58. 10.

Iac. 1. 4.

§. XVI.

TOMI QVARTI PARS TERTIA A CAPITE quadragesimo tertio, vsque ad sexagesimum tertium; de memoria, caussis, & diuersitate Mortis.

Morbi, exitûs nostri frequentes nuntij, satis nobis indicant illud, vel ab Epicuro agnitum, contra cetera omnia aliquid tutum inueniri posse, at contra mortem omnes vrbem nos habitare immunitam. *Vbicumque simus, sub Mortis sumus imperio. Nullum hinc neq; locus, neq; tempus facit eximium. Ad mortem tendimus etiam non sentientes. Quemadmodum, qui in nauigijs dormiunt, à ventis vltrò aguntur, etiamsi id non animaduertant, quia cursus ipse impetusq; ad exitum portumq; eos defert. Sed quia, vt Menãder dixit:* Ter misera & ærumnosa vitæ natura est, & plurimis referta curis vndique, *etiam hoc ad curas ærumnasq; nostras*

Stobæus in Eclogis serm. 155.

nostras accedit, quòd cùm deceat, etiam incipientem viuere, ob oculos habere mortem, atq; ita verè Philosophari, tamen vel memoriam hanc deponamus, vel non, vt par est, exerceamus.

Plato in Phędone,

qui rectè philosophantur, *ait Plato*, mori meditantur: & mors ipsis inter homines minimè terribilis est. *Nec potest ù honestè præsentem diem transigere, qui non eum diem vitæ sibi proposuerit extremum. Hinc Poëta monet:*

Horat. lib. 1. ep. 3.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,

Martial. li. 1. epigr 36. *& alius:* Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Luc. 12. 35. *Quotidie enim nos paratos esse oportet ad discessũ ex hac vita, & nutum Domini fixis oculis expectare.* Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. *Quantum igitur nocet Mortis obliuio, tantum eius prodest memoria; refrænat enim à vitijs, & stimulus est ad virtutem. Qua ipsa de caussa diuinæ prouidentiæ consiliũ fuisse ostẽdemus, vt morti nos subijceret. Sunt sanè, qui nimis sciãt, se morituros, atq; idcirco memoriâ Mortis abutuntur, & vel naturæ Authorẽ accusãt. Quid enim?*

Stat. lib. 9. Thebaid. Cornel. Gallus in eleg.

Mille modis lethi miseros mors vna fatigat.
Omnibus est eadem lethi via, non tamen vnus
Est vitæ cunctis, exitijque modus.
Hac pueri atq; senes pariter juuenesq; ferentur:
Hac par diuitibus pauper egenus erit.

Pauper mortem venire optat, quæ non venit. Malè ergo contentus est, quòd viuere cogatur in egestate. Diues viuere cupit, & moritur; nec opibus frui potest, quas coacerauit. Ingemiscit igitur, quoties finis sui recordatur. Hoc est, quod ille

Eccli. 41. 1. *clamat:* O mors, quàm amara est memoria tua homini pacẽ habenti in substantijs suis; viro quieto, & cuius viæ directę sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibũ! O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti,

&

& qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est. *Et tamen sæpe, qui vix habet, quod edat, in vita relinquitur, vt esuriat; is autem tollitur è viuis, cuius granaria plena sunt. Ætas quoq; quæstionẽ facit, habetq; suas querelas: Nam juuenes mortem, senes vitã detestantur. Hinc Iunci illa sunt:* Communis exitus mortis, & nulla lex de ipsa, neq; certum tẽpus à dijs præscriptũ, æqualem, opinor, & juuenibus eũ reddunt, & senibus. At senex quidẽ, vbi jam antea fructũ ex bonis cepit, & diutiùs cum eis moratus est, faciliùs sustinet finem in præsentia superuenientem, memor illorum, quæ superiore tempore vidit, & cũ voluptate eis fruitus est; & veluti jam cõsecutus ea, ad quæ tendebat, animi tranquillioris est. Contrà juuenis illorum, quæ se consecuturũ sperabat, spe frustratus, in ipso ætatis flore extinguendus (nam & juuenibus moriendi necessitas incumbit) & multa suauia non expertus, & animi desiderijs nondum satiatus, eidem sorti subijcitur. *Nauigio vectis similes sunt senex & juuenis: ille velut magnũ vitæ pelagus emensus, jussu gubernatoris, ad portum libenter appellit, juuenis in medio mari propositum nauigationis terminum non assecutus, pro quo vota toties fecerat, quasi naufragio interit. Hinc Isocrates, cùm interrogasset quidã,* Quo modo viueret? *traditur dixisse:* Ita vt ille, qui jã nonagenarius mortem malorum multorum extremum censet.

Iuncus de senectut.

Sed non est malorum extremum mors malis. Post hoc malũ, æternum eos sequitur malum. Quia malæ vitæ, malus finis; *qui bonis bonus est. Vnde ergo non solùm citò, sed etiam malè alij, alij tardè, sed benè, vel in diuersum moriuntur? Sicut incomprehensibilis quædam caussa est, propter quam alij celeriùs hinc abducuntur, alij diutiùs molestæ huic vitæ miserè immorantes relinquuntur; ita difficile est ad huius rei vltimũ fontem peruenire, & pronũtiare, cur alij feliciter, infeliciter alij transeant ex mortalitate. Illud quidem constat,* Mortem pec- Psal. 33. 22. &

Psal. 115. 15. catorum *esse* pessimam, Sanctorum *autẽ* pretiosam; *sed cur alij sancti, alij peccatores rapiãtur, ad arcana Dei pertinet.* Mors certè infertur, expletis huius vitæ terminis, quos ab initio singulis justũ Dei judicium, quid cuiq; conducat, multò antè prouidẽtis, præfixit, *ait S. Basilius. Ac iterum:* Cogita, quòd qui nos formauit, & animauit Deus, propriam cuiq; animæ in hac vita transactionẽ dedit, & alijs alios exeundi terminos præscripsit. Aliũ enim diutiùs conuersari cum carne destinauit, alium verò citiùs corporis huius vinculis liberari cõstituit, secundùm ineffabiles sapiẽtiæ eius, & justitiæ rationes. Quemadmodũ carceribus incluſorum, alij quidẽ diutiùs in afflictione vinculorũ permanent, alij verò celeriùs liberantur: sic etiam animarum aliæ diu in hac vita detinentur, aliæ breuiùs, Creatore nostro prouidente nobis singulis, sapiente profundoq; consilio, quod humana mente indagari non potest, juxta mensuram cuiusq; dignitati conuenientem. Non audis Dauidem dicẽtem: Educ è carcere animam meam? Non audiuisti de Sancto, quòd soluta sit anima eius? Simeon autem Dominum nostrũ vlnis complexus, nonnè hæc verba protulit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine? Nam corporis conuersatio, ad superiorem vitam properãti, quauis afflictione & carcere grauior est. *Hæc senibus, hæc juuenibus occini possunt. Quid autem de vtrisq;, atq; insuper bonâ, vel malâ morte obeuntibus, vtiliter sit cogitandum, in hoc Tractatu nostro docebimus, vt & nos benè mori discamus.*

§. XVII.

TOMI QVARTI PARS QVARTA A CAPITE sexagesimo quarto vsq; ad finẽ de bonâ & malâ sepulturâ.

Sicut Mors ad hanc vitam pertinet, cuius est terminus, & linea vltima; *ita & sepultura, quæ, corporis, in hoc terrarũ orbe, meta est vltima, hominibúsq; vel aliqua, vel nulla; vel honesta*

honesta, vel ignominiosa; non sine justo Dei judicio obtingit. Gyraldus Cambrensis refert, in Arran insulis (in Connachlico mari) hominũ corpora non putrescere, qua de caussa etiam non humantur, sed sub dio soli exposita permanent incorrupta. Ita fit, vt homines, qui eas insulas incolunt, auos, atauos, tritauos, longamq; stirpis suæ seriem, magnâ admiratione cognoscant. Hæc si vera sunt, non opus est istis sepulchro. Alibi passim est necessitas cadauera tumulandi. Idcirco enim legimus: Sepultus est cũ Patribus suis. *Et Socratis dictũ illud memoratur:* Amicorum, & familiarium, dum viuunt, curam gerito: defunctorum autem corpora terræ commiscenda sunt, quòd hoc sit pium: non enim vnà cũ corpore sepelitur animus. *Hac ipsa de caussa morientes & olim, & nunc mandata dabant, ac dant, quæ hæredes legatariosq;, aut eos, quorũ fidem spectatam habent, vel habebant, curare volebant, è quibus præcipua sunt ea, quibus de funere cauetur. Augustum quidem certè mandata de funere suo vno, volumine complexum esse, Suetonius cum Dione scribit. Author est etiam Plinius, Cæcilium Isidorum testamento suo funerari se jussisse HS. XI. Et Cyrum vltima valetudine mãdasse quædam de funere suo, Xenophon memorat. Liuia quoq; moriens funeris curam amicis quibusdam demandauit, eodem Suetonio teste. Quin etiam testator decedẽs interdum eligebat, qui sibi funus faceret, vniq; curam corporis condendi mandabat, & ei, cui hoc munus delegabat, pro hoc, emolumẽtum relinquebat. Sic in L. Lucius, §. 1. D. de legat. 11.* A te peto, Titi, fideiq; tuæ committo, vti curam condendi corporis mei suscipias: & pro hoc tot aureos è medio percipito. *Quin plerumq; etiam testatores monumentum sibi fieri mandabãt, & legata relinquebãt. Quæ omnia significant, curam esse sepulchri sui mortalibus inditã.*

Quin pœnæ loco habebatur, si quis vel nõ sepeliretur, vel sepultus refoderetur. Apud Græcos lege cautum erat, vt qui patrimonium prodegerat, sepulchro patrio non humaretur. Herodotus

Iudith. 8. 3. Stobæus serm. 155.

Sueton. in Augusto cap. vlt. Dio li 56. Plin l. 3. c. 10.

Sueton. in Tiberio. c. 51. L. si quis sepulchrum §. funus. D. de religios. Vlp. in L. & si quis § si cui D. eo. L. Militis C. de religiosis. L. si quis ita instituus D. de condic. instit.

Alexand. ab Alex l. 6. c. 14. Herodot. li 9.

rodotus scribit, in pugna ad Plataas commissa contra Persas, quicumq; Græcorum mortem oppetiêre, omnes honore affectos esse, præter Aristodemum Spartanum, qui idcò caruit honore, quòd visus sit, occumbere voluisse, vt ignominiam, quam in turpi fuga ad Thermopylas contraxerat, elueret. Sic mortui, adempto funeris, aut sepulchri honore, puniti sunt. Enimuerò, si vel tumulati essent, sæpe in pœnam refossi. Iolas Antipatri F. Cassandri frater, Alexãdri Magni pincerna, quasi venenum Alexandro miscuisset, vt plecteretur, Olympias ossa eius projecit. M. Marcelli etiam cineres à Numidis disiecti. Quin & Sanctis ostendemus idem contigisse.

Plutarch. in Alexand.

Quid ita Deus agit? Cur alios sinit funere, tumulo, cippo, lachrymis condecorari? alios autem permittit incomitatos & indefletos portari ad sepulchrum, aut etiam insepultos feris obijci? Et, quod magis mireris, cur hominibus sceleratis concedit, vt magnificâ pompâ efferantur, & in Mausolæis splendidissimis sepeliãtur; multis autẽ sanctis & charissimis amicis suis, qui illi fideliter & diu seruierunt, omniq; & funeris, & monumenti honore digni sunt, patitur, eum honorẽ subduci; & qui templis digni sunt, illos sinit in patibulis pendulos computrescere, aut à coruis dilacerari; quod multis Martyribus euenit? An DEVM, qui viuis benignus & justus est, mortuis affirmabimus esse injustum? Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud DEVM? Absit. Rectè, prouidè, sapienter hæc fieri, & cum illis: Benè omnia fecit, dicemus, si, cum Dauide in potentias Domini introeamus, & sancta consilia eius, rerumq; causas etiam hîc meditatè teneamus. Tunc enim vbiq; timendi, amandi, admirandi, obstupescendi ansam habebimus narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Sic judtcia Numinis, quæ in hoc Mundo exercet, saltem delibasse juuat. De cuius operibus vniuersis, si nunc libeat disputare per ordinem, infinita materia est.

Rom. 9. 14.

Marc. 7. 37.

Psal. 61. 7.

Psal. 77. 4.

Lactant. lib. de opificio Dei. cap. 4.

INDEX

CAPITVM ET PARAGRAPHORVM TOMI PRIMI.

CAPVT I.

Ingressus in hoc argumentum, quo ostenditur, quocumque loco, & tempore, etiam Dominicæ Passionis, Christum, velut serpentem in cruce aspectum, magnam homini occasionem afferre, de diuinis judicijs cogitandi. Pag. 1.

§. 1. Aulici & Religiosi colloquium de imagine Christi in cruce pendentis, Num ea sit justitiæ & judicij diuini signum? 1.
2. Thermuthin aspidem ab Ægyptijs judiciorū causſa cultam & nutritā. 2.
3. Melitenses olim in eadem opinione fuisse. 2.
4. Bestias non suo ingenio, aut judicio, sed diuina vi imitti ad homines plectendos. 2.
5. Etiam Sanctos & innocētes à bestijs lædi, aut occidi. Et cur? 2.
6. Christum serpenti comparatum. 3.
7. Cur Christus serpenti comparetur? 3.
8. Christo serpenti salutari honorē esse deferendum. 3.
9. In Christo judicium bonæ electionis esse. 4.
10. In quale judiciū venerit Christus in hunc Mundum? 4.
11. Lumen à Christo allatum quo modo bonos à malis discernat? 4.
12. Christus judicatus terrorem incutit judicandis. 5.
13. Quid Christus in cruce moneat mortales judicandos? 6.
14. S. Augustinus, alijq; Sancti, quàm ex ipsa Christi passione tremendū fore olim judicem Christum didicerint? 5.
15. Cuius judicij mentionem fecerit ipse Christus in sua passione? 6.

CAPVT II.

De nomine, & diuersis generibus judiciorum, quidq; diuinus oculus significet? 7.
§. 1. Quid judicium sit, apud Grammaticos, Philosophos, Theologos? 7.
2. Iudicare idem aliquādo esse, quod secernere, damnare. 7.
3. Iudicari, actu justitiæ, nocentes & innocentes. 7.
4. Iudicare D. Basilius docet esse aliquando, idem quod discutere, aliquando idem, quod damnare. 8.
5. In Deo esse summam & judicandi & justitiæ vim, quam non semper differat in supremum judicium; sed etiam quotidie in hac vita exerceat. 8.
6. Iudicium Dei pro justitia & justa Dei gubernatione, & pro omni re quam Deus prouidentissimè facit, ac cipiendum. 8.
7. Iudiciorum diuersitas à triplici genere judicum. 9.
8. Iudiciorum diuersitas à triplici genere judicandorum. 9.
9. Iudiciorū diuersitas, apud Iudæos, à numero Iudicum, cui triplici generi, etiam diuina judicia æquiparantur. 9.
10. Iudicium Dei, tam quam regimen Dei. considerandum. 10.
11. Virgā oculatā apud Ægyptios, esse judicia Dei omnia videntis. 11.

12. Argum

12. Argum oculeum, & cælum ſtellatum imaginem eſſe Dei omnia videntis. 11.

CAPVT III.

Idem eſſe judicare, quod gubernare. Et quàm incomprehenſibilia ſint judicia conſiliaq; Dei, Mundū gubernantis? 12.

§. 1. Iudicare idem eſſe, quod gubernare, & judices fuiſſe gubernatores. 12.

2. Regimen Dei, eſſe judicium Dei juſtum, etiamſi ratio juſtitiæ homines lateat. Et cur Iudicia Dei Abyſſus vocentur? 12.

3. Iudicia Dei, quia incomprehenſibilia, ideò mirabilia fieri. 13.

4. Exempla judiciorum Dei occultorū in Iacob & Eſau, in Ioſepho Patriarcha, in cuſtodibus Petri & Pauli. 14.

5. Alia ex Euangelio exempla inſcrutabilium judiciorum Dei. Et multa inſcrutabilia eſſe; quia cognitio creaturarum multis modis cedit ſcientiæ Dei. 14.

6. Cognitionem humanam diuinæ cedere, ratione objecti. 15.

7. Cognitionem humanam diuinâ inferiorem eſſe, ratione claritatis. 16.

8. Cognitionem humanam diuinæ non poſſe eſſe parem, ratione medij. 16.

9. Cognitionem humanam diſtare à diuina, ratione moræ in cognoſcēdo. 16.

10. Cognitionem humanam diuinę poſtponi, ratione certitudinis. 16.

11. Cognitionem humanā non eſſe æternam, ſicut eſt Dei; & obliuioni obnoxiam. 17.

12. Cognitionem humanam nō eſſe immutabilem, ſicut eſt diuina. 17.

13. Cognitionem humanam nō eſſe ſimplicem, ſicut eſt ſcientia Dei, & tantùm aduentitiam. 17.

14. Cognitionem humanam eſſe tantùm ſtillam æternæ ſcientiæ. 17.

15. Ob has cauſſas meritò nos noſtrum judicium, & noſtram cognitionem diuinæ ſapientiæ ſubmittere. 17.

16. Quàm malè agant, qui contra Dei gubernationem murmurant? 18.

17. Multorum operum Domini cauſſas in altera demū vita patefaciendas. 18.

CAPVT IV.

Licitum & vtile eſſe, vt ſubinde diuinorū judiciorum cauſſas indagemus. 18.

§. 1. Iudicia Dei approbanda, etiamſi eorum ratio lateat. 18.

2. Tantam eſſe Dei bonitatē, vt ſua conſilia ſubinde ſuis amicis patefaciat. 19.

3. Beatiſsimæ Virgini Dei Matri Incarnationis arcanum patefactum. 19.

4. Qui non curiosè, ſed piè conſilia Dei indagant, quem fructū referant? 20

5. Licet cauſſam judiciorū Dei ignoremus, non tamen eum accuſandum eſſe. 20.

6. Neq; ſeminatorem, neq; Apoſtolos intellexiſſe, cur vnum ſemen huc, aliud illuc ceciderit; & tamen juſtas eius rei cauſſas fuiſſe. 21.

7. Neſciri ſæpe humanitus, ſciri diuinitus, cur quidam fines ſuos non aſſequantur. 21.

8. Cur quædam non nubere cupientes à Deo impediantur? 22.

9. Cur aliæ volentes nubere, nubere à Deo non ſinantur? 23.

10. Cur quidā Religionē ingredi optantes, id non impetrent? 23.

11. Cur alij aliud deſtinantes, ad Religionem vocentur; aut ad ſtatum dignitate carentem? 23.

12. Omnes hominum caſus à Deo, non ſine juſta cauſa permitti, quam non curioſi, ſed pij indagatores poſsint deprehendere. 24.

13. Si judiciorum Dei cauſſas non poſſumus

mus rimari, debere nos tamen eas, cum humilitate admirari. 24.
14. Petendam esse à Deo gratiam, vt eius judicia intelligamus. 25.

CAPVT V.

Scientiæ, & justitiæ fundamenta, quibus omnium diuinorum judiciorum æquitas explicatur. 26.

§.1. Chosrois machina, mundi gubernationem exprimens. 26.
2. Mundi superioris inferiorisq; & Dei per Angelorum ministeria Mundum regentis descriptio. 26.
3. Quorum vox sit, Deum non curare Mundum? 28.
4. Deũ omnia in Mundo videre. 28.
5. Nihil esse tam minutum, quod Deus non videat. 29.
6. Impijs & pijs prodesse, si cogitent, à Deo omnia videri. 29.
7. In Deo justitiam esse. 30.
8. Quotuplex, & qualis sit in Deo justitia? 30.
9. Quo modo justitia commutatiua in Deo esse possit? 31.
10. Quàm verax sit Deus, & quantam id fiduciam pariat? 32.
11. In Deo etiam esse justitiam distributiuam. 33.
12. Alexandri Scoti duplex corona, quid significârit? 33.
13. Quid Pij II. Pontificis portenderit corona? 34.
14. Quantùm homines excitet justitia Dei distributiua? 34.
15. Quantum timorem incutiat justitia Dei vindicatiua? 35.

CAPVT VI.

Ipsâ bonitate Dei Iudicia Dei fieri probatiora & illustriora. 36.

§.1. Immensam Dei bonitatem inde patere, quòd Filij sui occisoribus ignouerit. 36.
2. Deum non justitiæ, sed misericordiæ, immò misericordiarũ Patrem esse. 37.
3. Deo proprium esse, misereri, immò summam in eo esse bonitatem. 38.
4. Clemẽtiam Dei esse bonitatis eius argumentum. 39.
5. Deum ita bonum esse, vt etiam in ira sit clemens. 40.
6. Nulla re Deũ magis offendi, quàm si de misericordia eius desperetur. 40.
7. Deum homine infinities esse clementiorem, in Carpi Episcopi historia demonstratur. 41.
8. Stupenda Dei misericordia S. Gertrudi ostensa. 42.

CAPVT VII.

Miseria non videntium Deum omnia videntem. 43.

§.1. Miseria quanta sit, cæcum esse? 43.
2. Longè maiorem miseriã esse, mentis cæcitatem. 44.
3. Deum solem, solem mundi oculum cur aliqui dixerint? 44.
4. Hunc solem, qui non vident, vel vident, quàm miseri, aut beati? 44.
5. Quàm magnum sit beneficium, si cui Deus mentis oculos aperiat? 45.
6. Quibus modis impetretur, vt videamus omnia videntem: & eius rei admirabile exemplum. 45.
7. Deum erga liberales liberalem, vbiq; esse præsentem, & omnia videre. 47.
8. Peccatorem nusquam ire posse, quin à Deo videatur. 47.
9. Præsentiam Dei cognitam efficax esse remedium contra peccatum. 48.
10. Eadem præsentia, & efficacia fusiùs explicatur. 49.
11. S. Ephræm memoriâ præsentiæ diuinæ mulierem conuertit. 50.

12. Ideirco multos licētiùs peccare, quia putant se ab hominibus non videri, cùm tamen à Deo videantur. 51.
13. Allici multos ad peccandum, si putent se non videri. 52.
14. A multis ibi fidem Catholicam lædi, vbi se putant à Catholicis non videri. 53.
15. Omnis generis scelera crescere, ob absentiam aliorum, cùm tamen præsens sit vbique Deus. 53.
16. Varij modi, quibus Deus solet esse præsens, & quid ex ea consideratione consequatur? 54.

CAPVT VIII.

Deum non solùm vbique esse, & omnia videre, ac regere, sed etiam beneficentiā gratiamq; pariter exercere in mundo debere: & quis inde fructus hauriatur? 55.

§. 1. Credendum, Deum non tantùm omnia videre, sed etiā prouidere. 55.
2. Gratiam & iram, clementiam & justitiam in Deo esse simul. 56.
3. Stoicorum error, de ira Dei sine gratia, refutatur. 56.
4. Alios metu, alios spe gubernandos esse. 57.
5. Apud quos, & quid efficiat timor? 58.
6. Seueritatem misericordia temperandam. 59.
7. Iustitiæ & Misericordiæ, Timoris & Amoris harmonia. 59.

CAPVT IX.

Exempla prouidentissimæ in homines diuinæ bonitatis. 60.

§. 1. Tentatio, sollicitudo, & oblocutio hominum, pro pane quotidiano, quo modo curanda? 60.
2. Dei suos alentis exempla è diuinis litteris petita. 61.
3. S. Frontonius, spe diuinæ prouidentiæ, septuaginta viros in desertum trahit. 61.
4. Tentatio fratrum, metu famis. 62.
5. S. Frontonij, ad fame tentatos, exhortatio. 63.
6. Ex diffidentia in Deum, fames fit malesuada. 64.
7. Angelus diuitem admonet, vt seruis Dei, fame laborantibus, succurrat. 65.
8. Sollicitudo, apud homines magna, apud Deum sepe non satis magna. 66.
9. Quàm seriam sollicitudinem, in exequēdis mandatis suis Deus exigat? 66.
10. Camelorum, in summa inedia, absq; Duce, cōmeatum Dei seruis portantium, prodigiosum iter. 67.
11. Fluctuans eleemosynæ dator, miraculoso camelorum reditu, prouidentiaq; Numinis, mirificè recreatur, & confirmatur. 68.
12. Deo mancipati, Deo potissimùm curam culinæ debent relinquere. 69.
13. Sæculares quoque, escæ non nimiam debent curam habere; nec putare, tempus pœnitentiæ ad se nihil pertinere.

CAPVT X. 70.

Aliunde maximè relictos, à Deo maximè curari, ostenditur exemplis veteris Testamenti. 71.

§. 1. Nec nihil, nec omnia curare homines debere. 71.
2. Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam. 71.
3. Dei erga mundum magnum & paruum, cura monstratur. 72.
4. Vbi alij desunt, Deum non deesse. 72.
5. Lepida historia feminę, ab alijs minùs curatos, magis curantis. 73.
6. Cura Dei erga Adamum, Noë, Agar, & Isaac Patriarcham. 74.
7. Dei pro Patriarcha Iacob cura. 75.

8. Pa-

8. Patriarcha Ioseph à fratribus derelictus, à Deo adjutus. 75.
9. Israëlitæ contra Ægyptios, prodigiosè defensi. 75.
10. Ad terrã conuersos, à cælo deseri. 77.
11. Luculentum Dei, in rebus desperatis, per viduã succurrentis, exemplũ. 78.
12. Aliud in alia Heroide, quæ & Deiparę Mariæ figura fuit, in summo discrimine, miserentis Dei exemplum. 80.

CAPVT XI.

Aliunde relictorum Deo maiorem curam esse, etiã noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Passionis, & missionis S. Spiritûs mysterio ostenditur. 82.
§. 1. Status hominis in justitia originali existentis. 82.
2. Cur homini libertas arbitrij à Conditore data? 82.
3. In quanta homo mala, per peccatum lapsus sit? 83.
4. Solus Deus hominem à peccato liberare potuit. Et cur? 84.
5. Admirandum Dei pro hominibus tã scelleratis, humanam naturam suscipientis consilium. 85.
6. Incomprehensibile diuinæ bonitatis judicium esse, in mysterio Incarnationis. 87.
7. Passio Christi, & S. Spiritûs missio, quantum beneficium? 89.

CAPVT XII.

Alijs noui Testamenti exemplis, ante oculos ponitur mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit. 91.
§. 1. Beatissimam Dei Matrẽ Angelus, apud Iosephum, defendit. 91.
2. Magi, peculiari diuina cura, ad præsepe ducti. 92.
3. Christus Herodi, Petrus carceri per Angelum, ereptus. 93.
4. DEVS etiam cùm dormire videtur, pro nobis vigilat; quod exemplo, in naui, dormientis Christi, planũ fit. 94.
5. D. Catharinæ Senensi Christus maximè adfuit, cùm maximè abesse videretur. 95.
6. Hæmorrhoissa à medicis desperata ad Christum confugiens sanatur. 97.
7. Hæmorrhoissę exemplo Reliquias sacras, tamquam diuinitus salutares, esse venerandas. 97.
8. Etiam de aliorum sanctorũ veste virtus exit, quæ morbos sanat. 99.
Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Qua ratione homines sint Angeli? quia non solùm eos castitate imitantur, sed etiam eis succurrunt, docent. 1. 10. 6. & 1. 12. 1. & 1. 12. 11. & 1. 17. 6. item 1. 17. 11. seq. & 1. 18. 2. seqq & 1. 34. 5. Item. 2. 3. 10. & 2. 1. 3.

Qui præparabit viam ante te. Via Dei per quid homines ducat? 1. 25. 3. Quo modo per ambages sit recta? 1. 28. 1. Viarum error & periculum. 1. 23. 4. Viæ Dei inuestigabiles. 3. 38. 5.

DOminica III. Aduentus. Io. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas ad Ioannem.* In rebus dubijs ad Prophetas & Sanctos viros mittendũ & confugiendum esse, vnde & leprosos Christus misit ad Sacerdotes. 4. 26. 8. Consiliorum neglectus quàm sit noxius? 2. 52. 3. In rebus sacris sacerdotibus & personis Deo consecratis vtendum esse, & interrogandum. De Ephod sacerdotali, stola hierarchica, rationali, Vrim & Thummim. 1. 36. 9.

Tu quis es? Cognitionem Sanctorum multùm prodesse, & pulchram esse. 1. 6. 1. Sibi quemque, dum conscientiam examinat, aut se ad Confessionem parat, dicere debere; Tu quis es De conscientiæ terrore. 1. 37. 10. Ignorantia hominis se ipsum non noscentis. 1, 3. 5. seqq.

Et confessus est, & non negauit. De sinceritate & Politica simulatione, quæ non potest diulatere. 3. 31. 1. seq. Confessionis vis. 2. 34. 1. Confessio quæ peccatori sit necessaria? 2. 55. 1.

Quia non sum ego Christus. Neminem se debere facere eum, aut dicere, qui non est; contra hypocritas, qui sæpe à Deo mirabiliter deteguntur 3. 31. 5. seqq. Christum malè profiteri eos, qui sunt mali Christiani 4. 8. 12.

Non sum ego Christus. Non sic locuturum Antichristum, cuius nomen per numerum indicatum. 1. 36. 8.

Elias es tu? In quo S. Ioannes sit Elias, vel non sit? non aluit illum coruus & vidua vt Eliam. 1. 9. 2. & 3. 14. 2. sed incibo parno ei similis fuit. 1, 16 3. & in Zelo. 1. 37. 3. ac 3. 4. 7. item 3. 5. 2. & 3. 51. 7. Quàm vili vsus sit cibo? 1. 16. 5. Eiusdem Ioannis Paupertas. 3. 14. 3. Et Eliæ paupertas. 3. 14. 2. seq.

Propheta es tu? Cur Ioannes se Prophetam negârit? cum tamen esset, quia in paupertate illis similis, non tantùm in prædictione Messiæ. 3. 14. 2.

Ego vox clamantis in deserto. Omnes creaturas esse vocem, qua Deus ad nos clamat, nosq; ad se vocat. 1. 27. 12. Hæc vox bella non damnauit, vt quidem

dam putant. 3. 56. 8. Vox de cælo monens Mancinum. 52. 3. & 2. 52. 10. De voce prodigiosa. 2. 47. 17.

Dirigite viã Domini. Christũ esse hunc dominum, cui dominium totius mundi est traditum. 1. 5. 8. seqq. Ambagiosas quoque vias, per quas hominem ducit Deus, esse rectas. 1. 28. 1. seq. quod mirabili historia docetur. ib. Via Dei per quid homines ducere soleat? 1. 25. 3. Quomodo via Domini sit, per pœnitentiam dirigenda? exemplo Eremitæ. 1. 18. 5. Quæ pœnitentia continua, quæ non continua debeat esse? 1. 43. 1.

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Etiam sacerdotes & religiosos subinde esse Pharisæos & hypocritas, nã qui hîc Pharisæi appellantur, supra dicebantur sacerdotes & Leuitæ. De hypocritis ratione vestitus. 3. 13. 2. Hi quibus sint similes? 3. 31. 1. De hypocritica paupertate. 3. 17. 2.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? Etiam alios baptizare posse, etsi non sint Christus, cum sufficiat intentio volentis facere, quod facit Ecclesia, vt in Genesio baptizato patet. 1. 14. 6.

Ego baptizo in aqua. De baptismo triplici Philemonis. 1. 41. 15. Per baptismum monstrosus puer formam accipit. 2. 57. 3. Baptismus formam porcorum aufert. 2. 57. 4. item lepram. 2. 57. 5. seq.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Quam miseri sint, qui non vident Deum, qui non est procul ab vnoquoque nostrum? 1. 7. 1. seqq. Presentia Dei quanta? 1. 7. 9. Præsentia Dei quàm reuerentiam exigat? 1. 7. 10 seqq. Antigoni & Christi quanti facienda? 1. 15. 5.

Ipse est, qui post me venturus est. Christum esse verum Messiam, cui non competit tantùm venire ad homines redimendos, sed etiam iustitia vindicatiua iudicandos. 3. 59. 1. seqq.

Qui ante me factus est. De Christi æternitate perinde ratiocinandum, ac de vbiquitate, secundum diuinitatem. 1. 5. 1. seqq.

Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calciamenti. De dignitate, & magnitudine Christi. 3. 18. 3. Iusad honorem magni honorẽ ipsum parui faciendum. 3. 39. 1. Humilitas S. Bonauenturæ quid sit merita. 1. 15. 11. item & aliorum. 1. 15. 11. item & aliorum. 1. 15. 12. & 1. 32. 9. De humilitate, qua se Deo submittere debeant, tantò magis, qui sunt maiores. 3. 40. 1. Humilitatis caussam habet, qui iudicia Dei perpendit. 1. 2. 10. item qui Dei scientiam cum sua comparat. 1. 3. 15. Motiuum humiliationis operis exigui consideratio. 2. 56. 11. item cognitio sui. 3. 40. 16. Exempla eorum qui se etsi Sancti tamen valde humiliauerunt. 3. 15. 9. seqq.

DOminica IV. Aduentus. Luc. 3. *Anno. quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris.*

Quàm pauci anni Cæsarum, immo omnium hominum numerentur? 4. 1. 9 seq. Mauritio Imperatori anni de Imperio & vita demti. 4. 50. 5. item Phocæ. 4. 51. 2. item Sauli, Iosiæ, Leoni, VVenceslao, ac alijs compluribus. 4. 51. 4. seqq Imperare quàm difficile? 3. 23. 8.

Procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilea Herode &c. Qua prouidentia Dei fiuantur impij

Principes regnare? 4. 51. 3. Succesio Ducum & Principum in Rebuspublicis. 3. 60. 3. seqq.

Sub Principibus sacerdotum Anna & Caipha. De Principum misera conditione. 3. 28. 3. principes ob hæresin infelices. 3. 62. 4. seqq. De Principibus varijs seculo valedicentibus. 1. 26. 2. Principes quàm deceat clementia? 2. 3. 4. seq.

Factum est verbum Domini super Ioannem. De reuelationibus & instinctibus diuinis, ortis à Deo Patre luminum. 1. 7. 3. Etiam in hac vita occulta Dei quibusdam reuelari, inter quos & Ioannes. 1. 4. 2. seqq.

In deserto. Quantam Deus prouidentiam & curam habeat de ijs, qui viuunt in desertò? 1. 18. 3. seq. & 1. 16. 3. seq. Deserta terra quàm misera? 2. 18. 1.

Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ. De virtute & miraculis Baptismi Christi. 3. 14. 6. seq. & 4. 40. 11. De vi pœnitentiæ in remisione peccatorum. 1. 51. 6. seqq. Ob pœnitentiam nulli esse desperandum de salute. 1. 50. 10. seqq.

Parate viam Domini. Quo modo ad Natiuitatem Christi se homines debeant per confessionem, contritionem, & satisfactionem parare? 1. 41. 15. quomodo per eleemosynam? 1. 20. 6. In viaticum, quàm necessaria Eucharistia. 11. 41. 15.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Humiles exaltari. 1. 16. 2. Humilitatem præmiti ante exaltationem. 3. 36. 1. seq. Et glorioſiùs exaltari. 3. 39. 7. seqq. Superbos humiliari. 1. 31. 8. & 2. 50. 16. seqq. & 2. 53. 3. Nabuchodonosor quantus mòs fuerit, & quantum humiliatus? 2. 56. 11. Mons humiliatus fuit & Pharao. 2. 5. 5. Alphonsus rex mons humiliatus. 2. 4. 2. Montes humiliati in sacris litteris. 3. 30. 3. item in literis prophanis. 3. 30. 4. seq.

Erunt praua in directa. Qui etiam malis bene vtantur? 3. 46. 5. seqq. Qui vel inuiti sua bona amittunt, consolatione non carent, adeò praua fiunt directa. 3. 12. 5. Mala & bona à Deo. 1. 30. 1. Esse quædam vtilissima mala, quæ velut praua in directa vertantur. 1. 33. 8. Malas quoque vxores vtiles esse. 2. 30. 7. Mala mundi ad quid profint? 2. 2. 8. Mala faciunt, vt ad Deum recurramus. 3. 38. 8. Quædam mala putata prodesse. 3. 57. 4.

Et aspera in vias planas. Quo modo per durissima rectè eatur ad cælum exemplo Patriarcharum. 1. 25. 3. & 1. 33. 7. item Christi, Stephani, Pauli, Sidonij. 1. 40. 7. seq. 9. & aliorum Sanctorum 1. 29. 7. Per impatientiam rerum asperarum mala non tolli, sed multiplicari, sicut per patientiam complanantur 3. 39. 9. Remedia octo patientiæ. 1. 30. 5. seqq. Impatientia & patientia par lyræ. 2. 6. 1. Etiam per tentationes grauissimas, tanquã per planas vias, iri posse ad cælũ. 4. Tentatio quid sit, & quàm multos inuadat? 1. 18. 5. vti etiam S. Antonium & Gregorium. 2. 58. 30. & 4. 3. 4. per asperrimos morbos, qui votum religionis extorquent, tamquam per vias planas iri ad cælum. 1. 35. 11. Qui proinde etiam pios vexant. 1. 38. 1. Ad quid morbi prosint? 2. 46. 6. & seruant castitatẽ: 2. 57. 17.

Hinc

Hinc Morbus à S. Goare per preces impetratus. 3. 22. 5. & 4. 27. 6. & 4. 28. 8. & 4. 31. 1. seq. vtilitas morbi. 4. 2. 2. Monet vt vita in melius instituatur. 4. 27. 9. & parit varias animorum vtilitates. 4. 28. 9. seqq. & 4. 29. 1.

Et videbit omnis caro salutare Dei. Deum secundùm diuinitatem inuisibilem, in hac vita, à beatis cum summa, felicitate videndũ. 32. 2. Esse Deum incomprehensibilem. 1. 3. 2. seqq. Christum Secundùm humanitatem oculis corporeis in præsepi, & carne videri potuisse. 1. 11. 4. & per stellam innotuisse. 1. 27. 10. seq. Deus omnia omnibus adeoq; etiam salutare nostrum. 1. 13. 1. Deus est salutaris author & consolator malorum. 1. 30. 4.

DOminica infra octauam Natiuitatis Domini. Luc. 2. *Erant Ioseph, & Maria Mater IESV, mirantes super his,* Quæ mirabilia acciderint, his diebus? De mirabilibus operibus Dei. 1. 23. 10. Mirabilis Deus etiã in Sanctis suis 1. 37. 2. De Miraculis Christo testimonium dantibus. 4. 39. seqq. Mirari potuit B. V. se Virginẽ in, & post partum mansisse. 1. 21. 6. De Mariæ & Ioseph virtute, & quo modo illa à suspicione adulterij sit liberata? 1. 12. 1. Maria est fons beneficiorum. 1. 41. 4. Maria vt Ioseph suum dilexit, ita & dilexit Ioseph Steinfeldensem. 1. 13. 7.

Et benedixit illis Simeon. Ad quid inuent benedictiones? Benedictio ceruæ prodest. 1. 22. 1. Coniugum benedictiones & defensiones à prouidentia diuina profectæ. 2. 27. 3. seqq. Benedicta terra figura passuri Christi benedictionem allaturi. 2. 16. 10. Benedictio olei non culpanda. 3. 51. 10. Benedictiones salis, vini, panis &c. prodesse ad salutem animi & corporis. 4. 40. 21.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionẽ multorum in Israël. Quibus Christus sit in ruinam? 1. 41. 1. Quibus in resurrectionem? quæ per arbores indicatur. 2. 52. 10. & in iustis omnia reparabit. 2. 63. 10. seqq.

Et in signum, cui contradicetur. Signum Filij hominis Crux. 1. 31. 1. Quales contradictiones Christus sit passus & ærumnas in tota vita? 1. 11. Christus quàm à Iudæis deformatus? 2. 4. 9. 7. Est pro dæmonicaco habitus. 2. 59. 2. Christus à Iudæis spretus. 3. 1. 3. De patientia in contradictionibus quæ uincit omnia. 3. 33. 7. De contradicentibus & detrahentibus, quantum insaniant? 1. 7. 15. Quas contradictiones sint passi SS. Patriarchæ? 1. 25. 3. Quàm patienter eas tulerit Christus, Stephanus, Paulus? 1. 40. 7. seqq.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Sicut Marius gladio interfectus est, quem ipse fabricauit, ita B. Virgo à Filio patiente quem peperit, gladium accepit, qui illius animã transiuit. 3. 51. 1. & 3. 58. 1.

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Omnia patere Deo, qui per oculum, virgam vigilantem, Argum expressus est. 1. 2. 2. seqq. omnia cordium occulta Mundo patefacienda, etiam ipsa Dei consilia, sed in cælo. 1. 3. 17. immo etiam in hac vita quibusdam. 1. 4. 2. seqq. Hypocritas quoq; detegi, nec posse diutiùs latere. 3. 31. 2.

Hypo-

Hypocritarum cogitationes à Deo mirabiliter detegi. 3. 31. 8.

Hæc processerat in diebus multis. De senectute veneranda. 3. 5. 5. seqq. Vbi periculum est castitatis, nec ætati, nec fortitudini fidendum, sed cum Anna in templo & oratione identidem versandum. 2. 32. 3.

Et vixerat cum viro suo annis septem à virginitatete sua. Posse homines virginitatem, vsque ad matrimonium, immo & in matrimonio seruare. 2. 21. 5. Virgines nulla matrimonij lege teneri. per se. 2. 21. 2. Virginitatis præstantia, imitatores, hostes. 2. 21. 2. Virginitatis præmium. 2. 21. 6. Quo modo vxores in matrimonio se debeant gerere erga viros suos. 2. 1. 7. & 2. 27. 1. Et 2. 22. 4. item 2. 35. 3. ac 2. 221. Et 2. 24. 8. seq. Quantò rarior bona vxor, tanto debet esse charior. 2. 30. 6.

Et hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor. De statu viduitatis, quàm sit beatus? quàm sanctus, quàm honestus? quàm sanctas illustres feminas habuerit? 2. 44. 1. seqq. & 3. 27. 1. Vidua ab Eliseo curata. 1. 20. 4. & 3. 13. 5. Viduæ quàm sint miseræ? 1. 32. 12. seqq. Viduæ à Deo curantur. 2. 44. 8. & 2. 44. 18. De viduali castitate. 2. 44. 16.

Non discedebat de templo ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. De vidua cũ duobus minutis A vera pristinaq; religione non discedendum. 3. 60. 7. Quæ vera vidua? 2. 44. 9. Vidua Galla à S. Petro in cælum vocata. 2. 57. 16. De viduali honestate & vtilitate. 2. 16. 17. De vidua ab Episcopo adiuta. 3. 15. 5. Vidua à Philippo rege Franciæ quomodo vindicata? 4. 65. 7.

Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Israël. De Deo laudando. 2. 50. 15. De spiritualibus colloquijs. 2. 2. 12. seqq. De loquela bestiarum. 2. 52. 13. De gratijs Dei pro omnibus rebus agendis. 2. 2. 62 16.

Perfecerunt omnia secundum legem Domini. De lege Dei seruanda per obedientiam exemplo in Pado ostensum. 2. 7. 10. Lex Domini est iustitiæ instrumentum. 2. 9. 1. Leges aquarum quæ? 2. 11. 7. Apud impios leges similes sunt telis aranearum. 2. 71. 13.

Reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Quando patria curanda, vel negligenda sit? 4. 45. 7. & 4. 45. 9. Patriæ obscuritas malè Anacharsi obiecta. 3. 47. 2.

Plenus sapientia. Christum omnia sciuisse. 1. 5. 6. Crescendum esse in sapientia & scientijs sicut lux solis. 1. 7. 3. De sapientia & scientia Dei. 1. 3. 6. seqq. & 1. 5. 4. seqq. scientia Adami. 2. 22. 2. Sapientes mundi à Deo contemti. qui diuersam habet sapientiam. 1. 21. 5. An sapienti sit ducenda vxor? 2. 46. 14. Sapienti quid liceat? 2. 31. 3.

Et gratia Dei erat in illo. Scire bona non suffieit, sed velle, est gratia Dei. 1. 9. 12. Gratiæ capacior gratiæ plus accipit. 1. 41. 3. Gratia hominem eleuans calori similis. est. 1. 5. 14.

DOminica infra octauam Epiphaniæ, quæ est. I. post Epiphaniam. Luc. 2. *Cùm factus esset IESVS annorum duodecim.*

Annos

Annos noſtros, ſicut & vitam, effluere. 4. 2. 8. Alijs anni vitæ ob improbitatē deleti. 4. 48. 14. Chriſto conuenire oppoſita, vt quod ſit æternus, & ſimul temporalis, ſecundùm aliam & aliam naturam, ſcilicet humanam & diuinam: hinc etiam vita eius per proſpera & adaduerſa vices alternauit. 1. 29. 6. Duodecim annorum juuenes iam eſſe maturos, vt Deo ſeruiant, cum iam ea in ætate etiam quidam diabolo ſeruiant, vt ille à patruo ſuo punitus, 1. 15. 2. & alter ille, 1. 39. 15.

Aſcendentibus illis Ieroſolymam, ſecundùm conſuetudinem diei feſti. Laudabilem eſſe conſuetudinem peregrinationis ſacræ, & viſitandorum ſacrorum locorum, terræ ſanctæ. 2. 16. 11. Terra ſancta, quanto in honore fuerit olim. 3. 62. 1. & 2. 16. 11. De violatione locorum ſacrorum, Chriſtianis ademtorum. 3. 62. 2. Templum quomodo adeundum? 3. 32. 9. Templum adire quomodo prohibita Kunigundis? 3. 45. 8. item Eutropius. 3. 45. 8.

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. In quibus filij debeant obedire parentibus, & in quibus non? 3. 25. 2. Abſentiam filiorum ſubinde prodeſſe parentibus, quantumuis dolentibus. 2. 40. 9.

Et requirebant eum inter cognatos, & notos. Quantam parentes debeant habere curam ſuorum liberorū. 2. 39. 11. Quærendos quidem eſſe à parentibus filios, ſed non nimiùm dolendos. 2. 40. 14.

Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. Quanto deſiderio homines debeant quærere Deum? & quidem primo per baptiſmum. 1. 15. 15. deinde in SS. Euchariſtia. 1. 15. 1. ſeqq. tum per pœnitentiā. 1. 18. 5. & 1. 43. 2. & 1. 43. 6. ſeqq.

Inuenerunt illum in templo. Bonorum filiorum eſſe, in templo inueniri, quæ probitas felicitat parentes. 3. 17. 10. Templum omine bono adiri. 1. 29. 11. Templi euerſores maioribus ſuis repugnare. 1. 29. 1. Templa Chriſtianorum ſalua terræ motu. 2. 18. 10. Templa cur habeant ſphinges appoſitas? 2. 48. 15. Templorum violatores à Deo puniti. 2. 1. 7. & 2. 49. item 2. 59. 10. ſeqq.

Sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem. Magiſtros & catechiſmi doctoros à iuuentute diligenter audiendos, & honorandos. 3. 16. 5. ſeq.

Bonorum & doctorum hominum conuerſatio quàm vtilis? Socij menſæ, ſocij morum. 2. 34. 11. ſocij Vlyſſis cur in ſues verſi? 2. 60. 18.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. De prudentia & ſapientia Chriſti. 1. 3. 6. ſeqq. & 1. 5. 4. ſeqq. Quodnam ſit inter Doctorem & ſtupidum ſtultum diſcrimen? 3. 47. 2.

Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Longè digniores eſſe, vt illis dicatur hoc, qui B. Virginem eiuſq; cultum deſerunt, aut eam verè lædunt. 4. 24. 11. ſeqq. De authoritate parentum in filios, & quis illis ab iſtis honor debeatur? 3. 25. 2.

Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quo dolore & contritione quærendus sit Christus? 1. 43. 6. seqq. Penes quemnam coniugum sit Dominium, penes patrem, quem B. Virgo hîc sibi præposuit, an penes matrem. 2. 27. 1. Quantæ parentibus sæpe à liberis, & quas ob causas, cruces enascantur? 2. 40. 1. seqq Filiorum signum admonitio patris. 1. 31. 1.

Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Omnia esse Patris cælestis, tanquam supremum ius omniũ habentis. 1. 5. 8. seqq Parentes non magis audiendos esse quàm Deum. 3. 29. 4. Christum verè dixisse, de Deo, *Patris mei*, cùm fuerit ipsius pater, tanquam filij naturalis, vnde nec minor est illo, nec minore honore colendus. 1. 21. 12. seq. Filios Dei oportere tractare negotia Dei, & cruce esse insignes. 1. 31. 2. Deum etiam nostrum Patrem esse, quia plus quàm Pater nobis prouidet. 1. 20. 1. De filiorum in parentes pietate. 1. 35. 1.

Et ipsi non intellexerunt verbũ, quod locutus est ad illos. Multos sanctos non intellexisse omnia Dei mysteria, sed simplicitate sua placuisse Deo, 1 21. 14 seqq. Etiam Apostolos multa non intellexisse, à Christo dicta. 1. 4. 6.

Et erat subditus illis. De obedientia parentibus exhibenda. 3. 25. 2. Contra filia malè educata matri insignem mercedem reddit 1. 43. 5.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. De meditatione rerum diuinarum, præsertim Passionis Christi, quanta habeat priuilegia? 4. 60. 10.

Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Semper crescendum esse in bono, non tantùm apud homines, sed etiam in conspectu Dei, exemplo Christi 1. 7. 3. & 1. 2. 1. 5. & 1. 41. 3.

DOminica II. post Epiphaniam. Ioan. 2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* An licitæ sint, vel necessariæ nuptiæ? 2. 21. 1 seqq. De Matrimonij principio, fine, & substantia. 2. 21. 1. De tribus matrimonij bonis, 2. 23. 1 seqq. De varijs malis à coniuge prouenientibus 2 22. 1. seqq. Matrimonij inuiolabile vinculũ annulo pronubo significatum. 2. 29. 5. Bonus coniunx, quantum bonum? 1. 30. 5. Insolubilitas matrimonij, quid? quantum bonum? vnde? apud quos sit Sacramentum? 2. 41. 1. seqq. De insolubilitate. & solubilitate matrimoniorũ. 2. 42. 1. seqq. Coniugis morte æque ac Nuptijs gaudentium exempla. 2. 24. 3. Suspiciones adulteriorum variæ, quæ inter innocentes coniugatos nascuntur. 3. 34. 7. Cur quædam nubere nolentes, vel volentes, à fine suo impediantur. 1. 4 8. 9. In vxorem crudelis, crudeli morte punitur. 3. 51. 9. Cur Satan vxorem & linguam solam sine plaga Iobo reliquerit? 4 33. 4. Vxoris exemplo maritus ad quantam perfectionem peruenerit. 4. 49. 9.

Et erat mater Iesu ibi. Sanctorum, & præsertim Mariæ præsentia quàm vtilis? 2. 35. 2. Nec Christum nec Matrem eius adituros fuisse nuptias, si matrimonium damnârent, vt quidam hæretici damnarunt. 2. 23. 5. & 2. 23. 8.

Vocatus

Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias Vocandum Iesum ad omne negotium nostrum. 1. 11. 3. seqq. & 1. 12. 1. præsertim ad nuptias, cùm sapientia & diligenti consideratione opus sit in vxore ducenda. 2. 22. 3. & 2. 22. 7. Quanta Dei sit cura in matrimonijs conseruandis? 2. 27. 2. seq. De discipulorum seu Apostolorum Iesu inuocatione, contra serpentes. 1. 2. 14. 1. & contra dæmones. 4. 39. 9. seqq.

Deficiente vino. Omnia de quibus in terris gaudemus, deficere. 2. 20. 31. Defectus & mala matrimoniorum non esse tribuenda authori matrimoniorum. 2. 22. 9. Non solùm virium deficiens, robur sed omnia quæ in mensa apponuntur, monimenta esse mortis. 4. 44. 11.

Vinum non habent. De patrocinio Deiparæ, etiam in temporalibus. 3. 13. 6. seqq. Bonum sæpe esse, quòd homines non habeant vina, à quibus mala in authores reuersa. 3. 44. 5. Vinum subinde diluere curas & morbos. 4. 8. 2. Vini loco aqua oblata ab Augusto. 2. 6. 3. Vinum moderatè sumptum prodest. 4. 8. 2.

Quid mihi & tibi mulier? Deum, quos magis amat, subinde asperiùs tractare. 3. 16. 3. seqq. Siti quomodo etiam succurrerint per aquas Sancti? 2. 6. 10.

Nondum venit hora mea. Expectandum omnium rerum tempus, cùm aliud etiam alios homines proferat. 2. 51. 1. Nostra tempora cum antiquis collata in solatium. 3. 65. 2.

Quodcunq; dixerit vobis, facite. Quanta fiducia in Christum ob Dei compensationem accendatur? 1. 14. 4. seq. De fiducia pauperum in Deum. 1. 20. 10. Fiducia multis miraculis confirmatur. 1. 17. 4. seq. Fiducia in Deum, quàm potens? 3. 13. 11.

Implete hydrias aqua. Quanta per aquas miracula fecerit Deus? 2. 6. 5. seqq. De aquis à Christo in beneficium donatis. 2. 6. 6. & ad sitim leuandam. 2. 6. 10. Potum aquæ non negandum sitienti cum S. Emmeramo. in siti, non præbens potum, sitiens ipse insanijt, & alij simili pœna talionis puniti sunt. 3. 52. 10. seq. Sæpius vinum diuinitus auctum. 1. 17. 12. & 1. 17. 14.

Et impleuerunt eas vsq; ad summum. Quosdam in nuptijs non hydrias, sed semetipsos vsq; ad summum implere. & de ebrietate. 4. 22. 6. seqq. Vino mergi optârunt Philœni. 1. 41. 15. & Georgius Comes Clarentiæ. ib. Vinum etiam ægrota Paula Romana respuit. 4. 38. 4.

Gustauit architriclinus aquam vinum factam. Vinum ex aqua in nuptijs à Christo datum. 2. 6. 7. Sæpius aquam in vinum mutatam, & cur? 2. 6. 7. & 3. 16. 1. Vinum à Christo factum. 1. 18. 1. Item an in nocte Natiuitatis Christi id fiat, vt fontes vinum fundant. 2. 47. 20. S. Felix vineâ miraculosè reficiens. 3. 17. 13. Vuæ ab Angelo allatæ. 1. 18. 2. Vua occisus Anacreon, & Archesilaus. 1. 10. 14. Vinum à S. Lydvvina, item à Carilepho multiplicatum. 3. 11 7. Potatores peruersè hoc miraculũ imitari, dum vinum in aquam vertunt, quando hydropici fiunt ex nimio vin. potu. 4. 22. 10. seq.

Omnis homo primùm bonum vinum ponit. De Mundi fraudibus mul-

sa primò, postea absinthium ponentis in Bacchanalibus. 4. 52. 10. in nuptijs. ib. & 4. 52. 11. seq. Amara in dulcedinẽ verti Deum amantibus. 1. 19. 5. seqq. Seruorum Dei magna, Mundi parua dulcedo. 1. 18. 9.

Et cùm inebriati fuerint tunc id, quòd deterius est. Mundi gaudia in luctum, velut dulce vinum desinere in amarum. 1. 16. 16. De ebrietate adulteriorum matre. 2. 33. 1 seqq. Ebrietatis quanta sit culpa? 4. 8. quàm iusta ebrietatis pœna? 4. 8. 6. seqq. Ebrietatis mala & remedia. 4. 8. 10. seq. Inebriati, siue excæcati à mundo, quantum decipiantur, cum potari doctum fuerit causa mortis. 3. 45. 5. Vinum nudat Noëmũ, Loth facit incestum, Holofernem truncat, Assuerum incitat ad ostentandam Vasthi, ad necandum Ioannem, epulonem strangulat. 4. 5. 3. seq. Vinum inopiam infert. 4. 8. 6. Vinum cur dicatur venenum? 4. 22. 10.

Tu autem seruâsti bonum vinum vsque adhuc. Hoc Deum in Sanctis suis facere, quibus bonos dies in alterã vitam differt 4. 27. 6. & 4. 28. 8 Bonum vinum, apud nonnullos malum habere effectum. 4. 12. 6. Bibendi intemperantia plurimos ægrotare, & qualibus morbis? 4. 22. 10. seqq.

Et manifestauit gloriam suam. Miracula esse proprium Dei opus, ex quibus potuit constare de diuinitate Christi 1. 22. 10. & 4. 39. 1. seqq.

Et crediderunt in eum discipuli eius. Miraculis ad fidem conuersi. 4. 39. 5. Miracula impediuntur incredulitate. 4. 38. 8. Miraculis ad pœnitentiam conuersi. 4. 39. 6.

DOminica III. post Epipha. niam. Matth. 8. *Cum descendisset Iesus de monte.* Descendisse Christum è cælo per incarnationem. 1. 11. 4. Descendisse per humiliationem Christum. 3. 40. 16. Paucos sequi Christum per descensum, cum plerique velint ad altiora ascendere, quia honor est bonum iucundum. 3. 18. 3. & censetur maximum quid inter res humanas. 3. 19. 5. seqq. quando secundùm regulam rationis appetatur? 3. 20. 1. seqq.

Secutæ sunt eum turbæ multæ. Qui Christum sequantur in humilitate? 3. 15. 9. seqq. Qui Christum jam sequuntur in humilitate sequi etiam in exaltatione. 3. 36. 1. seq. eius mirabile exemplum. 3. 36. 7. seq.

Et ecce leprosus. Quæ sit & vnde De plaga Oziæ? 4. 28. vnde alijs, & an sit res monstrosa, ac an Iudæorum lepra fuerit eadem cum lepra nostri temporis? 1. 55. 1. seq. Christum ipsum non solũ à Propheta, sed etiam ab alijs tanquam leprosum visum. 4. 35 7. seq.

Veniens adorabat eum. Per morbos veniri ad Christum, & per orationem impetrari sanitatem. 4. 40. 9. Ad sacra, non ad diabolica remedia in morbis veniendum. 4. 42. 2. seqq. Ille rectè confidit in Christum, quia rectè credidit, at diffidentia erga Deum oritur ab infidelitate, & pusillanimitate. 4. 5. 9.

Si vis, potes me mundare. Fidem exigi de potentia Christi, vt sanitas impetretur. 4. 40. 2. seq. Fidem aliquando impetratione sanitatis acquiri. 4. 40. 6. De Sanctis, qui volentes in morbum deciderunt, vel manserunt. 4. 42. 11. seq.

ni seq. Deum cum medico, & potiùs, quàm medicum ab ægroto inuocandum. 4. 37. 5.

Et extendens Iesus manum, tetigit eum. Christum cærimonijs vtentem docuisse cærimonijs vtendum. 4 39. 1. seqq. & 4. 40. 17. De Christi leprosum sanantis potentia. 4. 26. 7.

Volo, mundare. Christum tanquam causſam principalem, per imperium scilicet vt verum Deum, diuina opera patrâsse & lepram mandâsse 2. 55. 2. Andragisinâ ipsius leprę subsidio mundam seruatam fuisse. 2. 57. 17.

Cur *mundari* dicantur leprosi, seu peccatores? quia ob peccatum homines plerumque ægrotant. 4. 23. 1. seqq. & per baptismum, sicut à peccato originali, ita à lepra sæpe sunt mandati, 2. 57. 5. seq.

Vide, nemini dixeris. Sanctos sua opera glorioſa occultare, ideò Christus dixit: *Vide, nemini dixeris.* 4. 26. 8.

Vade, ostende te sacerdoti. Quàm necessaria sit confessio peccatorum? & cur Christus leprosos misit ad sacerdotes? 4. 26. 8. Sacerdotes esse honorandos 3 27. 5. quibus honoribus, & cur coronam in capite gerant? quàm is antiquus mos? 3. 27. 6. Pœnitentiæ sacramentū etiam contra corporis morbos prodesse. 4. 40 10.

Et offer munus tuum. De liberalitate erga Deum & seruos Dei exercenda. 3 13 7. seqq. Liberalitas liberalitate compensata. 3 43 6. seqq.

Accessit ad eum Centurio. De militibus ad Deum accedentibus, per carcerem. 1. 15 13. per paupertatem. 1. 20. 6. De militis regem admonentis fidelitate. 2 4. 4. Militis vxorem corrigentis exemplum. 2. 52. 10. Domines debere habere curam seruorum suorū sed diuersorum diuersam. 2. 8. 3. & quam? 3. 26. 3. sed seruos vicissim honorem debere dominis suis? 3. 26. 2.

Puer meus jacet in domo paralyticus. Qui paralysi sint puniti. 4 24. 1. seq. Qui à paralysi probati, vt Seruulus mirè in ea patiens. 4. 42. 12.

Et malè torquetur. Dolores aliorum esse æstimandos, vt vicissim misericordiam impetremus. 1. 7. 6. & 1. 4. 2. 17. seq. & 1. 14. 3. Mala, quæ homines vtiliter exercent, non murmurationem, sed gratiam mereri, dant enim occasionem, vt alij eorum misereantur, & ad Dominum recurrant. 3. 61. 1.

Ego veniam, & curabo eum. Quàm præstans medicus sit Christus? & quàm misericors? 1. 41. 3. seqq. Misericordiarum pater Deus. 1. 6. 1. seq.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Quo modo quisque ex comparatione sui cum alijs debeat & possit humiliter de se sentire? 3. 40. 11. & De cognitione sui? 3. 40. 16.

Nam & ego sum homo sub potestate constitutus. Eos, qui sub se milites, vel alios subditos habent, cogitare debere, etiam se esse sub potestate; & timendum judicem ipsis judicibus. 1. 37. 8. Iudicis diuini cogitatio remedium est peccati. 2. 4 15. Iudex futurus è judicijs huius vitæ metuendus 3. 59. 5.

Non inueni tantam fidem in Israël. Fide tangendus Christus. 1. 12. 6. Fides non solùm aqua feruenti, sed etiam

feruenti febre probatur. 2. 8. 11. Fides scutum contra morbos. 4. 40. 2. seqq.

Multi venient ab oriente & occidente. Gratiam non esse generi & meritis, sed soli beneplacito Dei ascribendam, cùm etiam indignis offeratur. 1. 14. 1.

Filij autem regni eijcientur foras. Excelsos humiliari, nec semper per fidem omnes à morbis reddi immunes. 4. 40. 4. Filios propter peccata parentum sæpe puniri. 4. 14. 8. & 4. 27. 3.

Sicut credidisti, fiat tibi. Fidei fructus, & spei, & inuocato nomine Christi sanitatem etiam alijs impetrare. 4. 40. 6.

Sanatus est puer in illa hora. Varij modi sanitatis acquirendæ, per sanctos 2. 62. 15. & 4. 40. 8. Item per orationem, ieiunium, & eleemosynam. 4. 40. 9. seq. Item per SS. Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ inunctionis, 4. 40. 11. seqq.

DOminica. IV. post Epiphaniam. Matth. 8. *Ascendente eo in nauiculam, Secuti sunt eum discipuli eius.*

Christum etiam per maria & fluctus sequendum hoc est per tribulationes, 1. 25. 14. & 1. 31. 9. Nauigaturus cur abiecerit pecuniam? 3. 5. 14. Ecclesia nauiculæ ventis agitatæ similis. 3. 65. 2.

Ecce motus magnus factus est in mari. Quàm graues nonnulli in mari sustinuerint tempestates? exemplo Emmanuelis Sosæ. 2. 10. 2. cur Deus quosdam sinat tempestatibus iactari? 2. 10. 3. Aquam esse symbolum mortis. 4. 44. 3. Cur venti existant? 2. 10. 3. ventorum vis mira in turri euersa & rursus erecta. 2. 5. 7. ventorum potentia. 2. 5. 4. Tempestati maris quàm similia sint bella? è S. Basilio. 3. 65. 2. & 3. 66. 11. & vita humana? 2. 10. 4. seq. Cur Deus tot aduersos casus esse velit? 1. 26. 1. ventos diabolus excitat. 2. 5. 8. item & homines. 2. 5. 2. 5. 11. ventus locustas aduehens. 2. Ventus saxum subuexit. 2. 47. 6. Ventus epilepticis similes facit. 2. 23. 2.

Ipse verò dormiebat. Bonæ conscientiæ securitas inter fluctus dormientis. 3. 66. 4. Deus etiam cùm dormire videtur, pro nobis vigilat. 1. 14. 4. seq.

Et suscitauerunt eum. Simulare subinde Deum quasi dormiat, vt eum suscitemus. 3. 57. 10. De Monacho mirabili casu vtiliter suscitato è Somno. 1. 1. 25. 7. Rerum humanarum instabilitas docet nos sapere. 1. 26. 2. In malis ad Christum confugiendum. 1. 12. 4. seq.

Domine salua nos, perimus. Vbi nam spes nostra potissimùm sit ponenda? 1. 13. 1 & 1. 15. 15. seruus aquarum metu ad veritatem adactus. 2. 9. 13. A quis sua culpa puniti. 2. 8. 1. seq. conscientiæ stimulantis vis. 3. 37. 2. &. 3. 63. 2.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Non esse de diuina prouidentia dubitandum, licet Deus, quasi dormire videatur. 3. 38. 1. seqq. Quorum vox sit, Deum non curare mundum? 1. 5. 3. & in Præmio §. 1. & seqq. Tempestates seu tribulationes esse leues. 1. 31. 14. De naufragij iactura fortiter tolerata. 1. 32. 9.

Imperauit ventis & mari. Omnia elementa Deo in vtramque partem seruire, 2. 6. 2. Mare ne transeat fines suos, à Deo

à Deo terminos habet. 2. 7. 6. etiam sanctos imperâsse. 2. 7. 7. seqq. Quo modo Christus ventis imperârit? 2. 10. 3. Ventorum Dominus solus Deus, qui eis imperat. 2. 5. 7. Ventos Empedocles agni pelle pellit. 2. 5. 8.

Et facta est tranquillitas, magna, De tranquillitate & pace temporum, & conscientiarum. 3. 55. 2. seqq. Tranquillitas maris facta Iona in illud proiecto, sicut Arione, de quo. 2. 9. 3. seq. Fortunæ inconstantia miseros in spem vocat Secuturæ mutationis. 1. 26. 3. conscientiarum terror, Earundem pacem commendat. 1, 37. 10. Et quanta fit conscientiæ stimulantis vis? 3. 37. 2. & 3. 63. 16.

Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Christum esse ventorum & omnium creaturarum Dominum. 2. 5. 7 & 2. 10. 1. Ventorum vis & varietas, & effectus. 2. 5. 4 seqq. Obedientiæ exemplum in Pado ostensum. 2. 7. 10. Obedientem vxorem quo modo Socrates fecerit? 2. 22. 5. Obedientia cur præstanda etiam belli ducibus? 3. 61. 2.

DOminica. V. post Epiphaniam. Matth. 13. *Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Neque seminatores, neque Apostolos intellexisse, cur vnum semen huc, aliud illuc ceciderit, & tamen iustas eius rei causas fuisse. 1. 4. 6.

Cùm autem dormirent homines. Negligentes dormire, cum magistratus non puniunt pessimos. 3. 63. 16. & 3. 64. 1. & 3. 64. 5. Ab homine hominis malum ortum. 2. 13. 6. Homines sæpe alijs morborum suorum Causas adscribere, quorum ipsi sunt authores. 4. 22. 1. Pigritia & otio, ac somno multos marcescere, & ægrotare. 4. 22. 2.

Venit inimicus eius, Quàm vigilet inimicus noster nobis dormientibus? 2. 43. 8. & 4. 53. 6. seqq. Cur serpens formosus cum Eua colloqui permissus? 2. 13. 9. seq. Mira inimicitia Nuti famuli in Lucium dominum ac mercatorem. 3. 50. 2. seqq. Inimicus Stygius etiam per homines seminat zizania, vt nobis noceat. 4. 19. & quibus modis? ib. Quibus modis venefici hominibus noceant? 4. 19. 3. quàm sit periculosum, offendere veneficos? 4. 19. 7. seq. Insidiæ multiplices diaboli. 4. 18. 1. seqq. & 4. 19. 1. seqq. & illæ quidem per figuras, ceras, acus & clauos. 4. 19. 9 seq. summa nocendi libido, apud veneficos. 4. 19. 12. Diabolum multa per homines posse, vel facilius posse, quæ per se non potest. 4. 20. 1.

Superseminauit Zizania in medio tritici. Bona vbique malis mista esse. 1. 30. 1. & 2. 16. 1. item 2. 30. 2. & 2. 31. 1. ac 2. 39. 1. Peccato terræ maledictio inducta. 2. 13. 1. Quanta sit multitudo veneficorum à diabolo seminatorum? 3. 64. 2. Quo modo diabolus primos homines seduxerit? 4. 18. 1. Mirabiles morbi à diabolo procurati. 4. 18. 5. Quibus modis morbos in humanis corporibus creet dæmon? 4. 18. 10.

Tunc apparuerunt & Zizania, Cur in bona terra, mala bonis misceantur? 2. 16. 1. Calumniæ occultæ mirabiliter detectæ & apparentes 3. 50. 1. Quod diabolus primis parentibus fecit, facit etiam eorum posteris. 4. 18. 2. Stupenda zizania quæ de puella per puellam fascinata exierunt. 4. 19. 10.

Nonne

Nonne bonum semen seminâsti in agro tuo. Bona semina à malis corrumpi; quia Socij mensæ socij morum. 2. 34. 11. Hominem à Deo, tamquam bonum semen conditum esse, in eo statu, vt neque morbum neque mortem pati debuisset, si non peccâsset. 4. 17. 1. sicut diabolus è bonis mala, ita Deus è malis bona facit. 2. 2. 8. Bona vxor è mala an, & quo modo fiat? 2. 22. 5.

Inimicus homo hoc fecit. Quid inimicitia possit? 4. 20. 2. Hostis inimicus homo quàm multos & tristes belli effectus post se relinquat? 3. 55. 1. seqq. Bonos quidem Angelos subinde esse pœnarum nostrarum ministros, sæpius tamen id fieri, per malos Angelos. 4. 18. 3. seq. E varijs dæmonum nominibus cognosci. eos esse inimicos nostros. 4. 18. 9. Mala malè Deo imputari. 2. 22. 9.

Ne fortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum. Parci sæpe impijs, propter pios, & hinc malos bonis admixtos. 2. 30. 3. seq. etiam ipsis matrimonijs. 2. 31. 3. Pœna dilata, non ablata. 1. 5. 15.

Colligite primùm zizània, Iudicare & vindicare & vindicare DEVM omnia tempore. 1. 40. 10. seqq.

Alligate ea in fasciculos, ad comburendum. Omnia vitia in se ipsa suamque pœnam, velut zizania, retorqueri. 3. 44. 6. Zizania in fasciculos alligata simul comburi, sicut & euellentes iniustè simul peccantes simul puniuntur. 4. 20. 4. seqq. Innocentibus ignis pareit. 2. 3. 6. seq. De suppliciorum æternorum grauitate. 4. 62. 2.

Triticum autem congregate in horreum meum. E terra sancta eiectos hostes Dei, vt amici Dei eam haberent. 2. 15. 8. Horreum hoc non horrendum, sed semper aspiciendum esse. 1. 31. 16.

DOminica. VI. post Epiphaniam. Matth. 13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Paruulis, grano sinapis similibus reuelata, quæ cælata senibus. 21. 6. Grana trifici Midæ in os illata à formicis 2. 52. 12.

Quod minimum est omnibus. seminibus. Ex minimis fieri maximos. 3. 39. 8. Nihil esse tam minutum, quod Deus non videat. 1. 5. 5. seq. Maximos à minimis puniri. 2. 15. 5. & 2. 15. 10. Paruis magnam gratiam inesse. 2. 50. 4. Et magnam laudem. 2. 50. 6.

Et fit arbor. In quantam arborem excrescat multitudo veneficorum? 3. 64. 2. Paruis non insultandum cum ex illis sæpe magni fiant. 2. 62. 4. Videre eos, qui instar arboris excreuerunt, delectabile esse. 2. 50. 8. De arbore instar fontis aquam stillante. 3. 17. 16.

Ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. De mira vi hominibus in volucres cæli concessa. 2. 14. 3. De auibus ad cantum & sermonem instructis. 2. 14. 11. Volucres Sanctorum corpora custodientes. 4. 66. 9.

Simile est regnum cælorum fermento. Fermentum est Sapientum, omnem Mundi felicitatem suspectam habere, nec illi fidere; quod in exemplo Hugolini Girardesci aliorumq; ostenditur. 1. 26. 5. seqq.

Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus. Mulier qualis ducenda?

ducenda? 2. 22. 6. Quæ mulier bona? 2. 30. 6. Quæ mulier pretiosa? 2. 57. 8. Mulier laborum socia marito. 2. 22. 1.

Donec fermentatum est totum. Fermento simile esse peccatū, ob quod omnes homines se possunt humiliare. 3. 40. 9. Quanta hominibus à peccato caussa sit se humiliandi? 3. 40. 10.

Aperiam in parabolis os meum. De vtilitate parabolarum. 3. 50. 1.

Eructabo abscondita à constitutione mundi. Occulta Dei & abscondita iudicia rectè vocari, 1. 3. 3. eorum exempla. 1. 3. 4 seq. Cur Deus occulta sua iudicia sæpe non reuelet? 2. 3. 4. seq. Abscondita Dei iudicia in cœlum referuantur. 1. 3. 17. Tamen etiam in hac vita subinde reuelantur, & quibus? 1. 4. 2. seqq.

DOminica in Septuagesima. Matth. 20. *Simile est regnum cælorū homini patri familias.* Quàm bonus Paterfamilias sit Deus? 1. 24. 6. Non tantùm parabolas, sed etiam fabulas vtiles esse. 3. 50. 1. Fabula mutatorum hominum 2. 53. 1. & pigri aratoris 2. 26. 1. item solis & ranarum. 2. 41. 1.

Exijt primo mane conducere operarios. Diuersa esse tempora quibus Deus homines vocat, quosdam in infantia, per baptismum. 2. 57. 3. quosdam in virili ætate, vt Turcam, item per baptismum. 1. 41. 15. Eunuchum & alios. 1. 4. 1. & 1. 14. 6. & 4. 40. 11.

In vineam suam. Ecclesiam esse similem vineæ, in qua thesaurum quærentes diteſcunt. 2. 17. 4. Qui Ecclesiā, vt ferus aper vineam vastant violantuē à Deo puniuntur. 1. 37. 12. & 1. 40. 15. & 3. 62. 6. seqq. ac 3. 6. 8. seq.

Conuentione autem facta cum operarijs. Deum cum hominibus pacisci, & promittere longè fidelius, quàm mundum. 2. 2. 6. seqq.

Ex denario diurno. Quid per denarium significetur? nempe præmium cæleste, quod inuitat ad laborē. 1. 31. 14.

Vidit alios stantes in foro otiosos. De otio cuius inimica est paupertas, sicut & laboris patrona. 3. 11. 4.

Et quod iustum fuerit, dabo vobis. Qua ratione in Deo sit iustitia erga homines? 1. 5. 7. eaq; triplex. 1. 5. 8. seq. eius fructus 1. 5. 10. seqq.

Iterum exijt circa sextam & nonam. De diuersitate temporum, juuentutis 4. 46. 2. seq. & 4. 48. 3. seqq. Tempus aliud alios homines proferre. 2. 51. 1. Iuuenum illecebræ. 3. 61. 8. seq. senum forma. 3. 55. 1.

Circa vndecimam verò exijt. Quosdam in senectute quæri à Deo, per ipsa incommoda senectutis. 4. 15. 9 Honorati in senectute instar parentum & præceptorum. 3. 25. 5. seq. etiam ab Ethnicis. 4. 35. 10. Nunquam esse serò nimis, vt quis conuertatur, cum etiam in ipsa senectute quidam iusti peccent, & iniusti facti damnentur. 4. 63. 3. seq. In peccatis inueterato non desperandum. 4. 58. 3.

Quid hic statis tota die otiosi? De ijs, qui tempus malè consumunt, & vitæ optant breuitatem. 4. 7. seq. Ad otium vitandum causſas esse laboris. 2. 17. 1. labore terram bonam & fertilem fieri 2. 17. 2. seqq. Otio & pigritia multos marcescere & ægrotare. 4. 22. 2. Fabula

bula ruſtici filijs laborem perſuadentis. 2. 17. 4.

Redde illis mercedem. Quàm largus & certus ſit remunerator Deus? 1. 32. 2. Ob aquam. 2. 6. 12. Paupertatem laboris, laborem mercedis eſſe & diuitiarum cauſſam. 3. 11. 3. Mercedem cœleſtem nos ad laborem inuitare 1. 31. 14. Præſtantia huius mercedis à SS. conſiderata. 2. 20. 5.

Qui venerunt circa vndecimam, acceperunt ſingulos denarios. Non hinc probari, futuram eſſe æqualem omnium gloriam, ſed alium alio maiore ſplureſue coronas habiturum. 1. 5. 11.

Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias. Quàm varij, & iniquè murmurent, aduerſus Deum? & cur? 1. 3. 16. Iuſtum eſſe regimen Dei, etſi ratio juſtitiæ homines lateat. 1. 3. 2. & 1. 4. 1. & 1. 4. 5. Summarium rerum, de quibus homines murmurant. 2. 2. 12. Item de defectibus corporum. 2, 49. 1. ſeqq. Soror Moyſis ob murmurationem lepra percuſſa. 2. 55. 3. ſeq.

Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti. Multos breui tempore implere merita eorum, qui diu laborauerunt. 4. 46. 2. ſeqq. Inanes hominum querelæ. 1. 5. 3. & 1. 16. 4. ſeq. Quærelæ etiam contra beſtias. 2. 15. 1. ſeqq. Querelæ contra calumnias quomodo conpeſcantur? 3. 41. 3.

Portauimus pondus diei & æſtus. Quantum Sancti etiam in morbis pro exlo laborârint? 4. 30. 1. ſeqq. & 4. 31. 1. ſeqq. item. 4. 41. 11. ac 4. 57. 5. Quantæ impatientiæ cauſſa ſit cupiditas pecuniarum? 3. 1. 8.

Amice non facio tibi iniuriam. Neque ſi opes nobis neget, neque ſi honores, facere nobis Deum iniuriam. 3. 1. 1. & 3. 6. 1. ſeq. In Deo iuſtitiam eſſe. 1. 5. 7. quotuplex, & qualis ſit in Deo iuſtitia? 1. 5. 8. ſeqq. Non facere Deum iniuriam ijs, quos ſinit eſſe monſtroſos. 2. 44. 2. ſeqq. Iudiciorum Dei iuſtitiam, vt aliorum myſteriorum articulos credendam. 1. 5. 13.

Tolle quod tuum eſt, & vade. Paupertas voluntaria eſt pacis mater. 3. 11. 8. Qui poteſt ſuo contentus eſſe, quàm ſit beatus, & quâ Reip. profit? 3. 3. 2. ſeqq.

Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi? Non eſſe Deum iniquum, ſi erga quoſdam ſit peculiariter miſericors & liberalis, per gratiam vberiorem, quam non dat alijs. 1. 43. 1. ſeqq.

Aut non licet mihi, quod volo, facere? Cur homini libertas arbitrij à Conditore data? 1. 11. 2. A nullo fato libertatem hominis tolli, & quanta impietate libertas arbitrij tollatur? 1. 27. 2. ſeqq.

An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum? Quàm malè quidam bonitate Dei ſcandalizentur? 1. Ab hominum nequitia Mundum & Mundi Conditorem accuſari. 2. 2. 11. Inuidia aliarum plectens. 3. 7. 4.

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Quo modo homines exaltentur, & ſuperbi humilientur? 3. 36. 1. ſeq. & 3. 39. 7. ſeq. & 4. 2. 4. item 4. 28. 4. ac 4. 55. 4.

Multi ſunt vocati, pauci electi. Quàm

Quàm diuersis modis homines à Deo vocentur? vt per caluitiem. 2. 53. 3. Mirabilis vocatio Philosophi. 1. 21. 15. S. Pauli vocatio. 1. 14. 1. seq. Vocatio S. Basilij per Euangelium. 1. 34. 5.

DOminica in Sexagesima. Luc. 8. *Cum turba plurima conueniret.* De conuentibus sacris Eremitarum. 1. 16. 3. seq. & 1. 18. 3. seq.

Et de ciuitatibus properarent ad IESVM. Non differendum esse, quãdo veniendum ad Iesum, sed properandum, more Angelorum, quorum celeritas fulmini comparatur. 2. 4. 14. Item de inepta celeritate quorundam. 2. 17. 1.

Exijt, qui seminat seminare semen suum. De bonis & malis seminatoribus pacis, vel discordiarum, paupertate scilicet, & diuitijs. 3. 11. 8.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres comederunt illud. Qui non in viam, sed secus viam cæli cadant, seu in vijs errent, & periclitentur? 1. 23. 4. Viæ ducem repudiantes dignos esse vt in via errent 4. 55. 5. Diuersæ viæ Dei & diaboli. 4. 61. 1. Qui calcati & contemti per exempla sacra. 3. 30. 3. item per exempla profana ostensum. 3. 30. 4. Malos socios esse malas volucres, quæ bonum semen auferunt. 1. 34. 11.

Aliud cecidit supra petram. Qui duri sint ad vocationem? Diuitias esse occasionem damnationis, quia faciunt duros & immisericordes. 3. 8. 7. Etsi enim diuitiæ sint beneficium Dei, tamen ob humanam cæcitatem, fiunt caussa exitij. 3. 8. 6. Cùm interea amor paupertatis, sit fons liberalitatis. 3. 11. 6. seq. Indurati, quàm difficiles sint ad pœnitentiam? 1. 42. 4.

Et natum aruit, quia non habet humorem. Quàm indigeamus gratia Dei nos irrigantis.

Aliud cecidit super spinas. De conscientiæ stimulis. De misera felicitate diuitiarum. 1. 32. 3. seqq. An spinæ fuerint ante hominis peccatum? 2. 13. 5. Quantæ sint spinæ, curæ, labores in diuitijs acquirendis? 3. 4. 3. cur diuitiæ spinis, cur laqueis comparentur? 3. 7. 7. seq. aureum torquem putans, laqueum accipit à diabolo. 3. 8. 5.

Aliud cecidit in terram bonam. Bonam terram à bonis factam meliorem, malam à malis malam. 2. 16. 8. & 2. 17. 3. seqq. Iustis tanquam terræ bonæ vbertatem esse promissam, quæ impijs negatur. 2. 16. 8. seq.

Et ortum fecit fructum centuplũ. Non esse hominem natura malum, vt Manichæi docuerunt, sed à S. Spiritu irrigatum, fructum bonum facere. 1. 11. 7. De fructu matrimoniorum. 2. 45. 1. seqq. & 2. 46. 1. seqq. De fructuum iucunda varietate. 2. 12. 7.

Hæc dicens clamabat. Qui habet aures audiendi, audiat. Immisericordes non habent aures audiendi, nec ipsi audiuntur. 3. 52. 14.

Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei. Cognoscere mysteria Dei quàm pulchrum? 1. 6. 1.

Vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Quo modo

aliqui exæcentur,& indurentur à Deo? 4.55.4.seqq. Sapientes mundi à Deo contemti. 1. 21. 5.

Venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. De diaboli fraudibus, & damnis, & mira seductione iuuenis. 4. 61. 2. De tentatione dæmonis contra fidem, mirum exemplum. 4. 62. 4.

Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. De malè fundatis Politicis, qui fidem pro quauis occasione mutant, ac præcipuè propter opes. 3. 5. 16. & inter aulicos. 3. 54. 4.

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Diuitiárum vanitas, insatiabilitas, sitis. 3. 5. 5. seqq. Diuitias esse similes spinis, quia conscientiam vulnerant, dum per scelera & malas artes acquiruntur. 3. 4. 4. seq. quia multorum criminum caussa pungunt. 3. 5. 4. Diuitiarum malus fructus, cura & solicitudo in diuitijs conseruandis 3. 4. 6. seqq. & dolor ac luctus ex diuitiarum amissione. 3. 4. 10. seq. pericula & damna diuitiarum. 3. 5. 2. seqq. Voluptatum fructus, pœnæ graues. 2. 33. 5. seqq & 2. 34. 3. seqq.

Fructum afferunt in patientia. De ijs, qui in morborum patientia fructum attulerunt. 1. 32. 12. seqq. Impatientia omnes casus fieri truculentiores. 1. 33. 7. Etiamsi innocentes vindictã non petant, non tamen manere impunitos nocentes. 1. 40. 10. seqq. contra eos, quos, bestiæ faciunt impatientes. 2. 15. 1. & 2. 15. 8.

DOminica in Quinquagesima. Luc. 18. *Assumpsit IESVS duodecim discipulos suos.* Christus assumpsit in montem Thabor Apostolos, eos postea assumpturus in montem Oliueti, vt esset eis patientiæ exemplum. 1. 40. 7. Christus duodecim Apostolos tanquam duodecim Patriarchas assumpsit. 4. 49. 1.

Ecce ascendimus Ierosolymã. Christus cũ discipulis de tristitia huius mundi in cæli gaudia ascenduit: mundus & nuptias, & Bacchanalia celebrans, à gaudijs incipit, ad magnas tristitias descendit, quod duobus exemplis declaratur. 4. 52. 11. seq.

Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Alia fuerunt Prophetarũ, quàm calendariorum nostrorum vaticinia. 1. 27. 6.

Tradetur enim gentibus. Nunc tradi ebriolis Christũ, qui ei variè illudunt, cùm Bacchanalia celebrant, quorum aliquis in filio monstrifico punitus. 2. 54. 8.

Et illudetur. De despectib⁹ perferẽdis exemplo patientię Dei. 2. 4. 2. seqq Illusiones bonas atque vtiles esse. 2. 2. 7. Judæi Christum illudentes vicissim ludibriũ facti. 3. 53. 8. Bacchanalia celebrantes & Christũ illudentes miserabili exitu. 4. 52. 10.

Et flagellabitur. Flagella & cruces visu horridas, & malas sensu, in recessu bonas. 2. 2. 7. A Deo, per morbum, flagel-

flagellatos Christum patientem debere ante oculos ponere exemplo Lesij. 4. 29. 4. seqq.

Et conspuetur. De iniurijs, quas Christus immensa humilitate pertulit. 3. 40. 7. Sputum in formicas iactũ quid efficiat? 3. 47. 1.

Occident eum. Quidam eum occidunt, dum se occidunt gulâ & ebrietate, è qua multa mala oriri è veteris & nouæ legis exemplis ostenditur. 4. 5. 3. seq. & 4. 8. 1. seqq. Gula quæ hoc tempore maximè regnat, primos parentes occidit, 4. 8. 3. nocuit etiam grauiter Religiosis. 4. 8. 8.

Et die tertia resurget. Resurrectio arboribus significata. 2. 52. 10. Resurrectio omnia in iustis reparabit. 2. 63. 10. An etiam feminæ sint resurrecturæ. ? 2. 63. 12. seqq.

Et ipsi nihil horum intellexerunt. De ignorantia celebrantium Bacchanalia, quorum imitatio stultum facit. 2. 65. 5. Laruatos non agnosci, sicut Silenos, neque intelligi donec aperiantur. 2. 2. 5. seq. De laruatorum, quos nemo intelligit, monstrosa facie. 2. 53. 8. & de monstrosa adulteræ facie. 2. 53. 7. seqq. Ignorationem caussarũ, admirationis caussam esse. 4. 14. 1. seq.

Cùm appropinquaret Iericho. Christum non esse vbique secundùm humanam naturam, sed secundùm diuinam. 1. 5. 2. & 1. 7. 7. seqq. In Iericho Zachæus statura pusillus erat. Quibus in locis diuersi coloris, magnitudinis, & pusilli homines nascantur? 2. 51. 1. seq.

Cæcus quidam sedebat secus viam. De cæcitatis miseria quanta sit? 1. 7. 1. maiorem autem esse miseriam in animi cæcitate. 1. 7. 2. seqq. & 4. 28. 2. Cæcitatis vtilitas ab Antimaro agnita, atq; amata. 1. 32. 13. Quàm & alij cum Pigmemo possint habere cæcitatis suæ consolationem? 1. 32. 14. Bacchantes cæcos esse & cerebro corruptis similes, de quibus lepida exempla. 2. 56. 5. cæcorũ mirifica ingenia. 2. 62. 12.

Mendicans. De paupertatis calamitate magno animo ferenda. 1. 32. 9. seq. Quàm longè melior sit conditio pauperum conditione diuitum. 1. 16. 9. seqq. De pereuntibus per saturitatem. ibid. §. 8. & §. 14.

Interrogabant, quid hoc esset? Diuersa Dei, & hominum, in conuiuijs, tractandi ratio. 1. 16. 1. seqq Quàm vtiles sint oculorum morbi? exemplo S. Seuerini, cùm & iste cęcus de Christo interrogare sit adactus per cæcitatem. 4. 28. 2.

IESV fili Dauid, miserere mei. Ob corporis defectũ non esse conquerendum, sed ad Deum clamandum. 2. 49. 9. Credibile est hunc cæcum, cùm oculos non posset, manus ad Christum sustulisse, quia & aliàs oculorum cæcitas, est manuum dexteritate compensata. 2. 62. 10.

Quid tibi vis faciam? Idem Baccanalia celebrantes, sed malo euentu, dicunt. Hinc laruatus maritus, diabolo similem filium fecit. 2. 53. 10.

Exiui à Patre, & veni in mundum. Quocumq; venit Christus, mundum beneficijs irriganit; sicut fontibus Bethlehem, AEgyptum, Emmaus. 2. 6. 5.

Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Cùm Christus ad Patrem vaderet, terra mota est. 2. 18. 6.

Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget. Quia solius Dei est, cordium esse inspectorē, Christus ostendit sevidere & scire hominum cogitationes. 1. 5. 4.

In hoc credimus, quia à Deo existi. Quanta fides Apostolorum, qui iam tunc crediderunt, Christum per processionem naturalem, & consubstantialem exisse, vnde vbiq; eum tanto ardore prædicauerunt. 4. 39. 9. seq.

IN die Ascensionis Domini. Marc. 16. *Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus.* Apparitiones variæ: Carpo Episcopo facta. 1. 6. 7. seq. S. Catharinæ facta. 1. 12. 5. Saulo facta. 1. 14. 1. S. Augustino facta. 1. 21. 8. seq.

Et exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis. Gratiam & iram, clementiam & justitiam in Deo esse simul, vnde exprobrat hominibus sua peccata. 1. 8. 2. seqq.

Quia his, qui viderant eum, non crediderunt. Quanta, sit miseria credenda non credere, videnda nō videre? 1. 7. 1. seqq. Quibus modis impetretur, vt credamus omnia videntem? 1. 7. 6.

Eun-

Euntes in mundum vniuersum prædicate Evangelium omni creaturæ. Meritò Evangelium dicitur, quo annuntiatur admirandum Dei pro hominibus tam sceleratis humanam naturam suscipientis consilium. 1. 11. 5. seq. Vniuersum mundum, non à Fortuna cæca, sed à Dei prouidentia regi, 1. 24. 6.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. De Fide & baptismo quem S. Petrus Apostolus in carcere custodibus impertijt. 1. 14. 2. Ob misericordiæ opus baptismus peccatrici collatus, vt saluaretur. 1. 14. 3. De Philemonis triplici baptismo 1. 14. 7.

Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hæreticos non tolerandos. 1. 12. 6. Non credentes terræ motuum causa fuerunt. 2. 18. 7. Non credentes, aqua probati & puniti. 2, 8. 17. Damnãdos hæreticos ostenderunt Apostoli, dum eos adeo vitarunt. 3. 60. 3. seq.

Signa autem eos, &c. Miracula suspicienda, non jactanda. 1 16. 6. Signa & miracula faciunt etiam non sancti. 2. 8. 15. per vim dæmonũ non fieri vera miracula, adeoq; rectè fidem signis & miraculis confirmari. ibid Miracula neq; â quouis, neque in quauis causa expetenda. 3. 36. 10.

In nomine meo dæmonia eijcient. Quantam vim habuerint Apostoli in dæmonijs eijciendis? 4. 39. 9. seqq. Non solùm in nomine Christi, sed & in iejunio dæmonia eijci. 1. 16. 8.

Linguis loquentur nouis. Noua lingua Genesij mimi ad Christum conuersi, 1. 14. 6. Lingua ob castitatẽ præ morsa locuta est tacens. 2. 57. 13. Serpens etiam lingua noua cum Eua locutus. 2. 13. 8. seqq.

Serpentes tollent. Serpens jussus hortum defendit, 1. 22. 2. alij serpentes docent hominem quærere nutrimentum. 1. 22. 3. De serpentibus qui Sanctis innoxij fuerunt, 1. 22. 6. Serpens parcens bonis, puniens malos. 1. 1. 7. Serpens adulteram puniens. 2. 34. 1. Serpens à Moyse apprehensus 2. 14. 1. à S. Paulo excussus. ibid. Dipsas qualis serpens, 1. 42. 7.

Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Cur noxia animalia condiderit Deus? 1. 22. 4. Omnia homini seruire, si Deus velit. 1. 22. 8. Cur bestiæ hominibus nocere cœperint? 1. 22. 9. Bestias etiam nocendo prodesse. 1. 22. 10. Venena quibus non noceant? 2. 14. 14. Venenatis qui vesci soleant? 2. 56. 9.

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Morborum occasione Deus & Sancti honorati. 1. 25. 4. Morborum remedia per Christum & sanctos. 1. 12. 6. & 1. 12. 9. seqq.

Et Dominus quidem Iesus, postquã locutus est eis, assumptus est in cælũ, & sedet à dextris Dei. Christus eadem carne in cælum assumptus est, in qua in crucem sublatus; Sic Iudæi ignominia afficere volentes, ignominia sunt affecti, sicut Euthymius eodẽ curru in exiliũ vectus est, quo S. Ambrosium euehi volebat. 3. 52. 13.

Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante, & sermonem

nem confirmante sequentibus signis. Quam vim Apostoli in serpentes habuerint? 2. 14. 1. item in malos spiritus. 4. 39. 9. seqq.

DOminica VI. post Pascha. Io. *15. Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Missio S. Spiritus quantum beneficium? 1. 11. 7.

Spiritum veritatis. Diabolum simiam S. Spiritus subinde vera dicere, vt postea falsis facilius credatur. 1. 36. 12. A malo spiritu mendacium veritate armatur. 1. 36. 12. Sicut S. Spiritus est veritatis, ita malus Spiritus est spiritus mendax & mendacijs fallit. 1. 36. 12.

Ille testimonium perhibebit de me. Perhibuit S. Spiritus & testimonium de Christo existente in Eucharistia quam in specie columbę attulit SS. Faustino & Iouitæ. 1. 15. 13. Mentientium etiam veritatē esse periculosam. 1. 36. 12.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. A paupertate & alijs pressuris, virtutum, non criminum occasionem accipiendam esse. 3. 11. 12.

Absque Synagogis facient vos. Calumniam iniuriamque facientibus metuendum esse Dei tribunal. 1. 39. 13. Exulum miseria. 3. 55. 1. seqq. Exilium & electionem multis fuisse gloriosam & vtilem. 4. 45. 4. seqq. Exul spontaneus S. Maurilius. 1. 34. 14.

Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Impiè agere putantur, piè agentes. 3. 32. 3. & piè agere putantur quidam impiè agentes, quod doceri potest in eo, qui negauit SS. Eucharistiam morituro, cui tamen miraculosè data est. 1. 15. 2.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Hac ipsa ignorantia miseri, sicut tyranni, qui malum, quod alijs dederant, ipsi sunt passi. 3. 44. 3. seqq.

Hæc locutus sum vobis, vt, cùm venerit hora, eorum reminiscamini. Neminem debere scandalizari, si innocentes persecutionem patiantur. 4. 14. 3. multoq; minùs, si rei. 4. 14. 4.

IN Festo Pentecostes. Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meū seruabit.* De tentatione morientium contra charitatem. 4. 60. 10.

Et Pater meus diliget eum. Amor Dei etiam erga non bonos, bonos facit, vtique ergo etiam è bonis meliores. 1. 11. 6.

Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Omnes diuinas Personas inseparabiliter ad hominem per gratiam venire, & capaciorem plus implere. 1. 41. 3. Die Pentecostes ad iudicium Dei citati veniunt, non Deus ad illos. 1. 39. 8.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. De ijs qui Confirmationis sacramentum, adeoq; & S. Spiritum negligunt; cùm etiam in corpora vim habeat Confirmationis Sacramentum. 2. 52. 8.

Paraclitus autem Spiritus sanctus. Quantus sit consolator Spiritus sanctus, in luculenta historia ostenditur. 1. 15 13.

Quem-

Quem mittet Pater in nomine meo. Spiritus sancti missio quantum sit beneficium? 1. 11. 7. Confirmationis Sacramentum, in quo Spiritus sanctus datur, quâ sit potens contra dæmones? 4. 40. 12.

Ille vos docebit omnia. De virtute Spiritus S. qui per Baptismi & Confirmationis Sacramentum datur. 1. 14. 1. seqq. Quid sit peccatum in Spiritum sanctum quod neque in hoc, neque in futuro sæculo remittetur? 4. 61. 8.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Pax Sanctorum consistit in indifferentia, & est apud eos, qui sunt ad vtrumque parati, quorum exempla duo. 3. 2. 6. seq.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. In mundo non posse esse veram pacem. 3. 66. 7. Pacis Aruspex falsum consilium luit. 3. 48. 2.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. De diabolo fabuloso vxorem suam formidante. 2. 46. 8. Vt morituri non turbentur, neque formident, extrema vnctione vtiliter vtuntur, per quam eos Spiritus sanctus corroborat, & non rarò etiam vires corporis restaurat. 4. 40. 16.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem Si inimici diligendi, quantò magis Christus, qui dixit nos & voluit esse amicos suos? At quos diligimus, gaudemus, si ad Deum eant. De inimicis diligendis. 1. 10. 5. seqq. Dilectio quam habeat regulam? 3. 43. 1.

Pater maior me est. Humiles tantùm aspicere in se, quod minus, non quod maius est, aut æquale. Sicut Christus secundùm humanam, non secundùm diuinam naturam hæc dixit. 3. 40. 4. seqq. Omnes mortales posse fieri humiles, si se maioribus comparent. 3. 40. 12.

Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Principem huius mundi, iustas ob causas, sæpe etiam in ipsa templa fulminandi habere potestatem. 2. 3. 3.

Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem. Quidam non diligens patrē, nec à filio suo dilectus, sed æquè malè tractatus est. 3. 51. 8.

Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Christi exemplo obedientia etiam belli ducibus præstanda. 3. 61. 2.

FEria II. Pentecostes. Ioan. 3.

Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Cùm diligere summè, sit, summum bonū velle, non potuisse plus diligi mundum, quia summum bonum voluit Mundo, dans ei Filium qui solus eius peccata tollere potuit. 3. 11. 4 seq. Incomprehensibile diuinæ bonitatis iudicium in mysterio Incarnationis. 1. 11. 6.

Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Fides aqua feruenti non lædente defensa. 2. 8. 18. De tentatione morientiū contra fidem, vt pereant, & non habeant vitam æternam, facit enim diabolus Christo contraria. 4. 60. 7.

Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum. Iu-

dicasse tamen Deum mirabiliter per aquas. 2. 8. 8. seqq. & 2. 9. 1. seqq. Prima missione non venit Christus judicare, sed saluare, in secundo aduentu Iudicem se ostendet. 1. 1. 9. seqq. & 1. 2. 3. seqq.

Sed vt saluetur mundus per ipsum. Qua in gloria creatus sit homo, in quo etiam post Adami lapsum aliquid inest, quod non solùm saluari, sed etiam honorari possit. 3. 23. 2. seq.

Qui credit in eum, non iudicatur. Ad iudicium, hoc est, ad damnationem euitandam, Religio & fides per coniuges acquisita. 2. 45. 5. seqq.

Qui autem non credit, jam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Fide destitutos, & atheos facilè etiam in alia vitia præsertim carnis labi. 2. 33. 2. seq. Etiam in hac vita justitiæ diuinę & judicij locum esse. 3. 59. 5.

Hoc est autem judicium. De varijs licitis & illicitis judicijs per aquas. 2. 8. 8. seqq. Non esse iudicandum secundùm faciem. 2. 40. 7. Quo modo justum judicium judicandum sit? 3. 40. 10. Iudicium Dei calumniatoribus metuendum. 3. 50. 4.

Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Deum in pœnam superstitionis, subinde permittere, vt superstitiosis fiat, sicut crediderunt. 1. 36. 13. Mala consilia consultori pessima. 3. 48. 1. seqq. An sacra scriptura sit vbique luce meridiana clarior? 3. 52. 4. Lux Israelitarum inter Ægypti tenebras quàm admirabilis? 2. 5. 15.

Erant enim eorum opera mala. Opera mala bonorum esse occasionem operum, quando, & quibus? 2. 46. 4. seq. Opera mala malum euentum habent, sicut Aruspicis, lupi, Achitophelis, Themistoclis, &c. consilia. 3. 48. 2. seqq.

Omnis, qui malè agit, odit lucem, vt non arguantur opera eius. Mirabili casu quidam seipsum prodit. 1. 25. 14. Non lucis sed Noctis & Erebi filiæ finguntur Parcæ, quas siniſtro partu nox genuit. 1. 27. 1. De tenebrione mirabiliter à femina occiso, quod ei in luce non accidisset, quia interdiu nil tentasset. 1. 26. 7.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius. Ad judicium Dei non frustra prouocasse innocentes, vt de eorum caussa constaret, & veritas in luce esset. 1. 37. 1. seqq. & 1. 39. 1. seqq. De lucis desiderio. 2. 11. 19.

Quia in Deo facta sunt. Quæ in Deo facta sunt lucem non fugiunt, sed vel sperant, vel expectant, quia honor, seu claritas virtutis est præmium. 3. 20. 3. immo, propter æternæ gloriæ lucem, homines rectè meritoq; operantur. 3. 20. 5.

FEria III. Pentecostes. Ioan 10.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. De apum in furem furore, item q; defensione cubilium suorum. 2. 15. 16. seq. Fur, quod alteri conabatur clepere, clepsit sibi. 3. 44. 7.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Via Dei per quid homines

mines ducat. 1. 25. 3. Ianus an sit fabulosus? 1. 7. 6.

Huic ostiarius aperit. id est Confessarius per claues & in pœnitentiæ sacramento, quod etiam contra corporis morbos valet. 4. 40. 15. Ianitorem Noe egit Deus. 3. 10. 6. Portarum custodes gigantes. 2. 50. 9.

Et oues vocem eius audiunt. Loquitur Deus etiam per monstra, quæ occasio sunt ouibus per pœnitentiam ad pastorem reuertendi. 2. 57. 2. sicut innocentia & obedientia homines ouibus, ita vitia bestijs alijs similes reddunt. 2. 63. 1. seqq.

Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. S. Spiritus S. Eucharistiam præbens, & dignè indigneq; communicantium discrimen. 1. 15 13. Quantum Deus in peccatoribus reducendis agat? 4. 61. 3.

Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit. Quo modo Christus antecesserit morientibus, ne ob dolores fiant impatientes? 4. 60. 6.

Et oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. De diuersis vijs Dei & diaboli 4. 61. 1.

Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Alienos pastores esse magistratus, qui non puniunt veneficos, ad quos puniendos vrget scriptura, & justitia 4. 61. 6.

Ego sum ostium ouium. Quia est caussa meritoria prædestinationis omnium electorum, sine Christo enim nec à peccato liberati sunt, nec prædestinati. 1. 11. 4. seqq.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Hoc maximè dici potest de magis, qui segetem & pecora destruentes, & hominem occidentes furibus & latronibus similes sunt, & ideò à Magistratu puniendi. 4. 61. 6. seqq.

Per me si quis introierit, saluabitur. Quàm diuersa sit mors, Deo simpliciter seruientium, & more ouium viuentium, à furum, seu hypocritarum morte? 3. 31. 7.

Et ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Quàm prodigiosa liberalitate Deus seruis suis prouideat? 1. 37. 1. seqq.

Fur non venit, nisi vt mactet, & perdat. Quæ malis sua culpa mala contingunt, in diuinis oculis, tamquam ex justitia immissa, esse bona. 2. 2. 9.

Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Electos plerumque donari vberiore gratia, quàm alioqui illis esset necessaria; adeò, vt etiam morbos, tamquam singulare Dei beneficium agnoscerent, eligerent, & optarent. 4. 30 14 & 4. 31. 5. seqq.

DOminica Trinitatis. Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & interra.* Christo absolutissimum omnium rerum dominium esse datum. 2. 10. 1.

Euntes ergo, docete omnes gentes. S. Martinus docuit, dum in fide SS. Trinitatis lepram pepulit. 4. 40 4.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. De baptismi gratia insperatò, miraculosè per ope-

ra misericordiæ, per ludum. 1. 4. 1. seqq. Mysterium SS. Trinitatis à Spiridone defensũ. 1. 21. 15. Bapt. smo curati monstrosi, præstigijs, lepra affecti. 3. 57. 3. seqq. Baptismo sanati plurimi. 4. 40. 11.

Docentes eos seruare omnia, quæcumq; mandaui vobis. Magister discipulos liberat ruina. 2. 19. 6. Magister & bene docens etiam cùm verberat, amatur. 2. 1. 8.

Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Quo modo SS. Trinitas, tribus guttis in vnam gemmam confluentibus, fuerit cum obsessa ciuitate contra hostes? 1. 36. 10.

DOminica I. post Pentecosten. Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* De misericordiæ apud Deum retributione. 1. 43. 3. seqq.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quàm varijs modis sensus hominis decipi possit, vt inde & iudicium erret? 2. 60. 10. & de præstigijs dæmonum, cur etiam à Deo permittantur? 2. 60. 19. De temerario iudicio quoties, & quàm iniquè feratur? 3. 34. 8. seqq. & 3. 46. 1. seqq.

Dimittite, & dimittemini. Cur læsi non debeant facilè ad diuinum iudicium prouocare? 1. 50. 2. seqq. Veniam dantes, veniam consequi. 3. 43. 4. Mirum, per eleemosynam sanati Comitis, miraculum. 4. 40. 10.

Date, & dabitur vobis, Pauperes sunt diuitibus liberaliores, quia paupertas est liberalitatis socia. 3. 3. 4. hinc vt copia est inops, ita & inopia est copiosa. 3. 3. 5. Liberalitas liberaliter compensatur. 3. 43. 5. seqq.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentẽ dabunt in sinum vestrum. De talione bonorum à Christo promissa. 3. 43. 1. seqq.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. De peccatis per peccata similia punitis. 2. 33. 6. seqq. Fouea alijs destinata, fodienti facta. 3. 45. 1. Lapis in voluentem reuertens. 3. 45. 2. seqq. Aliæ sacræ scripturæ sententiæ de malis in caput autoris redeuntibus. 3. 45. 9. & 3. 51. 1. seqq.

Numquid potest cæcus cæcũ ducere? Cæcatos à Mundo malè iudicare. 2. 2. 4. Cæcis Deus ductores prospexit, qui solet, quod in vno loco, aut re deest, in alia compensare. 2. 62. 2. seqq. Facile esse errare eos, præsertim quos Zelotypia decipit 3. 34. 4.

Nonnè ambo in foueam cadunt? A feminis ductricibus & seductricibus quanta mala orta sint? 2. 46. 7. Diabolus in foueam ducit iuuenem, per omnia insignem. 4. 61. 2. seq.

Non est discipulus super magistrũ, Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. De discipulo, qui magistrum defensurus, ad diuinũ iudicium vocauit eius calumniatorem. 1 37. 8. An, & quo modo fas sit vocari Magistrum? 3. 19. 3.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Temeritas

meritas iudicij è re nihili, vel quam ipsi facimus, hausti. 3. 34. 5.

Hyprocrita, eiȝce primùm trabem de oculo tuo. De malitia simulantium pietatem, & de eorũ pœnis. 3. 31. 5. seqq. Machetes tria ipse passus, quæ in alijs temerè iudicauit. 3. 51. 10.

DOminica II. post Pentecosten, Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Quàm desiderabile sit epulum Christi? 1. 15. 5. seqq. Huius cœnæ minister est sacerdos, qui tam in veteri, quàm nouo Testamento eximiè fuit honoratus. 3. 27. 5. seq.

Et vocauit multos. Non tantùm vocare Christum eos, qui esuriunt SS. Eucharistiam, sed etiam vltro ad eos venire. 1. 15. 2. seqq. SS. Eucharistiæ quanta vis? 4. 6. 1.

Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent. Quæ à Deo sunt, esse suauiora. 1. 18. 1. mannæ suauitas. 1. 18. 4. vitæ religiosæ suauitas acquisita, vel perdita. 1. 18. 7. Fame & siti cibum & potum mirè condiri, sicut desiderium SS. Eucharistiæ gustum Eucharistiæ excitat. 4. 4. 8. seqq.

Iam parata sunt omnia. De reali & spirituali communione. 1. 15. 8. Varij modi quibus Deus homines alit. 1. 18. 1. SS. Eucharistiæ mira dulcedo. 1. 19. 3. seqq. Adeò omnia in S. Eucharistia parata esse, vt multi Sancti solâ vitam Eucharistiâ sustentarint. 4. 4. 5.

Et cœperunt omnes simul excusare. Quàm grauiter peccent indignè communicantes? 1. 15. 14 Cur SS. Eucharistia apud multos parum efficiat? 4. 6. 2 Quod huic fastidio cœnæ Dominicæ remedium? 4. 6. 3. Mirum, excusare se homines à Dei cœna, & non à conuiuijs Mundi, quæ similia sunt Domitiani, & Dionysij cœnis funestis. 4. 44. 9. seq.

Villam emi: & necesse habeo exire, & videre illam. Antè, quàm emeret villam, videre illam debuisset; cùm sine deliberatione nihil sit incipiendũ. 2. 42. 6.

Rogo te, habe me excusatum. Bis hoc dictum à diuersis, quia ita amor proprius excæcat, vt etiam quæ nõ pulchra sunt, pulchra putentur, & vitia quoque ipsa excusentur. 2. 41. 12.

Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Gemma miraculosa inter nocentem, & innocentem, vel obscuritate, vel claritate discrimen inspiciendum præbens, similis est Eucharistiæ, quam sumunt boni & mali. 1. 36. 10.

Vxorem duxi: & ideò non possum venire. Multò magis adulteros à cœna Domini impediri, & indignè communicantes grauiter plecti. 2. 34. 31. An, & quo modo matrimonium solubile sit? 2. 42. 7.

Et reuersus seruus nuntiauit hæc domino suo. Meritum & peccatum in miraculoso pane nuntiari, & significari à Deo. 1. 18. 5.

Tunc iratus paterfamilias. Exira Dei Basiliscus Imp. cum Imperatrice fame punitus. 4. 7. 1. Quid sit cælum aneũ, & terram ferream esse? 4. 7. 5. Iram Dei causam esse atrocium plagarum. 4. 7. 8. Maximè ob sacram Eucharistiam indignè sumptam. 4. 24. 3. seq.

Exi-

Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Magnam spem in Deum incendere, curam Dei erga derelictos. 1. 15. 15. Ad magnam in cælo cœnam admittendos esse debiles, cæcos, & claudos, & monstrosos, sed tunc non fore debiles, claudos, monstrosos &c. 2. 63. 1 seqq.

Domine factum est, vt imperasti. SS. Eucharistiæ contra dæmones, quibus imperat Christus, potentia. 4. 40. 13. item contra morbos. 4. 40. 14.

Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Debiles ac monstrosos, velut de via collectos, vel per Eucharistiæ desiderium sanari. 2. 57. 9.

Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. In multis diuinam vocationem esse inefficacem, nec sine pœna negligi. 3. 51. 3. Cœna Dei priuari, seu fame puniri sanguinarios, superbos, superstitiosos, 4. 5. 6. seqq. Diriſſimæ famis ciuitatum, totius nationis, & exercitus exempla. 4. 7. 6. seqq.

DOminica. III. post Pentecosten. Luc. 15. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & Pharisæi, & Scribæ.* Valde IESVS & publicani ac Pharisæi dissimiles fuêre, cùm aliàs socij mensæ, socij morum esse soleant. 2. 34. 11. Sed Christus ad hos diuertebat, vt medicus ad ægros, vt è bestijs homines faceret, sicut Circe ex hominibus bestias fecit. 2. 60. 18.

Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. De Politico astuto simplicem religiosum recipiente eumq; obseruante, egregiè conuicto. 1. 21. 2. seqq. Non iudicandum esse secundùm externam faciem, & socios cum quibus quis agit. 3. 33. 5.

Quis ex vobis homo, qui habet centum omnes, si perdiderit vnã ex illis, nonnè dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam? Quantum Christus laboret in perditis ouibus quærendis? 4. 61. 3. seqq.

Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Exemplum ouiculæ errantis & reportatæ 3. 32. 8.

Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Ouis, quæ perierat per infamiam, per miraculũ reperta & honori restituta Voburgi. 3. 37. 2 seqq.

Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente &c. Ad beatitudinem essentialem, hanc accidentalem accedere de aliorum conuersione. 1. 32. 2. Peccatores, non minùs, quàm elephantes, cerũos, lupos, vrsos, &c. posse cicurari. 2. 14. 6. seqq. De peccante & conuerso Nabuchodonosore. 2. 56. 2. seqq.

Quæ mulier habens drachmas decem: si perdiderit drachmam vnam, nonnè accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat

inueniat eam. Inter amissa quærentium modos, esse sortem consultoriam, maximè cauendam, 1. 36. 5.

Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, &c. De mulierum industria, & pia mariti monitrice. 2. 1. 7. & 2. 35. 3. Pecuniam sæpe vtiliter amitti. 4. 14. 6.

DOminica IV. post Pentecosten. Luc. 5. *Cùm turba irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei.* De desiderio accedendi ad Christum per baptismum. 1. 14. 7. seq. item de desiderio accedendi ad Christum per Eucharistiam. 1. 15. 1. seqq.

Et ipse stabat secus stagnum Genesareth. De aqua, baptismo & Christi ipsius contactu consecrata, & vario eius vsu in rebus sacris. 2. 6. 8. seq.

Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Piscantes Apostoli à Christo adiuti. 1. 20. 4. Rete an frustra jaciatur ante oculos pennatorum. 2. 14. 10.

Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis. Simonis & Ecclesiæ naiculæ similes, quò & quo modo debeant tendere? 2. 10. 6.

Rogauit eum à terra reducere pusillum. A terra & caducis animum esse reducendum. 1 33. 4. seqq. A terra recedendum, quæ etsi beneficium est, tamen etiam scandalum est. 2. 20. 3.

Duc in altum. De varijs artibus in aquis, aut per aquas factitatis. 2. 6. 12. seq. In altum plerique nituntur emergere, quia vel ideò honoris appetitus homini inest. 3. 23. 4. Ab honoribus artes & artifices excitari. 3. 24. 1. seqq.

Et laxate retia vestra in capturam. Piscium quoque esse aliquam disciplinam. 2. 14. 16. Nec ante oculos pennatorum frustra rete spargi. 2. 14. 10.

Per totam noctem laborantes, NIHIL *cepimus.* De Nihilo diuitiarum. 3. 4. 1. De Nihilo honorum. 3. 22. 1. De Nihilo voluptatum. 3. 8. 10. Sine fame nemo pro cibo laboraret. 4. 4. 7.

In verbo autem tuo laxabo rete. Hominis, cui dictum est, dominamini piscibus maris, in bestias, etiam post peccatum, dominium, sed imminutum. 2. 13. 7 seqq.

Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Potestas Diuorum in aquatilia. 1. 14. 4.

Rumpebatur autē rete eorū. Omnia rupta esse mortis signa. 4. 44. 6. seqq.

Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Auxilia humana vbi desunt, diuina adesse. 1. 11. 1. seqq.

Exi à me, quia homo peccator sum. Humilitas ex cognitione sui nascitur. 3. 40. 3. & 3. 40. 16.

DOminica V. post Pentecosten. Matth. 5. *Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus, quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* De hypocritis in vestitu. 3. 19. 2. Quibus Pharisæi iustitiam simulantes sint similes? 3. 31. 1. quàm malitiosè simulent justitiā & pietatē Pharisæi? 3. 31. 5.

A Deo mirabiliter deteguntur. 3. 31. 6. Multos vbiq; esse tales Pharisęos. 3. 31. 8.

Non occides. Homicidiorum causſam esse adulteria. 2. 33. 11. Quot cædes, sed iustæ, ex adulterijs sint ortæ? 2. 24. 4. seqq. Occidere volentium, & duellantium talio. 3. 54. 8.

Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Ad iudicium Dei prouocantium modi. 1. 37. 1. cauſſæ. 1. 37. 2. exempla veteris Testamenti & noui. 1. 37. 3. seqq. Quàm leui sæpe ex cauſſa, quanta ira exardeſcat; & ſuſpicio quouſque furorem impellat? 2. 36. 1. seqq Ira quantum mutet hominem, adeò vt etiam podagræ aliarumque affectionum cauſſa ſit? 4. 22. 3. seq.

Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. De latente vindictæ affectu, sanctorum exemplis aduerſo. 1. 40. 6. seqq. Vindicta non quærenda. 1. 5 15. Quàm cauenda ſit vindicta? 1. 40. 1. seqq.

Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Hoc inter ipſos coniuges conſuetum eſt, apud quos mores mali in cauſſa ſunt, vt coniunx à coniuge velit ſeparari. 2. 42. 2. In Gehenna ignis an dãnati ſint futuri monſtroſi? 2. 63. 4. Gehennæ ignes cum morbis comparatos ratione doloris & durationis. eos valdè mitigare. 4. 31. 10. seqq.

Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. Beſtiarum ad concordiam mirabilis diſciplina. 2. 14. 12. Nocere magis impijs, ſi eorum cadauera ſacris locis ſepelienda offerantur, quàm prodeſſe. 4. 67. 3. seqq. De inimicis amandis. 1. 14. 6.

Et tunc veniens, offeres munus tuum. Tunc Deum ignoſcere orantibus, ſi ipſi ignoſcant. 3. 43. 4. Sacrificans Alexander Magnus liberaliter, liberaliter recipit: ita munus noſtrum etiam vero Deo gratum erit, ſi nos erga inimicos noſtros liberales ſimus, eis ignoſcendo. 1. 15. 8. Sacerdos indignè munus ſuum in ſacrificio offerens, epilepſia tangitur. 4. 24. 4.

DOminica VI. poſt Penteceſten. Marc. 8. *Cùm turba multa eſſet cum* Iesv, *nec haberent, quod manducarent.* Cur etiam Sanctis Dei patiatur ſubinde deeſſe cibum? aut parcè eos tractet? 1. 16. 1. seqq. Fames ſterilitate cur inducatur? 4. 4. 15. Fames non ſemper nocet, nec ſaturitas ſemper prodeſt 4. 4. 16.

Miſereor ſuper turbam. De immenſa Dei bonitate & miſericordia. 1. 6. 1. seqq. ob infinitam Dei miſericordiam nemini. etiam peſsimo, eſſe deſperandum. 3. 63. 16.

Ecce jam triduo ſuſtinent me. De obſeſſæ ciuitatis inſperato auxilio. 1. 20. 3. Non tantùm triduanæ, ſed longè mirabiliores inediæ ſuſtentæ à Sanctis. 4. 4. 5. seq.

Si dimiſero eos jeiunos in domum ſuam, deficient in via. Quoſdam ita fame & inopia deficere, vt etiam lucri cauſſa, adulteria, furta, &c. perpetrent. 2. 31. 8. seq.

Quidam

Quidam enim ex eis de longè venerunt. Fames, quâ domantur multi non more canum patienda 4. 5. 2.

Vnde istos poterit, quis hîc saturare panibus in solitudine? Quàm sufficienter DEVS, etiam in eremo pauerit homines. 1. 16. 2. seq & 1. 17. 4. seqq. & 1. 18. 2. seqq. De miseria hominis ab acquisitione alimentorum. 4. 1. 5.

Quot panes habetis? Quo modo DEVS de panibus prospiciat? 1. 16. 3. & 1. 17. 3. seqq.

Septem. Quàm sit septenarius numerus, in cælo & humano corpore mirabilis? 4. 15. 4.

Et præcepit eis discumbere super terram. Fames, quam Christus mouit vt prodigiosè pasceret esurientes, non est inutilis. 4. 5. 1. Siue super fœnum, siue super herbas sederint hi conuiuæ, mortis admonebantur, quia omnis caro fœnum. 4. 44. 3.

Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit. Gratias agere, fuit benedicere, vnde de more panes benedicendi dicatur; de quibus. 4. 40. 21.

Et dabat discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Christus per Apostolos panem dat, sicut olim per Angelos. 1. 17. 11. seq. & 1. 18. 3. seq.

Et habebant pisciculos paucos. S. Cuthberto ac socijs alendis DEVS, per aquilam piscem mittit. 1. 16. 2. Apostolis pisces prouisi à Christo. 1. 20. 5. De piscibus fossilibus, qui sub terra inueniuntur extra elementum suum. 2. 48. 9. seq. Pisces appositi mortis admonebant, sic olim mensis illata memoria mortis 4. 44. 8. seqq.

Et manducauerunt, & saturati sunt. Fames frenanda, ne vltra necessitatem ducat. 4. 4. 14.

Et sustulerunt, quod superauerat de fragmentis septem sportas. Reliquiæ Sanctorum à Pontifice petitæ per Imperatricem. 3. 44. 9. De reliquijs Sanctorum colendis. 1. 12. 7. & 1. 42. 19. Item 4. 39. 7. seqq.

Erant autem, qui manducauerant, quasi quatuor millia. Quàm magna sit multitudo famentium vel ex pœna. 4. 5. 6. & 4. 7. 1. seqq. vel vt ad pœnitentiam adducat. 4. 5. 1. vel vt ad Christum attrahat, vt Bulgarorum Principem. 4. 6. 6.

DOminica VII. post Pentecosten. Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis.* Dæmones artibus occultis, velut miraculis fallacias struere, vt homines seducant. 2. 8. 16. id ipsum facere homines malis artibus vtentes, 2. 8. 14. & 2. 8. 19.

Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Tales sunt similes monstro, quod sub Polycriti forma est vaticinatum. 2. 52. 2. Lupus ex homine factus. 2. 60. 4. item ex Lycaone. 2. 60. 9. Lupi an fiant Magi, & quomodo? 2. 60. 12.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Verorum luporum obedientia, & gratitudo. 1. 22. 5. seq. Mirifica historia de lupo hominem liberante, cùm aliqui homini homo sit lupus. 1. 23. 2. Qui authores, & quæ exempla doceant, homines in lupos aliasq; bestias conuerti? 2. 60. 4. Quis aut qualis homo vocetur lupus? 2. 6. 3. seqq.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Maritorum moribus formari vxores bonas vel malas. 2. 30 11. Fructus libidinis est magia. 4. 61. 5. Ab operibus, non autem ab omnibus proborum vel improborum rebus dignosci eorũ discrimen, cùm sæpè pessimi honestis sepulturis decorentur. 4. 67. 2. immò cùm malis bona, bonis mala sæpè contingat sepultura, vt in hac vita nõ dignoscantur, quia in judicio extremo dignoscentur. 4. 67. 7.

Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Bona malis nocere, mala bonis prodesse. 2. 2. 3. Malas mulieres aliquando tribulatione fieri meliores. 2. 30. 10.

Omnis arbor bona, bonos fructus facit. Meritò DEVM dare, vel negare terræ fructus. 2. 16 8. seq. Varia genera hominum difficulter fructum pœnitentiæ agentium. 4. 61. 9. Duorum doctorum virorum diuersus fructus & exitus. 4. 62. 2. Mirabile discrimen piorum & impiorum defunctorum. 4 67. 1.

Mala autem arbor, malos fructus facit. Nil nocere bonis malos ad diuinũ judicium prouocantes. 1. 38. 7. Mala à mala muliere prouenientia. 2. 22. 8. Quàm conueniens sit malas esse mulieres? 2. 30. 7. Luculenta talione punita adultera calumniatrix. 3. 54. 5.

Non potest arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Nempe vt est bona, vel mala. Quia etiam justi possunt peccare & excidere ex gratia: & injusti possunt agere pœnitentiã, vt patet in Adam peccante. 1. 11. 3. & alijs pœnitentiam agentibus. 1. 42. 19. Quàm malè agant, qui mala malis, & adulteria adulterijs rependunt? 2. 32. 8. Paucos in fine vitæ deficere, qui fuerunt antè boni. 4. 63. 1. Quosdam in fine vitæ cadere, vt numquam simus securi. 4. 63. 2. Quàm multi fructus nascantur ex lapsu aliorum? 4. 63. 3.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. An, & cur in Ecclesia etiam sint mali, sicut in Paradiso fuerunt etiam arbores non fructiferæ? 2. 12. 9. Cur quibusdam pes vel manus excidi sinatur à DEO? 4. 14. 5. & 4. 14. 11. Mirabiles arboris crucis patientiæ fructus. 4. 29. 4. seqq. & 4. 32. 1. seqq.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorũ. Verba sine rebus nihil prodesse, aulicorum arte & pietate. 1. 1 1. De inutilibus moribus aulicorum 1. 21 11. Bene credentes, & malè fundatos pietatem simulantes non intrare in regnum cælorum. 3. 31. 4. seqq. Quosdam relinqui in fine vitæ, quia intepescunt, & putant sufficere, si dicant, Domine, Domine. 4. 63. 4.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnũ cælorum. Obedientes intrare in regnũ cælorum, sicut inobediens Saul regnum perdidit. 3. 60. 2.

DOminica VIII. Post Pentecosten. Luc 16. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Præsentiam Dei cognitam efficax esse remedium contra peccatum. 1. 7. 9. seqq

Et

Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Prodigalitas è diuitijs. 3. 5. 8. Prodigalitas auaritiæ aduersa. 3. 7. 2. De infamante infamato. 1. 44. 2.

Quid hoc audio de te? Infamia cur quosdam occupet? 1. 30 1. Quàm varia infamia antiqui reos notârint? 1. 30. 2.

Redde rationem villicationis tuæ. Quidam vel mortui reddunt rationem villicationis suæ, dum sibi ipsis infamia extruunt epitaphia. 4. 65. 3,

Iam non poteris villicare. Ecclesiastica bona inuadens auaritia, paupertate punita. 3. 6. 8. Quinam auari Ecclesiastica bona, verè Domini sui bona, inuadant? 3. 6. 9.

Quid faciam, quia Dominus meus aufert in me villicationem? Exemplum diuitis, vitam & villicationem sibi prolongari cupientis, 3. 9. 2 seqq.

Fodere non valeo. Postquam maledictio illa In sudore vultûs tui, vesceris pane tuo, inducta est in terram, ex quanto Paradiso quanta miseria sit nata? 2. 13. 1. seq Quid terram fodientes vtilitatis habeant? 2. 17. 4. seqq Desidiosis meritò deberi terrã desidiosam. 2. 17 7. De fossilibus piscibus, qui è terra eruuntur. 2 48. 9 seqq.

Mendicare erubesco. De lupo mendicante. 1. 22. 5. De mendicorum lætitia, diuitum lautitias superante. 1. 9 11

Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Fraudes pecuniam facientium Acheronticis flammis dignæ, 3. 8. 11. De talione non solùm malorum, sed etiam bonorum operum. 3. 43. 1. seqq. Talionis, in diuinis litteris sæpius mentionem esse factam. 3 42. 4.

Quantum debes domino meo? Seruos dominis suis honorem debere, non præstare infidelitatem. 3. 23. 2.

Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. Ita Macarius bono dolo diuitem virginem decepit, vt gauderet de eo quod in vita amiserat. 3. 12. 6.

Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Pecuniam sæpe vtiliter amitti, mirabili historia docetur. 4. 14. 6.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. De eleemosyna vsura sacra. 1. 13. 15. seqq. Cur prudentes domini pauperes magni faciant? 3. 10. 6. Sicut nos erga pauperes gerimus, ita se erga nos gerit DEVS, 3. 10. 7. Sanctorum in pauperibus iuuãdis quo modo imitandum sit exemplum? 3. 12. 7.

Vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Diuitis & pauperis mors inter se collatæ. 3. 8 13. Regnum cælorum dare, esse pauperum. 3. 10. 3. Regnum cælorum à pauperibus aperiri. 3. 10. 4. seq. Exempla eorum, qui per pauperes sibi ad cælum aditum fieri vtiliter crediderunt. 3 10 8.

DOminica IX. Post Pentecosten. Luc. 19. *Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Omnes vrbium & hominum casus animo esse præmeditandos. 1. 13. 4. Num lachrimæ etiam viros deceant? 1. 43 2. Iudæos fletu dignissimam, sed æquissimam quoque cladem

cladem passos. 3. 53. 1. Iudæos, qui sanguinem Christi emerunt, lachrymas etiam suas emere coactos. 3. 53. 15. Flens Christus ostendit, mundum esse vallē lachrymarum. 4. 1. 1.

Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cur judicia DEI abyssus? 1. 3. 2. judicia DEI mirabilia, quia inscrutabilia. 1. 3. 3. Exempla occultorum judiciorum DEI. 1. 3. 4. seqq. Petendam esse à Deo gratiā, vt eius judicia intelligamus. 1. 4. 14. De nuntijs victoriarum amittendarum. 2. 52. 3.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quàm multis in rebus cognitio humana cedat diuinæ? 1. 3. 6. seqq.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Præsciens Christus etiam futura contingentia certò. 1. 3. 10. multorum operum Domini causas in altera demum vita patefaciendas. 1. 3. 17. Certum diem, & certam esse mensuram peccatorum hominibus à DEO constitutam. 4. 45. 2.

Et coangustabunt te vndique. Omnibus eadem esse in mundo fortunæ pericula, nec quemquam à communi lege mortalium se eximium debere arbitrari. 1. 33. 6. Quanta angustia fuerit, quæ matres adegit ad filios suos comedendos? 4. 7. 2. seqq.

Et ad terram prosternent te: & filios tuos, qui in te sunt. Lugdunensis incendij miseranda calamitas, cum vastatione Ierosolymitana comparanda. 1. 33. 2. Multa post casum altiùs surgere, quod Hierosolymæ contigit à peregrinis cultæ. 1. 33. 5. Cadauera vrbium mortis esse monimenta. 4. 44. 6. seq.

Et non relinquent in te lapidem super lapidem. De lapidum monstris. 2. 52. 9.

Eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Felicitatem huius vitæ magis timēdam esse, quàm ipsam vitam. 1. 32. 3. seq. Iustissima Numinis prouidentia, ob occultas causas hominibus varios casus immitti. 3. 38. 8. Iudæi Christū non agnoscentes, in pœnā nec cladis suę nuntios agnouisse. 3. 53. 2.

Et ingressus in templum cœpit eijcere vendentes in illo & ementes. Fortunę humanę debilia fundamenta. 1. 32. 5. seq. Vendentium & ementium, aliorumq; pecunias sæpe in pœnam auaritiæ vtiliter amitti. 4. 34. 6. Etiam mortuos esse è templis ejectos. 4. 67. 4. seqq.

Domus mea, domus orationis est. Quo modo in domo orationis orandum? 3. 32. 9.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Qui templa faciant speluncas impiorum, dum ipsi impios sepeliunt. 4. 67. 3. seqq.

Et erat docens quotidie in templo. Docti & Doctores, quo modo honorandi? 3. 25. 5. seq. Inter Doctorem & stultum, quale discrimen? 3. 47. 2.

DOminica X. Post Pentecosten. Luc. 18. *Qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur ceteros.* In se confidere diuites, quia diuitiæ superbos, sicut paupertas

tus humiles facit esse. 3. 11. 5.

Duo homines ascendebant in templum, vt orarent. Diuersitas hominũ in Pharaone & Nabuchodonosore ostenditur, quorum iste, non item ille egit pœnitentiam. 2. 57. 1. De duorum hominum paritate & diuersitate, ratione superbiæ & humilitatis. 4. 62. 1. seqq.

Vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Peccatoris malè in templum intrantis, & bene exeuntis mutatio. 3. 32. 8. Hi duo sunt duellatores, quorum solius gloriæ caussa alter duellat, quàm id inanis? 4. 20. 7.

Pharisæus stans hæc apud se orabat. Pharisæus orationem cum superbia jungens, similis est mulo, & centauro, ac Hippocentauro, è diuersis naturis misto, de quibus. 2. 47. 18. & 2. 48. 16. seqq.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Impia impœnitentium oratio. 3. 53. 18.

Raptores. Bulæ exemplum egestate ad rapinas adacti 3. 1. 6. Paupertas extremæ impatientiæ caussa. 3. 1. 7. seq. Militum rapinæ quomodo à Deo plectantur? 3. 6. 7. Ducum rapinas non facere diuites, sed iterum euanescere. 3. 8. 10.

Injusti. Nocentes nocentibus facilè indulgere, atque etiam hinc injustos esse. 2. 34. 13. Auari inter opes miseranda mors. 3. 8. 3. Hæreditates injustæ, quàm seuerè etiam in hæredibus punitæ? 3. 8. 12. Auari, luxurioſi, sæui talione puniti. 3. 54. 2. De furibus patibulum non euadentibus, & in patibulo suspensis, vt cælo sint propiores. 4. 52. 8. seq.

Adulteri. Adulteris, quàm irascatur Deus? 2. 27. 5. seqq. Quàm crebra sint tam apud Christianos. quàm Ethnicos adulteria? 2. 31. 2. seq. Quantus è violata conjugij fide existat dolor. 2. 31. 4. De ijs, qui impiè consentiunt in conjugum suorum adulteria. 2. 31. 5. seqq. Adulterorum fraudes, cædes, impudentia, numerus. 2. 31. 11. seqq. De caussis adulteriorum. 2. 31. 3. seqq. Dauid adulter adulterijs punitus. 3. 51. 5.

Velut etiam hic Publicanus. Iudicia temeraria, & suspiciones, quantarũ injustitiarum caussæ sint? 2. 36. 1. seqq.

Ieiunio bis in Sabbato. Operum propriorum æstimatio inflat, vt Nabuchodonosorem; Babylonis magnitudo æstimata. 2. 56. 11.

Decimas do omnium, quæ possideo. Qui decimas & Ecclesiæ bona violant, quàm parum inde ditescant? 3. 6. 8. seq. Fretus meritis præteritis, per quod ad desperationem venerit? 4. 63. 5.

Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum leuare. Quanta hominibus à peccato caussa sit sese humiliandi? 3. 39. 10.

Sed percutiens pectus suum. Pectus percutiendi & se humiliandi caussam habet, qui judicia Dei & sua peccata perpendit. 1. 2. 10.

Deus propitius esto mihi peccatori. Quo modo ad templum eundum & orandum, vt exaudiamur? 3. 32. 9.

Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Mira peccatoris pœnitentis mutatio. 3. 32. 6.

3. 32. 6. Verâ pœnitentiâ opus esse ijs, qui veram ignoscentiam consequi volunt. 3. 53. 17.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. De gigantibus fulminatis, de Milone, Maximino, C. Mario, Polydamante mirè humiliatis. 2. 50. 17. seqq. Humiliatus superbus spiritus Acheronticus, cogitur in vilissimarum bestiarũ formis apparere. 2. 38. 12. Ex Scriptura, qui superbi sint humiliati? 2. 30. 3. Diocletiani superbia à vermibus castigata. 3. 30. 4. Cosrhoæ regis superbia humiliata. 3. 30. 5. Confusio in pœnam & medicinam. 3. 30. 6 seq. DEVM antè humiliare, quàm exaltare. 3. 36. 1. seqq.

DOminica XI. post Pentecosten. Marc. 7. *Exiens Iesus de finibus Tyri.* Ex præsentia Christi colligi potest, quàm magnum damnum patiamur, si à nobis exeat, vel absens sit, 1. 15. 5.

Adducunt ei surdum & mutum. De muliere muta, ne esset maledica. 2. 57. 14. Aurium defectus aliunde compensati. 2. 62. 6. Linguæ vsu priuatus, prophetiæ dono ornatus, 2. 62. 16.

Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum. De miseria hominis à morbis, & curatione morborum. 4. 1. 6. item à varietate morborum. 4. 1. 7.

Et apprehendens eum de turba seorsum. Christus apprehendens, per morbos, homines seorsum vocat è seculo. 4. 29. 3.

Misit digitos suos in auriculas eius. Monstrosarum aurium vtilitas, 2. 62. 7. Ceremonias sacras non esse contemnendas, cùm etiam Christus ceremonijs sit vsus, in hominibus sanandis. 3. 60. 9.

Et expuens tetigit linguam eius. De linguę vsu & abusu. Vsus mirabilis fuit in martyre, qui maluit linguã, quàm castitatem amittere 2. 57. 15. Si sputum Christi hanc vim habuit, cur non & aqua benedicta aliaq; Sacramentalia fructuosè adhibeantur, contra dæmonem & morbos? 4. 40. 17 seqq.

Et suspiciens in cælum ingemuit. Sanctos ingemiscentes, etiam sine voce ad DEVM clamare, & impetrare, quod volunt 1. 50. 10. seqq Exemplo Christi ob dolorem morborũ ingemiscẽtibus suspiciendum in cælum, seu Christum crucifixum. 4. 29. 4. seqq. & 4. 30. 17.

Ephpheta, quod est, adaperire. Supernaturale erat, vt jubendo aures surdi aperiret Christus, de varijs autem modis supernaturalibus sanitatis acquirendæ vidæ. 4. 40. 1.

Et statim apertæ sunt aures eius. Claudenti fores & aures, ne pauperes audiat, claudit & Christus suas fores & aures. 3. 52. 14.

Et solutum est vinculum linguæ eius. Soluitur sæpe lingua in conuitia, & conuitia pro conuitijs reportat. 3. 47. 1. seqq.

Et loquebatur rectè. Non rectè loqui eos, qui etiam temeraria judicia sua jactant, quibus tamen tandem suus error à diuina bonitate ostẽditur. 3. 34. 14. De prædestinatione rectè loqui doctus. 4. 63. 9. seqq.

Et præcepit illis, ne cui dicerent.

Procul

Procul fuisse Christum hæc verba ostendunt ab amore laudis humanæ, quæ varia est, & mutabilis. 3. 41. 1. De laude humana, quæ facit sui cupidos in hac vita recipere mercedem suam. 3. 19. 8.

Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur. Si rerum causas non possumus rimari, debere nos tamen eas cum humilitate admirari. 1. 4. 13.

Benè omnia fecit. DEVM omnia esse omnibus. 1. 13. 2. Naturæ authoris esse, rerum naturis cursum suum relinquere, etiam cùm monstra gignuntur. 2. 51. 3 seqq. Opera, quæ in nobis, vel à nobis fiunt, omnia ad DEI honorem referenda esse. 3. 24. 6. Liberum & justum esse DEO, gratiam dare efficacem, cui vult. 4. 63. 7. seqq.

Et surdos fecit audire, & mutos loqui. De fide, per morbos, propagata. 4. 28. 9. & 4. 38. 5. seqq.

DOminica XII. Post Pentecosten. Luc. 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Quàm beati sint, qui DEVM vident, & quàm miseri, qui non vident? 1. 7. 1. seqq. Mirum exemplum per nasum videntis. 2. 62. 14.

Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Volunt quidam alia videre, non Christum, hi meminisse debent, fuisse oculorum peccata oculis punita, 2. 53. 6.

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum. De quæstionum captione & perplexitate, ac mirabili modo Polygamiæ cuiusdam. 2. 29. 3. Fouea alijs destinata, fodienti facta. 3. 45. 1. Legisperitus Christum, sub specie interrogantis, tentans, Politici est exemplum, qui luculenta talione est punitus. 3. 54. 3. seq.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Laconis, Elisei, & Theodosij de obseruantia erga Magistros judicium. 3. 25. 3. Alia illustria exempla eorum, qui Præceptores suos honorauerunt. 3. 25. 4.

In Lege quid scriptum est, quomodo legis? Lex est justitiæ instrumentum. 2. 9. 1. In Lege scriptum esse, conjugia esse insolubilia. 2. 23. 4. Lex matrimonij quos obliget, vel non obliget? 2. 21. 2. seq. Leges humanas esse similes telis aranearum. 2. 34. 13. Legem talionis etiam in Scripturis sacris inueniri. 3. 42. 4. Legum transgressio quàm scandalosa? 3. 62. 2.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Meretur dilectionem ex tota anima charitas & dilectio DEI immensa. 1. 6. 1. seq. & 1. 11. 6. seq.

Et proximum tuum, sicut teipsum. Bonorum esse, in se sua bona, in alijs eorum mala; sicut malorum, in se sua mala, in alijs bona illorum non videre, cùm tamen contrarium erga se fieri vellent. 3. 34. 13.

Rectè respondisti. Laudat Christus tentatorem suum, quia sæpe laus & gloria humana datur ijs, quibus alia merces, in altera vita, non manet. 3. 29. 12.

Hoc fac, & viues. Mercedem vitæ æternę respondere potissimùm charitati, siue DEI, siue proximi. 3. 10. 8.

Et quis meus est proximus? Quis sit proximus, qui vulneratis debeat succurrere? 4. 35. 11.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Misericordia Christi erga ipsos latrones. 3. 41. 8. seq.

Despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Status hominis in justitia originali, qua per peccatum spoliatus est. 1. 11. 1. Per vulnera & vlcera ad veram salutem euntium exempla. 1. 31. 8. Per vulnera pereuntium exępla. 2. 60. 7. Satius esse, diuitijs, quàm virtutibus spoliari. 3. 12. 1. seqq. Malorum militum malus exitus. 3. 54. 7. Multos spoliari, quia ipsi spoliauerunt. 4. 14. 7.

Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eádem viâ, & viso illo præterijt. Quo modo S. Augustinus, & S. Antonius spoliatos sit consolatus, quod non fecit iste Sacerdos? 3. 12. 1. Seq.

Similiter & Leuita, cùm esset secus locũ, & videret eum, pertransijt. De eo, qui alioqui sanctus, ob eleemosynam pauperibus negatam, tamquam latro damnatus est. 3. 38. 7.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordiâ motus est. Promptiorem esse DEVM ad misericordiam nobis exhibendam, quàm nos ad eam acceptandam. 1. 41. 14.

Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Nullum esse tantum peccatum, quod per pœnitentiam non possit sanari. 1. 42. 16. Vulnerari neminem sine caussa. 4. 14. 5. seq. Vlcera ægrotis lingentium victoria. 4. 36. 4.

Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, &c. Multò magis coniuges sibi mutuò in morbis succurrere debere, de quibus mira exempla. 2. 24. 8. seq.

Quodcumque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi. De liberalitate erga pauperes. 3. 13. 7. seqq. & 3. 19. 7.

DOminica XIII. Post Pentecosten. Luc. 17. *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Lepram olim fuisse pœnam peccati. 2. 55. 1. ex murmuratione illatam. 2. 55. 3. seq & ex alijs peccatis 2. 55. 5. Per lepram & alios morbos homines ad pœnitentiam vocari. 4. 25. 8. Leprosi non contemnendi cùm S. Martinus Christum in specie leprosi portárit domum. 4. 35. 7.

Qui steterunt à longè. Omnes calamitosos à longè stare, & se reos agnoscere debere. 3. 38. 10. Morbis multa vitia impediri, virtutesq; promoueri, vt hi leprosi docti sunt à longè stare, & se indignos putare, qui propiùs ad Christum accederent. 4. 28. 1. Morbos, domita superbia, gignere humilitatem. 4. 28. 4.

Et leuauerunt vocem. De miseria hominum à Casibus, qui faciunt eos leuare vocem, & clamare ad cælum. 4. 1. 8. Ex morbi impatientia multos clamare

clamare & leuare vocem, sed non ad Deum. 4. 13. 1. seq. Quomodo S. Paulus & Carolus Malapertius, in morbis vocem suam leuârint? 4. 13. 3. seqq.

IEsu Præceptor, miserere nostri. Meritò Præceptor vocatur Christus, quia docet homines, quàm fragiles sint, dum per morbos carnẽ edomat. 4. 27. 5. Quanti sit meriti misericordia erga ægrotos? 4. 35. 10.

Ostendite vos Sacerdotibus. Lepram Iudæorum olim, multas ob causas, fuisse monstrosam 2. 55 2. Deum in morbum conijcere peccatores, vt resipiscant, & se Sacerdotibus, per cõfessionem ostendant 4. 27. 9. Obediendum esse, inobedientes morbo non liberari, sed castigari. 4. 27. 4. Obedientia iuuari ægrotos, inobedientia dejuuari. 4 37 7. seq.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Deum etiam ijs, quos scit ingratos fore, beneficum esse, 1. 41. 4. Non solùm sanationem, sed ipsum etiã morbum esse pro beneficio Dei agnoscendum. 4. 27. 10.

Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est: regressus est cum magna voce magnificans Deum. Mundum beneficijs diuinis plenum ad gratiarum actionẽ nos vocare. 1. 43. 10. Impurus Sacerdos, & anima leprosus morbo sanatus. 4. 28. 7.

Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Morborum sanatio gratos vult habere. 4. 28. 13.

Et hic erat Samaritanus. Samaritanus catellis se comparauit, hic ergo Samaritanus ostendit, homines canibus esse ingratiores, de quibus. 2. 15. 2.

Nonné decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Ob terræ beneficia gratitudinem à nobis exigi. 2. 17 8. Frons in parẽtem ingrati à bufone deformata. 2. 53. 5. Benefaciendum ægrotis etiam ingratis & querulis. 4. 36. 5. quantæ id sit perfectionis? 4. 36. 6. seq.

Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. De insigni aquilæ & leonis gratitudine. 1 22. 6. Lepram etiam Naaman ad Dei gloriam fecisse. 4. 38 6.

Fides tua te saluum fecit. Hunc leprosum fide saluũ à lepra fuisse, alios baptismo sanatos à lepra. 2. 57. 5. 6. Ægrotos etiam tum per fidem suam saluos, id est, patientes in morbo fieri, si credant, & loco Purgatorij morbi dolores acceptent. 4. 27. 6. seqq. Fides contra morbos vtilis, tam quam contra tela ignea. 4. 40. 2. Fides albas Nymphas aliaq; spectra fugauit. 4. 40. 3. Lepra per fidem in SS. Trinitatem à S. Martino pulsa. 4. 40. 4.

DOminica XIV. Post Pentecosten. Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ira, pigritia, auaritia, item inuidia, quibus vnus & idem seruit, quantùm suos seruos discrucient? 3. 7. 3. seq. Periculosum pondus diuitiarum abijciendũ. 3. 8. 14.

Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget. Superbia auaritiam odio habet, & diligit. 3. 7. 1.

Aut vnum sustinebit, & alterũ contemnet. Diuitias, etsi sint beneficium Dei, tamen ob humanam cæcitatem fieri exitij causſam. 3. 8. 6.

Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Quia auari pecunias Deo præferunt, & aurum pro Deo colunt. 3. 5 16. ſeq. Auaritiæ fraudes Acheronticis flāmis dignæ. 3. 8. 11.

Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis. Quo modo ſollicitudo hominum pro pane quotidiano curanda? 1. 9. 1. & 1. 9. 4. ſeqq. Nec nihil, nec omnia curare homines debere. 1. 10. 1. Deo fidens inuenit, quod nimis ſollicitus negligit. 1. 13. 13. De prouidentia Dei in cibo ſuis miniſtrando. 1. 17. 3. ſeqq.

Neque corpori veſtro, quid induamini. Pro ſe non ſollicitis, meritò Deū per alios ſuccurrere. 1. 50. 5.

Nonné anima plus eſt, quàm eſca? & corpus plus quàm veſtimentum? Dei ſuos alentis exempla. 1. 9. 2. ſeqq. Animæ ſuæ rationem non habent, qui inuitè & impatienter ſuam ferunt paupertatem. 3. 1. 7. ſeq & 3. 2. 4.

Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Vniuerſalis prouidentia Dei erga res etiam minutiſſimas. 1. 8. 1 & 1. 9. 2. ſeqq. Quinam à beſtijs ducti & docti? 1. 34. 12. ſeq. Cæli aſpectus, quàm pulcher? 2. 12. 4. De auium exoticarum monſtris. 2. 52. 11. De apum & formicarum, quæ congregant in horrea ſua monſtris. 2. 52. 12.

Quis autem veſtrûm cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Contra hoc dictum agunt, qui altiſsimos calceos, ocreas decem Soleis altas geſtāt, aut crepidarum ingentem ſumptum habent, de quo. 2. 61. 8.

Conſiderate lilia agri, quo modo creſcunt: non laborant, neque nent. Deum non tantùm omnia videre, ſed etiam prouidere. 1. 8. 1. Adami in Paradiſo negotium, flores. 2. 12. 7. De conſiderandis plantarum monſtris. 2. 47. 15. De plantarum fauſtis & infauſtis monſtris. 2. 52. 1.

Dico autem vobis: quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. De pulchritudine plantarum, & terræ. 2. 11. 10. & 2. 12 3. ſeqq. In campis, arboribus, ſiluis, floribus, vbique mortis monimenta occurrere. 4. 44. 1. ſeqq.

Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos, modicæ fidei? Sapientiſsimè conſtitutam in terris rerum omnium viciſſitudinem. 1. 29. 4. ſeqq. Vt in fœno, ita & in homine metendo, nulli parci. 4. 48. 1.

Nolite ergo ſolliciti eſſe. Dei erga Mundum magnum & paruum cura. 1. 10. 3. ſeqq. De diuitiarū execratione, quæ tam ſollicitos homines facit. 3. 7. 6. ſeqq.

Hæc enim omnia gentes inquirunt. Ad terram conuerſos à cælo deſeri. 1. 10 10. Miſeria eorum, qui ægrè ferunt, ſibi aliquid deeſſe, & Plutum vt Deum adorant 3. 2. 10.

Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Cura Dei erga varios in neceſſitate poſitos. 1. 10. 6.

Quærite

Quærite primùm regnum Dei, & justitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Liberalitatem suam (qua primùm quærebat regnum Dei) retractantis, subita pœna. 3. 8. 8. Diuitis & pauperis primùm regnum Dei quærentis mors inter se collatæ. 3. 8. 13. & 3. 9. 1. seqq

DOminica XV. Post Pentecosten. Luc. 14. *Ibat IEsus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Homines à loco, origine, & societate animalium suæ fragilitatis & mortalitatis admoneri, sicut à ciuitate Naim admonemur. 4. 15. 8.

Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis. Motum ambulantis, sicut motum cæli, nos fluxæ nostræ naturæ admonere. 4. 15. 4. seq. Quæ facientes iter mortis immemores esse nõ sinant? 4. 43. 7.

Ecce defunctus efferebatur. Indulgentia parẽtum sæpe liberos perire. 2. 40. 12. Parentum, ob liberos, justæ in vtroque sæculo pœnæ. 2. 40. 13. Defunctos peste eò esse miseriores, quia sepulturę honoribus priuantur. 4. 10 5. Omnia in terris mortem pati. 4. 15. 6. Mortem à natura & pœna nobis deberi. 4. 43. 1.

Filius vnicus matris suæ. Quantum sit matrimonij bonum proles? 2. 23. 3. Quantus dolor parentibus accidat é morte filiorum? 2. 40. 2. seqq. De eo, qui cælibatum coluit, ne ex filij obitu dolere posset. 2. 40. 6. Filios sæpe mori in pœnam parentum. 2. 40. 10 Adolescentem hunc in Naim, communi jure mortis, sed ad gloriam Christi morte sublatum esse, 4. 48. 2. Complexionem sępe esse caussam breuioris vitæ. 4. 48. 3. seqq.

Et hæc vidua erat. Cur mors conjugibus sit misera? 2. 43. 6. De bono viduitatis. 2. 44. 1. seqq. De honore, sanctitate, castitate, & exemplis bonarum viduarum. 2. 44. 2. seqq.

Et turba ciuitatis multa cum illa. Viduas honorandas, non lędendas esse. sicut hanc honorârunt funus eius comitati. 3. 27. 1. Eò etiam vtile esse comitari funera, quia mortis meditatio, est vera Philosophia. 4. 43. 2. seqq.

Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam. De miseria hominis ex ineuitabili morte. 4. 1. 12. Morsné, & pestis ipsa, an fames faciat homines misericordia digniores? 4. 10. 1. seqq.

Noli flere. Filios varias ob caussas, è viuis ereptos, non nimis dolendos esse. 2. 40. 14. Principium & finem vitæ humanę, lachrymis ipsis suam fragilitatem testari. 4. 15 9. Quid sit, tempore non suo mori, aut non dimidiare dies suos? 4. 48. 13. seq. id tamen non flendum, cùm Sancti mortem etiam optent. 4 48. 15.

Et accessit, & tetigit loculum. Non tantùm loculum, sed etiam ignem, aquam, vaporem, ventum, cælum, stellas, vrbes & ædes mortis nobis memoriam ingerere. 4. 44. 3 seqq.

Hi autem, qui portabant, steterunt. Quatuor hos funeris baiulos esse quatuor elementa, é quibus homo constat, quæ sunt in eo caussa morborum & mortis 4. 16. 1. seqq & 4 16. 1. seqq. Exempla Principum, qui suis humeris

Sanctorum aliorum q̃ cadauera extulerunt. 4. 66. 7. Cadauera Sanctorum à canibus & aquilis custodita. 4. 66. 9. Sancti à leonibus sepulti. 4. 66. 11.

Adolescens, tibi dico, surge. De miseria hominis ex breuitate vitę. 4. 1. 9. Vigilias & somnum esse monimentum mortis. 4. 44. 13. Cur aliqui in adolescentia moriantur? 4. 46. 1. seqq. Beneficium esse multis citò mori. 4. 46. 4. seqq. Iuuenes non debere sperare longiorem vitam, quàm senes. 4. 48. 4. seq.

Et resedit, qui erat mortuus. Nulli injuriam fieri, si ad mortalem vitam reuocetur, cùm id ei prodesse possit. 1. 38. 4. & de reuocatis ad vitam, qui maluissent mortui manere. 1. 38. 3.

Et cæpit loqui. De mortuis suscitatis, vt loquerentur, & testimonium innocentiæ darent. 3. 34. 6.

Et dedit illum matri suæ. Ob quæ parętum peccata, filij ante tempus moriantur? 4. 47. 7. Filios sæpe ob parentum peccata è medio tolli. 4. 48. 10. & ob peccata in parentes. 4. 48. 11. seq.

Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum. Quanti fructus ex memoria mortis nascantur? 4. 44. 15. Si isti timuerunt videntes huic iuueni vitam restitui, quanto magis debemus timere, si videamus, tot, ob peccata sua mori? 4. 47. 1. seq.

Et quia Deus visitauit plebem suam. Non visitat Deus tantùm salutem afferens, sed etiam miserias in pœnam. 4. 2. 1. quibus domatur humana superbia. 4. 2. 2. seqq.

DOminica XVI. post Pentecosten, Luc. 14. *Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem.* Ad malos bono fine intrari posse 3. 46. 8. Mirabile exemplum eorum, qui etiam ad meretrices honesto fine solebant intrare. 3. 46. 5. seqq.

Et ipsi obseruabant eum. De auaro Domino, simplicem Religiosum, inter manducandum obseruante, & ad frugem reducto. 1. 21. 2. seqq. Non solùm religiosos, sed etiam sæculares in conuiuijs obseruari an temperantes sint, vnde de gulæ & temperantiæ violatæ incommodis agendū. 4. 22. 7. seqq.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Hydropici senis, intercute aqua, quàm æternis ignibus cruciari præoptantis, exemplum. 1. 31. 5. Hydropicos internis, multos alios externis aquis, vel dolo, vel sponte interijsse. 2. 9 5. seqq. Quæ partes hominis lethaliter afficiantur, vel non afficiantur? 4. 16. 2.

Si licet sabbato curare? De diebus festis obseruandis. 1. 13. 12. Non tantùm sacro tempore, velut Sabbato, sed etiam sanctis hominibus licitum esse vti medicinis. 4. 37. 6.

At illi tacuerunt. De malè tacentibus, qui à S. Vincentio, etsi muti essent, iussi sunt tamen loqui. 2. 57. 14. De bene tacentibus, ne æternùm damnarentur. ibid. An in nauibus geniti fiant muti? 2. 51. 3.

Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Temerarijs iudicijs omnia esse plena, ea tamen (exemplo Christi non curantis iudicia Pharisæorum) esse contemnenda. 3. 33. 6.

Cuius

Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet: & non continuò extrahet illum, die sabbati? Optimũ contra temerariaiudicia remedium, in proprium sinum inspicere. 3. 34. 12.

Et non poterant ad hæc respondere illi. De silentio & voce monstrosa punitis. 2. 53. 10.

Intendens quo modo primos accubitus eligerent. De ambitione etiam in fratres sæuiente. 3. 5. 15. Multos contra Deum murmurare, quòd honor æquè malis ac bonis detur, vel negetur. 3. 18. 3. Ad honorem omnes, sed non omnes ad veram aspirare. 3. 29. 9.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Non solùm locum, sed nec gradum primum sponsorum ambiendum, cùm disparitas nuptiarum sit periculosa. 2. 22. 6. De honoratorum periculis & statu. 3. 28 4 Veri honoris lucem vmbræ honoris longè esse præferendum. 3. 41. 1.

Ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is, qui te & illũ vocauit, dicat tibi, &c Quid, & vnde Honor, & quo modo à gloria differat? 3. 38. 1.

Da huic locum. Honorũ ac dignitatum, fortunæ subiectarum vanitas. 1. 32. 11. Quantum bonũ sit honor? eumq; excellentiorem excellentioribus deberi. 3. 18. 2. Perire honorem, qui indignis tribuitur: & ob quas causas indignis non sit dandus? 3. 28. 1. seq. Per bella alijs occisis, alijs fieri in mundo locum. 3. 57. 7.

Et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. De tribus vanæ gloriæ classibus, quæ facientes hominem erubescere, meritò vanæ sunt. 3. 22. 1.

Recumbe in nouissimo loco. Ita dum Deus superbos ponit de sede, vt iustus, honoratur, quia sæpe vanæ gloriæ & honoris causa facta, in honorem Dei conuertuntur. 3. 23. 5. Eos, qui honorem suum quærunt, sæpe indignationem & confusionẽ mereri. 3. 29. 11.

Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Laudis amore, & metu dedecoris multa mala vitari, & bona fieri. 3. 23. 7. Dicitur, *Amice, ascende superiùs:* quia honoribus homines conciliantur, & amici fiunt. 3. 23. 9. In deferendis honoribus ordinem esse seruandum. 3. 29. 2.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. De superbis & valde potentibus mirè humiliatis, fulmine percussis, dejectis. 2. 50. 16. seqq. De Nabuchodonosore humiliato. 2. 56. 2. seqq. Vel Ethnicos, quæ recta sunt, honori suo præposuisse. 3. 29. 5. Humilitatem esse causam exaltationis in exemplo eius, qui ob acum Abbas factus est. 3. 39. 8.

DOminica XVII. post Pentecosten. Matth. 22. *Interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor.* Legis doctores, alijq; docti, quantopere sint olim honorati 3. 26. 5. seqq. Theologorum, Philosophorum, eloquentium honor. 3. 26. 7. seqq. item Poë-

Poëtarum, historicorum honor. 3. 24. 2. seqq.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Cur quidam perfectionem magnam sectantes, id non impetrent? 1. 4. 10. cur alij aliud destinantes ad religionem vocentur? 1. 4. 11.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Quantam sollicitudinem in exequendis mandatis suis Deus exigat? 1. 9. 9. Charitas per morbos ipsos inflammatur. 4. 28. 11.

Hoc est maximum & primum mandatum. Quia & maximus, imò solus Deus magnus est. 1. 32. 11. Meritò maximum mandatum est de Deo diligendo, quia Deus est immensæ bonitatis & charitatis. 1. 6. 1. seq.

Secundum autem est simile huic: Diliges proximũ tuũ, sicut teipsum. S. Lydvvina ita proximos dilexit, vt communem pestem & alia mala in se ipsam deriuârit. 4. 32. 8.

In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Quia omnis lex & omnia Prophetarum verba sunt pro virtutibus & contra vitia, quæ Deum vel proximum attingunt, nec potest esse lex, quæ huc non collimet; sicut virtutes non possunt esse, vbi non possunt esse vitia. 3. 58. 6. seq.

Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Quid ægrotis morbi dolorem de Christi exemplo patientissimè ferentibus visum sit de Christo? 4. 29. 5. seqq. & 4. 31. 9. & 32. 9.

Dicunt ei: Dauid. Dauid fuit bellator, sicut & Christus, vnde bella à Deo iussa & laudati bellatores. 3. 56. 7. seq. Variæ bellorum vtilitates. 3. 57. 4. seqq. Dauidem regem in felicitate peccasse, & punitum esse. 3. 61. 3. seq.

Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum? Dei, & Filij Dei fides quomodo persuasa? 1. 21. 15.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quid sit, & quanti facienda gloria cælestis, quæ non pertinet tantùm ad Christum, qui sedet à dextris Dei, sed etiam ad omnes beatos, qui in judicio stabunt à dextris Dei. 3. 23. 1.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hostibus à Deo immissum bellum. 3. 56. 7. Vindicta Dei quàm metuenda? 1. 40. 10. Quo modo Deus inimicos suos, qui innocentes vi opprimunt, etiam ipse opprimat. 1. 39. 1. seqq.

Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quo modo filius eius est? Tantùm scilicet, & non etiam Deus? Retorsiones in Adamum, dæmonem malum, & Iudæos aliosué à Deo, factæ. 3. 47. 5.

Et nemo poterat respondere ei verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Quo modo doctrinâ excellentes se se humiliare possint, ex ignorantia scilicet rerum plurimarum? 3. 4. 11.

DOminica XVIII. Post Pentecosten. Matth. 9. *Ascendens IEsus in nauiculam transfretauit.* Maris & aquarum æstimatio, commendatio,

datio, vtilitates. 2. 6. 3. seqq.

Et venit in ciuitatem suam. Nulli suam partiam esse exprobrandã. 20.19.9. An patriæ obscuritas Anacharsi rectè objecta? 3. 47. 2. Quæ patria milites pariat meliores? 3. 57. 10.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Paralyticus manuũ & pedum vsu destituitur, sed mira Dei prouidentia, in manuum & brachiorum compensatione. 2. 62 9. Alius Paralyticus, ob peccata, triginta annis in morbo jacuit. 4 24. 2. Homines corpore infirmos, virtute esse fortiores. 4. 28. 5. seq. Alligat paralysis ægrum, sicut Deus per morbum Bernardinum Realinum alligauit. 4 29. 2.

Et videns IEsus fidem illorum. Alijs oculis homines à Deo, alijs ab homine aspici. 3 32. 3. Exempla eorum, quos Deus per morbos, ad pœnitentiam vocauit. 4. 27. 2. cum fide spes erat conjuncta apportantium ægrum ad medicum, quæ per morbos excitatur. 4. 28. 10. Ægris seruientium quæ sint commoda? 4. 35. 1. De impatientia eorum, qui circa ægrotos versantur. 4. 35. 2. Qui curam ęgrorum habuisse legantur, vel neglexisse? 4. 35. 3. seqq.

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Sicut morborum, ita & bellorum occasione, multos fiducia Dei armari. 3. 57. 10. Quanta sit misericordia Dei, qui toties relapsis ignoscit? 3. 60. 9. Cur Christus Paralytico corporis sanitatem petenti, animæ sanitatem priùs dederit? 4. 24. 1. De ijs, qui peccato sublato etiã morbis sunt liberati. 4. 27. 3.

Et ecce, quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Scribæ similes canibus omnia allatrantibus qui in certis locis crebriùs occurrunt, sicut in certis locis homines canina facie. 2. 51. 5.

Et cùm vidisset IEsus cogitationes eorum. Quàm meritò Deus malè cogitantes detegat? 3. 31. 6. Secreta cordium soli Deo nota esse. 3. 32. 1. Deum interna hominis videntem maximè timendum esse. 3. 32. 4.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Fidei lumine priuatos facilè in falsa judicia, at verò etiam in impura labi. 3. 33. 2. seqq.

Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula? Dimitti peccata priùs à Christo, quàm morbos, quia peccatum est caussa morborum, & omnium malorum. 4. 17. 1. seqq.

Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Sinere quidem Deum judicari & infamari innocentes, sed eosdem in honorem reponere, sicut Christus, hoc miraculosè sanato repositus est, ita vt mirarentur & Deum glorificarent turbæ. 3. 34 1.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. In morborum pœnis beneficia Dei contineri, quia per eas surgimus ad Deum. 4. 17. 4. S. Augustini & S. Pachomij ad morborum patientiam exhortatio. 4. 32. 14. seq.

Et surrexit, & abijt in domum suam. De varijs morborum vtilitatibus.

bus. 4. 29. 1. Per eos Deus homines facit surgere, & ire in Indiam, in Religionem &c. 4. 29. 3.

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Cùm Christus, vt verus Deus, habuerit ad hoc potestatem principalem, vel jubendo jussit abscedere morbos, 4. 26. 8. seqq.

DOminica XIX. Post Pentecosten. Matth. 22. *Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* De nuptijs Virginum cum Christo, à tempore Apostolorum. 2. 46. 15. De nuptijs licitis, & illicitis. 2. 21. 1. seqq. & 2. 22. 5. seqq. De periculosa nuptorũ disparitate. 2. 22. 6. Quæ Virgines respuerunt nuptias? 2. 46. 11. Quæ in ipso matrimonio virginitatem seruârint? 2. 21. 5.

Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. De institutione, dignitate, & fructibus matrimonij. 2. 24 1. seqq An Virgines vlla nuptiarum lege teneantur? 2. 21. 2.

Et nolebant venire. Parabola S. Bernardini de Sponsa à Deo oblata, cum regno, & à plerisq; hominibus repudiata: cùm interea altera infelix ambitiosè quæreretur. 3. 14. 1.

Iterum misit alios seruos. Virgo à misso diabolo insessa, vt juuenem amaret. 2. 59. 11. Virgo alia, immò vrsa visa, ne violaretur. 2. 57. 18.

Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui. De præparata Eucharistia, ad quam varijs modis inuitantur homines 1. 15. 1. seqq.

Tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata. Bos pauperibus paratus. 1. 20. 7. seq. altilia ægro mittit Deus. 1. 19. 8. Cur bestiæ, quæ non peccârunt, occidantur, & moriantur? 4. 17. 10.

Venite ad nuptias. Quanta nuptiarum & conjugiorum cura fuerit Deo olim? 2. 25. 1. seqq. quanta etiam posterioribus sęculis? 2. 26. 1. seqq.

Illi autem neglexerunt & abierũt. Inuitati vtique ad regias nuptias ditiores, qui tamen eas neglexerunt, ob curam & sollicitudinem in diuitijs retinendis. 3. 4. 6. Quàm miseros faciat pecunia habentes? 3. 4. 7.

Et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Miseram esse felicitatem, in possessione diuitiarum. 3. 4. 9.

Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Quo modo Deus crudelitatem puniuerit in Rege Morindo? 2. 54. 9. Auaritiam esse caussam & parricidiorum. 3. 5. 14.

Rex autem, cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Homicidia à Deo mirabiliter puniri. 2. 33. 11. Homicidæ mirabilis punitio, per eam ipsam, quam voluit occidere. 3. 13. 6.

Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, nõ fuerunt digni. Quanta prouidentia Deus amicis suis nuptias

nuptias parârit? & quibus? 2.25. 1. seqq.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias. Matrimonium Rhodopes calcei elegantiâ procuratum. 2.25. 7.

Ligatis manibus mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Quàm horribiles sint futuræ tenebræ infernales? 2. 5. 18. Quid hominibus prosint vincula & carceres? 3. 38. 3. seqq.

DOminica XX. post Pentecosten. Ioan. 4. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur.* Quæ opera misericordiæ sint ægrotis præstanda? 3. 33. 2. & motiua ad id. ib. Parentum peccata non solùm in filijs ægris, sed etiam à filijs punita. 4. 35. 9.

Hic cùm audisset, quia Iesus veniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum. Spes, occasione morbi incitatur. 4. 28. 10. A Regulo hoc, vti & à Iob doceri nos, vt in diuino auxilio confidamus. 3. 33. 10. Quia non solùm fratres & cognati, sed etiam inuicè membra sumus in Christo vnita, inuicem succurrere debemus. 4. 36. 2. seq.

Et rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius. Mirabilis potentia Christi in hominibus persanandis, quos nulla vis alia sanitati restituere potuit. 1. 12. 9.

Incipiebat enim mori. Dum incipimus viuere, incipimus mori, quia incipimus esse morbis obnoxij 4. 15. 1. De desperatis & insanabilibus morbis quibus Iob laborauit. 4. 33. 6. seqq. Nuntios & iudicia mortis non posse abscondi. 4. 43. 5. Ratione morientiũ meritò sollicitos esse homines, cùm tantum illis periculum immineat. 4. 62. 3. seqq.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Miracula, vel quasi miracula fieri subinde etiam à non Sanctis. Et quid inter verum & falsum miraculum interfit? 2. 8. 15. Signa & monstra in omnibus rebus dari, & tamen non credi. 2. 47. 1. seqq. Signa non petenda. 2. 8. 7.

Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Ignorabat Regulus, à Christo absente posse sanari filium suum, hinc petijt, vt descenderet: ignorantia vnde originem habeat? 4. 17. 6. seq.

Vade, filius tuus viuit. Magna hæc consolatio Reguli fuit, quid Margaretham Saffoiã in morbo sit consolatum? 4. 34. 2. Christus sanatione miraculosa morborum, ignorantiam hominum sanauit. 4. 38. 7.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam. 1. 10. 2.

Iam autem, eo descendente, serui occurrerunt ei: & nuntiauerunt ei, &c. Non tantùm sanitatis, sed etiam mortis nuntios vbique occurrere. 4. 43. 5 seq.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit? Medici hieroglyphicum, contra venena & morbos omnes ars quintuplex, sed sextam ar-

tem habuit Christus, qui potuit absentes sanare. 4. 37. 3.

Heri hora septima reliquit eum febris. Morbos non posse esse longos, cùm vita sit breuis, etsi tota vita quis ægrotet, maximè cum æternitate comparatos. 4. 34. 3.

Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: filius tuus viuit. Ab hoc Regulo & Iobo, nos doceri, Deum in vtraque fortuna esse laudandum; nam regulus ægroto filio Christum adijt, & sanato Christum laudauit, sicut Iob felix & infelix. 4. 3. 9.

Et credidit ipse, & domus eius tota. Coniugij fructus religio 2. 45. 5. seqq. Magnæ conuersionis causa fuit baptismus è porcis præstigiosis homines reddens 2. 57. 4. Sicut ob Reguli fidem tota eius domus conuersa est & credidit, ita rex Ieroboam cum tota familia morbis plexus est. 4. 23. 4. De fide per morbos propagata 4. 28. 9. Christum miracula sanitatum fecisse ad diuinitatem suam Mundo demonstrandam. 4. 38. 5.

DOminica XXI. post Pentecosten. Matth. 18. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Quantum timorem incutiat iustitia Dei vindicatiua? 1. 5. 15.

Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Dari diuitias, & auferri bonis æquè, ac malis. 3. 6. 11.

Cùm autem non haberet, vnde redderet. Quo modo tractandi sint serui, vt dominos suos honorent? 3. 26. 3.

Iussit eum dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Diuinæ justitiæ pœnam vtilem esse, non tantùm patienti, sed etiam facienti iniuriam. 2. 1. 7. Lis per coniuges composita. 2. 45. 18.

Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens, &c. Orandum esse in necessitate Deum, qui longè liberalior est erga pauperes, quàm Ludouicus Imp. aut mater erga filium. 3. 13. 8. seq.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Dei patientiam & liberalitatem erga pauperes imitandâ esse, exemplo S. Stephani Hungarorũ regis. 3. 13. 10.

Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Castigationes diuinas, tamquam ab amante, non persequente Deo iustas piendas esse. 2. 1. 8. Erga pauperes cura & misericordia, Ethelouuoldi, aliorumq. 3. 13. 11. seqq. Misericordiæ apud Deum retributio. 3. 43. 3. & 3. 43. 5. seqq.

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Lites è diuitijs & mala vindictę. 3. 5. 9. seqq. Homines hominibus, & amicos antè, amicis fieri lupos. 4. 20. 2.

Et tenens suffocabat eum. Immisericordes esse Scyllis ipsis sæuiores, de quibus. 2. 48. 6. Hominum exemplo, Deum

Deum ad auaritiam plectendam inuitari. 3. 6. 4.

Redde quod debes. De debiti etiam coniugalis redditione, ne detur causſa, vt adulteria adulterijs puniantur. 2. 33. 6. ſeqq.

Et procidens conſeruus eius rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Cur, & quomodo honorandi ſint benefactores, ſicut in conſeruo benefactorē Dominum iſte honorare debuiſſet. 3. 26. 4.

Ille autem noluit, ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Auaritiā non ſolùm in conſeruos, ſed etiam in fratres ſæuire. 3. 5. 15.

Videntes autem conſerui eius, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde. Etiam qui videntur innocentes, contra Deum conqueri non poſſe, ſi mittantur in carcerē, compluribus exemplis oſtenditur. 3. 38. 2. ſeqq.

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonnè ergo oportuit & te miſereri conſerui tui? Si Deum erga ſe volunt miſericordem peccatores, ſint ipſi miſericordes erga pauperes. 1. 42. 18. Diuitias eſſe occaſionem damnationis, quia faciunt immiſericordes 3. 8. 7. Diues, quia fuit immiſericors, damnatus eſt 3. 8. 9. Religioſus cætera negligēs, ob injurias condonatas, judicium Dei euadit. 3. 28. 9. De lege & pœna talionis. 3. 42. 1. ſeqq.

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vſque redderet vniuerſum debitum. In Deo iram eſſe cum miſericordia. 1. 6. 6. & 1. 8. 2. ſeqq. & 2. 1. 1. ſeqq. Exempla punitorum ob auaritiam. 3. 6. 6. Tragicum auaritiæ in ſeipſam ſequentis exemplum. 3. 7. 5. Immiſericordis erga pauperem pœna. 3. 13. 7. Duplex ira Dei homines per pœnam corrigentis 4. 27. 1. De judice juſſo obuium ſuſpendere. 4. 52. 6.

Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Veniam dantes homini, veniam impetrant apud Deum. 3. 43. 4.

DOminica XXII. poſt Pentecoſten. Matth. 22. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent IEſum in ſermone.* Aſtutiam Politicorum ſuperari à ſimplicium candore. 1. 23. 4. ſeq. Quos homines Clemens Alexandrinus vulpibus, & cicadis comparet 2. 61. 7. De conſilijs, & conſulentibus, malis in caput malè cōſulentium reuerſis. 3. 48. 1. ſeqq.

Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis. Ipſum nonnumquam diabolum per legatos & veneficos ſuos plus poſſe efficere, quàm per ſe ipſum. 4. 1. 8. Quibus modis noceant. 4. 19. 3. ſeqq.

Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam DEI in veritate doces. Quàm verax ſit Deus, & quantam id fiduciam pariat. 1. 5. 10. An, & quomodo liceat, vel non liceat Magiſtri vel Patris titulum appetere? 3. 19. 3. Veneficorum & Magorum author eſt diabolus. 4. 42. 7.

Et non eſt tibi cura de aliquo.

Esse Deo curam de toto mundo. 1. 10. 1. seq. Deo perinde esse, pauperémne, an diuitem judicet, sed non perinde esse hominibus. 3. 3. 1. Adulati sunt Pharisæi, cùm hæc dicerent, hinc cognita est nequitia eorum. Quere de periculo adulationum. 3. 35. 1. & Adulatores à sapiẽtibus semper fuisse tamquam noxias bestias repulsos. 3. 35. 2.

Non enim respicis personam hominum. Non è vultu, aut deformitate cuiusquam de eius virtute judicandũ, cùm sepe sub deformi corpore pulchra sit anima. 2. 49. 6. Iudicia temeraria è vultibus non ferenda. 2. 50. 3. seqq.

Dic ergo nobis, quid tibi videtur? De quæstionibus perplexis & difficilibus ad soluendum. 2. 29. 3.

Licet censum dare Cæsari, an non? Pharisæi Christum tentantes per quæstiones, similes sunt Sphingibus, de quibus. 2. 48. 15.

Cognita autem Iesus nequitia eorũ. Deum omnia videre, & hoc scire, quantum homini prosit? 1. 7. 7. seqq.

Quid me tentatis, hypocritæ? Non tentandum Deum, vt per sortes occulta, aut futura indagentur. 1. 36. 3. seqq. Nummos & inopiam in vtramq; partem, hoc est, bene & malè posse adhiberi. 3. 2. 11. & à bonis bene, à malis malè adhiberi. 3. 5. 1. Simulata, vel hypocritica paupertas, quâ Deus tentatur. 3. 17. 2. Quibus similes sint hypocritæ, quàm digni pœnâ? etiam nostro sæculo, & qui, quàm multi? 3. 31. 1. seqq.

Ostendite mihi numisma census. Opificum instructio, vt ditescant. 1. 13. 4. Vtilissima per piam vsuram pecuniæ augendæ ars, dare pauperibus. 1. 13. 13. De metallorum monstris. 2. 47. 14.

At illi obtulerunt ei denarium. Vbi verum Fortunati marsupium inueniatur. 1. 13. 8. Deo fidens inuenit, quod nimis solicitus negligit. 1. 13. 13. Vberrimè compensata eleemosyna. 1. 13. 15. seq.

Cuius est imago hæc, & superscriptio? In Adamo duplex Dei imago & similitudo. 2. 12. 11. Cur Deus suam homini similitudinem impresserit? 2. 12. 12. De imaginibus monstrosis metallorum. 2. 47. 14. Iudæo imaginum sacrarum hosti cõsilium proprium, quid pepererit? 3. 48. 8. Anima hominis, quæ est imago Dei, an possit corpus bestiæ informare? 2. 60. 11. Statua salis vxoris Lot, cuius rei sit imago? 2. 55. 8.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO. Cùm in anima sit viua imago DEI, animam DEO reddendam esse, ostendunt animæ ad Deum clamantes. 1. 37. 4. Non malis, sed bonis artibus pecunias esse quærendas. 1. 13. 7. Christum ipsum in statere dando, magno miraculo, Cæsari dedisse, ad quod tamen non obligabatur. 1. 13. 5. Cur, & quibus modis Magistratus sit honorandus? 3. 27. 2. seqq. Imperia, regna, & Respublicas interijsse, quando Deo, quæ Dei sunt, cultum, honorem religionem cęci non reddiderunt. 3. 60. 1. seqq.

DOminica XXIII post Pentecosten, Matth. 9. *Ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum.* Quantum honorem Principes Deo & Sanctis exhibuerint, dum sæculo valedicerent? 1. 26. 2. dum stupendè mutarentur. 2. 56. 2. dum suis humeris Sanctorum

ctorum corpora portarunt ad sepulchrum. 4. 66. 7.

Domine, filia mea modò defuncta est. Quanta crux sit parẽtibus ex morte liberorum? 2. 40 3. seqq. Et hanc filiam, & Xerxis exercitum, & totum mundum memoriam mortis excitare. 4. 44. 14. Quæ tria circa mortem considerandа? 4. 45. 1. Quàm malè nonnulli querantur de immatura quorumdam morte? 4. 46. 8.

Veni, & impone manum super eam, & viuet. Alias virgines & puellas Deus seruauit, dum eis manum imponeret, quâ Iobum tetigit, dum scilicet morbis, vel alia deformitate earũ castitatem defendit. 2. 57. 15. seqq.

Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Sequi ad ægrotos debere medicum, cuius laus, honor, præstantia, effectus non sine Deo, & ad Deum. 4. 37. 4. seqq. Adhortatio ad medicos, vt suâ arte, & peritiâ vtantur. 4. 37. 9.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim. Hæmorrhoissa à medicis desperata ad Christum confugiens sanatur. 1. 12. 7. Morbi an noceant? 2. 43. 3. S. Aldegundis, & S. Edeltrudis mira in morbo patientia: non enim, vt hęc mulier, morbo suo liberari cupiebant, sed eum, loco Purgatorij, ferebant. 4. 27. 6. seq.

Addit Lucas. c. 8. v. 43. *Quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari.* De imperitorum medicorum audacia & infelicitate, & peccatis, multitudine, 4. 37. 10. seqq. Multos non juuari vlla ope in morbis, vt probentur. 4. 42. 1.

Et accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Hæmorrhoissę exemplo Reliquias sacras, tamquam diuinitus salutares, esse venerandas. 1. 12. 7. seq. Deum cum medico, & plus quàm medicum ab ægrotis inuocandum. 4. 37. 5.

Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. Finæ in morbis patientia quomodo sit compensata? 4. 34. 5. Quibus verbis, huius mulierculæ exẽplo, seipsum alloqui debeat ægrotus? 4. 34. 7. Fide tangendus Christus. 1. 12. 6.

At Iesus conuersus, videns eam. Quid in hac femina viderit Christus? nempe non tantùm morbum, & fidem in Deum, sed etiam in maritum. De fide conjugali multarum heroicarum feminarum vide. 2. 32. 11. seqq.

Confide, filia, fides tua te saluam fecit. Bene credentes aduersis probantur & agnoscuntur. 3. 31. 4. Medicos charitatem erga ægrotos, exẽplo Christi spectare debere & magis quàm lucrum. 4. 37. 1. Quibus, & cur miracula sanitatum non conferantur? 4. 28. 8.

Et salua facta est mulier ex illa hora. Salua mulier per ignes & à calumnijs. 3. 36. 7. seqq Quantum fuerit miraculum Christi, mulierem insanabilem sanantis? 4. 26. 6.
Morbos etiam ob medicinam, ad Dei potentiam agnoscendam dari. 4. 37. 2.

Et cùm venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. De diuitum prodigalitate, præsertim erga mortuos

suos

suos. 3. 5. 8. Et contrà de auaris, qui ne mortuis quidem parcunt. 3. 5. 13.

Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Cur dormire dicantur mortui? quia somnus est mortis imago. 4. 44. 13. Dormiunt somnum suum diuites. 3. 5. 8.

Et deridebant eum. Risum amarum amarè luens injustus judex. 1. 37. 10. Alius Menuercum ridens, grauiter punitus. 1. 37. 12. Sanctorum virorum irrisores, equorum ritu caudati. 2. 54. 3. Deridentes derisi Cæciæ vento & cicino sunt similes. 3. 44. 1. seqq. Ridentium benefactores mortuorum pœnæ. 4. 66. 8.

Et cùm ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius. Tenere manum ceremonia fuit, vnde ceremoniæ sacræ non contemnendæ, sicut profanæ vitandæ. 3. 60. 9.

Et surrexit puella. De mortuo ad vitam excitato, & suam innocentiam defendente. 3. 34. 6. Quanta sit bonorum morbos, post resurrectionem in cælo, compensantium mensura? 4. 34. 6.

Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam. Potentia Christi in morbos & mortem. 4. 26. 8. seqq. Quantum nomen Christo fecerint miracula? 4. 38. 5. & 4. 38. 7.

DOminica XXIV. Post Pentecosten. 24. *Cùm videritis abominationem desolationis, &c. stantem in loco sancto.* Quanta sit Dei bonitas homines præmonentis? 2. 52. 15. Abominatio desolationis à bello relicta. 3. 55. 1. seqq.

Qui legit, intelligat. Obscuritatem scripturarum indigere intellectu, & lumine, sicut Aegyptus olim. 2. 5. 15. Quàm perniciosè ab alijs ignoretur, & quæ vtiliter agnoscatur ira diuina? 2. 1. 4.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. De timore ad pœnitentiã vtili. 2. 4. 8.

Et qui in tecto, non descendat, tollere aliquid de domo sua. Iudæi æqualia passi ijs quæ Christo intulerunt in cruce, quàm miserabiles fuerint? 3. 53. 1.

Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Cur Iudæi expulsi fuerint suis sedibus & ædibus? 3. 53. 13.

Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Quantæ clades tunc Iudæis ob peccata sua illatæ fuerint? 3. 60. 2.

Orate autem, vt non fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato. Non opus esse, vt à potenti hoste fugentur homines, cùm à ranis & muscis legantur fugati. 2. 15. 13. seqq.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Quod de die judicij & Hierosolymitana clade intelligendum; nam si nostri temporis calamitates consideremus, vix vmbra sunt, cùm eis simillimæ etiam à S. Basilio describantur & illius tempore factæ legtãur. 3. 65. 1. seq.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Dies vitæ non sine causa parui & mali. 4. 1. 11.

Cur

Cur multis iuuenibus dies vitæ breuientur? 4. 46. 2. seqq. & 4. 48. 6. seqq.

Sed propter electos breuiabuntur dies illi. A Deo sæpe prohiberi dæmonem, ne plura mala faciat. 3. 56. 1. Beneficium Dei est breuitas vitæ. 4. 2. 8. Sæpe etiam dies ob scelera & improbitatem hominibus abbreuiantur. 4. 48. 14.

Tunc si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Dæmonem subinde vera dicere, vt falsis faciliùs credatur. 1. 36. 12. seq.

Surgent enim pseudoChristi & pseudoprophetæ. De Cingaris, & Aegyptijs impostoribus. De sortilegis & sortes antiqui testamenti malè imitantibus. 1. 36. 1. seqq. De fraude diabolica Cingarorum iuuenculas seducentium. 3. 61. 10. Signa pseudoprophetarum. 2. 8. 1. De Tiresia cæco vate in feminam mutato. 2. 60. 3. & 2. 62. 11.

Et dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Variarum bestiarum figuræ, & versipelles ludi Acherontici Protei. 2. 58. 4. seqq. De vano timore ex prædictione Astrologorum. 2. 59. 22.

Ecce in deserto est: nolite exire, &c. Liberum est exire, vel non exire, ad pœnam vel præmium promerendũ quia nisi libertas in homine esset, merita non essent. 3. 58. 5.

Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: ita erit aduentus Filij hominis. De fulguris & fulminis significatione, vtilitate, effectibus. 2. 3. 4. seqq. & 2. 4. 6. seqq.

Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ. Cadauera Sanctorum à canibus & aquilis custodita. 4. 66. 9. & ab alijs auibus bestijsque celebrata. 4. 66. 13.

Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, &c. De signis in cælo, hoc est, aëre. 2. 47. 3. quæ monstra hoc cælum habeat? 2. 47. 5. seq & 2. 52. 9. De signis in terræ motibus. 1. 18. 4. segg.

Tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt Filium hominis venientem, &c. Quanta maiestate venturus sit Filius hominis? 2. 3. 4. Ceadde in tempestatibus meditatio de aduentu Filij hominis. 2. 4. 15.

Et mittet Angelos suos cum tuba. Tubam justitiæ vindicatiuæ Dei indicem esse. 3. 59. 1.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Fugacis mundi imago. 2. 20. 2. Terræ instabilitas. 2. 20. 4. seqq. cæli perennitas. 2. 20 5. seqq. Cælum incorruptionis, terram corruptionis esse sedem, & tamen in cæli motu nos mutabilitatis nostræ admoneri. 4. 15. 3. seqq.

INDEX RERVM, QVÆ EX HIS QVATVOR TOMIS POTERVNT VTILITER SVMI, PRO CONCIONIBVS FFSTORVM TOTIVS ANNI.

Primus numerus Tomum, secundus Caput, tertius Paragraphum significat.

IN Festo S. Andreæ. Matth. 4. *Ambulans IEsus juxta mare.* De ijs, qui in mari, autvin aquis martyrium sunt passi. 2. 6. 11. Quantum admirati sint SS. PP. terminos aquarum à Deo positos? 2. 7. 6. seqq. S. Hilarionis, per signum crucis, cõtra exundans mare potestas. 2. 7. 11.

Vidit duos fratres. De fraternitatibus, de fraternitate MARIAE de Mercede. 3. 43. 7. Dominus fratrũ nomine dignatur pauperes appellare. 3. 15. 2. Aliorum fratrum ex ambitione crudelitas in fratres. 3. 5 15. Quantus fratricida fuerit Abimelech? 3. 60. 8.

Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. De S. Petro vide in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. De S. Andrea, etiam in sortibus repudiato, & tamen propitio. 1. 34. 10.

Mittentes rete in Mare. Qualia monstra in aquis occurrant, capienda? 2. 47. 7. seq. Laborantes tota nocte, quando & quare nihil ceperint? 1. 13. 4.

Erant enim piscatores. Circa quales sæpe pisces versentur piscatores? 2. 47. 9. seq. Apostoli aliàs in piscatu à Christo adjuti, nunc à piscatu avocati opera ad maiora scilicet. 1. 20. 4.

Venite post me. Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam. 3. 17. 4.

Et faciam vos piscatores hominũ. DEI proprium instituere operarios in negotio animarum, quales fuêre Apostoli simplices, & initio multa non intelligentes. 1. 4. 6. & 1. 7. 2. Fossiles pisces, an, & vbi dentur? certè quidam homines terreni, qui instar talparum terram subeunt, sunt fossiles pisces è terra, & terrenis eruendi. 1. 48 9. seqq.

At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum. Facilè relinquere sua posse pauperes, cùm paupertas variarum virtutum sit causa. 3. 16. 9. Apostolici pauperes, cur suas opes abjecerint ad pedes Apostolorum? 3 17. 8.

Vidit alios duos fratres &c. in naui cum Zebedæo patre eorum. Filij sæpe eadem agunt, quæ vident agere parentes, vt filij Spartanorum. 1. 31. 2. vt filia malè educata à matre. 1. 43. 5. vt filij in parentes pij vel crudeles. 1. 35. 2.

Reficientes retia sua. Pauperes vitæ huic nostræ omnino esse necessarios. 3. 16 3. Labor alius virorum, alius fœminarum. 2. 24. 5. Quàm necessarius sit hominum labor? 2. 17. 2. Commendatio & vtilitas laboris. 2. 17. 3. seqq.

Et

Et vocauit eos. Falsæ diuitum felicitati, veram pauperum felicitatem antistare, quòd hi ad regnum cælorum vocentur. 3. 16. 4. seqq.

Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. Periculosum diuitiarum pondus relinquendum esse, & abijciendum. 3. 8. 14. Eadem fuisse Philosophorum de paupertatis pretio judicia. 3. 16. 8.

IN Festo S. Nicolai. Matth. 25. *Homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* Quantum prosit vel obsit, scire, vel nescire Dominum vbique præsentem? 1. 7. 4. seqq. vt per D. Nicolaum bona Deus tradidit tribus filiabus; ita miro exemplo succurrit duobus egenis conjugibus. 3. 13. 6. Dei erga pauperes cura. 3. 13. 12. seq.

Et vni tradidit quinque talenta. S. Nicolaum inter reliqua abstinentiæ, liberalitatis, misericordiæ, ac pietatis, talentum etiam quintum accepisse, vt conjugum sterilitati posit gratiam prolis impetrare. 2. 37. 10.

Alij autem duo, alij verò vnum, vnicuiq; secundùm propriã virtutẽ. Opes sequi si virtutes præcedant. 3. 26. 3. Ethelouuoldi, VVilhelmi, Germani sanctissimorum Episcoporũ exempla, pauperes, more S. Nicolai curantium. 3. 13. 11. Quo modo se S. Basilius, tempore famis, erga pauperes gesserit? 4. 9. 2. seq. item quo modo Iodocus? 4. 9. 4.

Abijt autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Spe & metu mortales simul esse in officio cõtinendos. 2. 1. 5. Quanti diuitias fecerint Poëtæ, Prophetæ, Philosophi? 3. 1. 2. seq.

Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Ars, qua opifices ditescant. 1. 13. 4. seqq.

Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. D. Nicolaum talentum suum non fodisse in terram, qui id ad castimoniam virginum collocauit: quid autem commerita sit vetula lena, castitatis proditrix, vide. 2. 45. 3. Simulata & hypocritica nummos defodientium paupertas. 3. 17. 2.

Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Grauissimis pœnis dignos esse auaros fame in lucrum vtentes, & non in occasionem liberalitatis, adeoq; quasi pecuniam defodientes. 4. 9. 7.

Domine quinque talenta tradidisti mihi: Ecce, alia quinque superlucratus sum. Talem fuisse S. Nicolaum, qui etiam pecuniæ talenta optimè collocauit in dotandis pauperculis, de quibus dotandis miram prouidentiam sæpe ostendit Deus. 2. 26. 3. seqq.

Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituã. De fide non tantùm seruorum erga dominos suos, sed etiam vxorum erga maritos, & vice versa 2. 23. 2. Varij honores Sacerdotibus exhibiti, inter quos est etiam Sacerdos magnus S. Nicolaus. 3. 27. 5. seqq.

Intra in gaudium Domini tui. Quanta futura sit lætitia intrantium in cælum, cùm tanta fuerit Adami intrantis in Paradisum? 2. 12. 3. seqq. Talio bonorum, seu quinque pro quinque, duo pro duobus à Christo promissa. 3. 43. 1. seqq. Qui intrare volunt in gaudium Domini, debent tempore famis peregrinos sinere intrare in vrbes & domos suas. 4. 9. 9. seq.

Domine duo talenta tradidisti mihi: Ecce alia duo lucratus sum. De vxore bona & diuite, tamquã duobus talentis, per eleemosynas acquisita. 2. 26. 5. Historia memorabilis de bonorum retaliatione. 3. 43. 2.

IN Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis. Matth. 1. *Liber Generationis IEsu Christi.* Nempe secundùm humanitatẽ. De libro vitæ, in quem inscripti Sancti, per canonizationem declarantur 3. 27. 10.

Abraham genuit Isaac. De vtroq; hoc agitur, scilicet de Abrahæ hospitalitate 1. 4. 11. & quàm fuerit seruus fidelis 1. 35. 8. de Isaac. 1. 10. 6. De varijs heroibus, quos in varios infestósque casus demisit Deus. 1. 29. 5.

De Thamar, de Rahab, de ea, quæ fuit Vriæ, &c. In ipsius Christi non minùs vita, quàm familia, quanta fuerit gloriæ infamiæq; vicissitudo? 1. 29. 6.

Dauid autem Rex genuit Salomonem. Regia stirpe Christus & Maria orti, alios quoque ad regnum perducunt, si quis Mariam velut sponsam colat, sicut & alij per conjuges regna adepti sunt. 2. 45. 20.

Ex ea, quæ fuit Vriæ. De adulteris, & adulterijs, ac fide conjugali violata. 2. 31. 2. seqq.

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ. Ioseph pauper à regia Virgine in maritum susceptus, sicut olim Crates; quia mores, non opes, in futuro conjuge sunt spectandi. 2. 26. 2. & 2. 26. 7. Exemplo Iosephi & Mariæ, meliùs virtutibus, quàm facultatibus conjuges copulari. 2. 26. 4. seqq De antiqui Iosephi castitate & fortitudine. 2. 32.

De qua natus est IEsus, qui vocatur Christus. Maria Paradiso assimilanda, in quo fuit arbor vitæ. 2. 12. 10. Maria Ecclesiæ par, quæ est sine ruga & macula. 3. 41. 15. Sicut omnes generationes in Christo terminantur, ita omnia, in gloriam Dei, tamquam in finem esse facienda. 3. 21. 1.

IN festo S. Thomæ Apostoli. Ioan. 20. *Thomas vnus de duodecim.* De S. Thoma SS. Eucharistiam administrante. 1. 15. 13. De Apostolis duodecim à Christo contra calumnias defensis. 1. 13. 11.

Qui dicitur Dydimus. Sancti nomine honorati, & alijs modis. 3. 27. 9. De nominum superstitiosa obseruatione. 1. 36. 8. De Apostolis nominatim sortitione electis. 1. 34. 9. seq.

Non erat cum eis, quando venit Iesus. Discrimen inter Thomam & reliquos Apostolos, quorum isti credulí, ille incredulus. Talia discrimina, inter varios, Cain & Abel, Esau & Iacob, Cham & fratres, Orpham & Ruth, Ioseph & fratres, &c, bonos & malos. 4. 56. 2. seqq.

Vidi-

Vidimus Dominum. Videre Dominum summa est beatitudo. 1. 32 2.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. Non omne bonum bene appeti. 3. 20. 1. De Apostolorum ignorantia. 1. 4. 6. De eorumdem tenebris. 1. 7. 2.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Sociatum fuisse reliquis Apostolis quãtùm profuerit S. Thomæ? vnde patet quanta sint societatis humanæ commercia. 2. 17. 1. Socios conuersationis plerumque esse socios morum. 2. 34. 11.

Venit Iesus ianuis clausis. De ijs, qui carcere vtiliter clausi sunt. 3. 38. 2. seqq.

Et stetit in medio. Deum esse in medio hominum qui agnoscit, quem fructum referat? 1. 5. 1. & 1. 7. 9. seqq. & 1. 15. 5.

Pax vobis. Tantò maius esse bonum in pace, quantò maius malum est in bello, quod fame, & peste deterius judicauit Dauid. 4. 11. 1. seqq.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Quàm patiens Christus fuerit, qui se non tantùm à Thoma impassibilem, sed etiam adhuc passibilem diriter tangi passus est? 1. 40. 7. nec solùm in se, sed etiam in Sanctis suis. ib. seqq.

Et affer manum tuam, & mitte in latus meum. Christus vel hordeaceũ panem vulneri intinctum reddit suauem. 1. 19. 4.

Et noli esse incredulus, sed fidelis. Sanguis & vulnera Christi optimum contra desperationem antidotum. 1. 42. 5. 14. Fide carens facilè labitur. 1. 33. 2.

Dominus meus, & Deus meus. Deum ante omnia colendum & mente, voce, opere honorandum esse. 3. 27. 14.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Necessarias esse etiam quibusdam Sanctis tentationes. 4. 57. 3.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt. De fidei defectu. 1. 33. 1. De fidei per aquam probatione. 1. 8. 11.

IN die Natiuitatis Christi. Luc. 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto.* De Christi summa humilitate, Cæsari obedientis. 3. 40. 4. seqq.

Ascendit autem & Ioseph, &c. Bethlehem domus panis. 1. 20. 3. seqq. Dei in extrema fame notabilis misericordia, quasi totus terrarum orbis sit Bethlehem, seu domus panis. 1. 20. 11.

Eò, quòd esset de domo, & familia Dauid. Lapis sine manibus excisus Christus de stirpe Dauid, similis est mirabili lapidi, producenti stupendos effectus. 2. 47. 13.

Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. De adiutorio coniugum secundo matrimonij fine, & coniugibus sibi mutuò succurrentibus. 2. 24. 5. seqq. Prægnantibus nimis delicatam quietem obesse. 1. 38. 6. obesse & cibi potusq; intemperantiam, & irã prægnantibus aliosq; affectus, qui Deiparæ non nocuerunt. 2. 38. 7. seq.

Cùm esset ibi, impleti sunt dies, vt pareret, In Christi horoscopo mysteria

steria Christi videri non potuisse. 1. 27. 8.

Et peperit filium suum primogenitum. Hac vna prole beatam meritò dictam Deiparam, cùm aliæ matres sterilitate, aliæ multitudine prolis sint punitæ. 2. 37. 5. & 2. 37. 14. seq. B. Virgo sine dolore peperit, cùm Euæ dolores partûs sint decreti. 2. 39. 1. seqq. Dei Matrē, in puerperio sordes non esse passam. 2. 39. 7. seq.

Et pannis eum inuoluit. Quanta sit cura proli impendenda? 2. 39. 11. De Christi Domini pannis inuoluti paupertate. 3. 14. 4.

Et reclinauit eum in præsepio. Vbi à boue & asino foueretur. De beneficijs bestiarum erga homines. 1. 22. 1. seqq. De Christi humilitate, ex habitatione, vestitu, &c. 3. 40. 6.

Quia non erat eis locus in diuersorio. Nihil deesse timentibus Deum adeoq; etsi diuersorium desit, saltem non deesse stabulum. 1. 20 1. Pauperes & hospitio carentes esse Deo similes. 3. 14. 9.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Pauperes, quales esse solent pastores, esse amicos Dei. 3. 15. 1. nec amicos tantùm, sed etiam fratres & familiares Christi. 3. 15. 2.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos. De ministerijs Angelorum erga Onuphrium & Bertrandum. 1. 15. 10. Erga Agar & Abraham. 1. 10. 6. Erga B. Virginem. 1. 12. 1. Erga Ioſephum. 1. 12. 3. Erga Anachoretas. 1. 17. 6. & 1. 18. 3. seq. De Angelorum fulgore, & celeritate. 2. 3. 10. & 2. 4. 14.

Et timuerunt timore magno. De vero ac vano timore superstitionum in nocte Natiuitatis Christi. 2. 47. 20. De animalibus non quidem in nocte Natiuitatis, sed aliàs monstrosè loquentibus. 2. 47. 17. & 2. 52. 13.

Nolite timere. Nullum esse tantum peccatum, quod ita timendum sit, vt per pœnitentiam non possit deleri. 1. 42. 16.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Pauperibus, mira Dei dispositione, in Natali Christi epulum datum. 1. 20. 6. Quidam in Hispania, sicut Dauid coram arca, præ gaudio Christi nati saltauit; alij in nocte Natiuitatis petulanter saltantes, in pœnam coacti sunt toto anno saltare. 2. 54. 5. seqq.

Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Miraculosa natiuitas Christi opponitur mōstris, quæ ex hominibus nata sunt. 2. 47. 19.

Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. A parvulo Iesv eruditum esse S. Augustinum. 1. 21. 8. Turcæ Christi præsepe considerantis mira conuersio. 1. 41. 15. Non tantùm in præsepio, Sed etiam inter animalia inuentus, quia animalia vel muta laudant Deum, ne dum loquentia. 2. 45. 17.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum. De Angelorum cura erga pueros

pueros etiam sub terra defossos. 2. 19. 24. De Angelorum splendore. 2. 47. 5. De eorumdem forma, cùm apparent. 2. 58. 2.

Gloria in altissimis DEO. Gloriam Deo dandam, ob admirabilem Deiparæ partũ, qui admirabilitate sua anteit omnes prodigiosos hominum partus, de quibus 2. 47. 19. De Angelis qui pro gloriam Dei quærentibus, cruces venales habent. 2. 30. 4.

Et in terra pax hominibus, bonæ voluntatis. Bonæ voluntatis esse omnes, qui Christum volunt in paupertate imitari. 3. 15. 3. seqq. quorum plurimi, & quales fuerint? ibid. Qualis pax tempore Christi futura prædicta sit? 3. 56. 6. A Deo prohiberi dæmonem, ne plura bella ferat. 3. 56. 1.

IN die S. Stephani. Matth. 23.

Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas. In festo S. Stephani mirabiliter conuersus à concionante Monetus. 1. 25. 10.

Et ex illis occidetis: & crucifigetis: & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris. Sanctos occidunt impij, à quibus sanitatem & vitam accipiunt, vt à Stephano. 4. 39. 13. Optimos quosque & fortissimos duris gaudere. 4. 57. 1.

Et persequemini de ciuitate in ciuitatem. Non sine diuina voluntate fieri eiusmodi persecutiones, in Semei, & Alarico Gothorum duce ostenditur. 1. 30 7. seq.

Et veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram. Crispi innocentis mors mortę compensata. 3. 49. 8. Sanguine prodigiosę manus aridæ, & alborum ossium proditi ad mortem rei. 4. 52. 5. De crudelibus, qui talionẽ experiuntur. 4. 52. 6.

A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. Sanguinẽ Abel vindictam, Stephani autem & Christi, misericordias impetrantem, ostendere immensam Dei, & Sanctorum bonitatem. 1. 6. 1. seqq.

Quem occidistis inter templum & altare. Occidi multos innocentes, ex beneficio Dei. 4. 46. 3. seqq. Sanctis cum Arnulpho, ob spem lucri spiritualis, suaue esse pati. 4. 47. 2.

Venient hæc omnia super generationem istam. Susannæ calumniatores, lapides, quos parauerant, passi. 3. 49. 5. S. Stephani lapidatores, & calumniatores, passi quod fecerunt, docent, calumniatores sibi & alijs esse pernicioso. 3. 49. 1. seqq.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Cur Stephanus lapidatus, Susanna sit saxis liberata? 2. 27. 9. Propheta à leone, ob innocentiam, occisus, Deo volente, sicut & alij ob sua peccata. 4. 47. 1. seqq.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Causam perditionis hominum non esse in Deo, sed in ipsis hominibus. 4. 53. 1. seqq. & 4. 54. 1. seqq.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Calumniæ & injuriæ à Iudæis Christo impactæ, quo modo vindi-

vindicatæ? 3. 49. 6. Clades Ieroſolymitana â Chriſto prædicta, eiuſq; cauſſæ. 3. 53. 1. ſeqq.

Dico enim vobis, non me videbitis amodo. Videre Chriſtum ſpecioſum præ filijs hominum, quàm ſit jucundum, cùm S. Stephanum intuentes, velut Angelum ſe putârint videre. Vbi de formæ bono poteſt agi, quæ caſtitatis cauſsâ vxori ablata, & mariti cauſſa eſt reſtituta. 2. 47. 14.

Donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Benedictum eſſe & S. Stephanum, cuius nomen coronam ſonat; alijs plures coronas dari exemplo Alexandri Scoti. 1. 5. 12. quid Pij II. Pontificis corona portenderit? 1. 5. 13.

IN feſto S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Ioan. 21. *Sequere me.* Apoſtolos Chriſtum paupertatis amore ſecutos excellentiores fuiſſe, quàm Ethnicos olim, qui non ſolùm ad paupertatis amorem venerunt, ſed etiam, vt maximi virtute, ita minimi opibus fuerunt. 3. 16. 1. ſeqq.

Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat IESVS, ſequentem. In quo conſiſtat amor Dei erga hominem? 1. 43. 9. Quem diligit Deus, etſi non bonum, bonum facit. 1. 11. 6. Dilectionem DEI eſſe cauſſam ſanctitatis, & miraculorum, 1. 12. 8.

Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. De honore Sanctis debito & habito. 3. 27. 8.

Et dixit: Domine, quis eſt, qui tradet te? Cur Deus occulta ſua judicia ſæpe non reuelet? 1. 3. 4. Multa DEI arcana etiam in hac vita ſanctis reuelari, & quibus? 1. 4. 2. ſeqq.

Domine, hic autem quid? Quantum arbor ſcientiæ boni & mali curioſis noſtris parentibus nocuerit? 2. 13. 3. An arcana Dei rectè indagentur? 1. 4. 3. ſeq.

Sic eum volo manere, donec veniam. S. Ioannes ſaltem venenum innoxium bibit, ſicut Sabinus Epiſcopus, cùm illud miſcenti noceret. 3. 52. 12.

Quid ad te? Tu me ſequere. Conſilia Dei non curioſè, ſed piè indaganda. 1. 4. 4. & 1. 4. 12. Curioſitas vxoris Lot, quantum fuerit peccatum? 2. 55. 9. ſeq. Arcana Dei multa ſanctis in cælum reſeruari. 1. 3. 17.

Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur. Non mortuus eſt, ſaltem quando venenum bibit, ſicut multis ſerpentes innoxij fuerunt, de quibus. 2. 14. 14. ſeq. De judicio temerario fugiendo. 3. 28. 9. & 3. 34. 2. ſeqq.

Et non dixit Ieſus, quia non moritur. Venenum mortiferum innoxius bibit Ioannes, ad maiorem ſui gloriam. Omnia homini ſeruire, ſi Deus velit. 1. 22. 8. Cur beſtiæ hominibus cœperint nocere? 1. 22. 9. Quàm ſæpè falſis ſuſpicionibus nitantur argumentationes hominum inter ipſos etiam coniuges? 2. 36. 1. Item ex filiorum diſſimilitudine? quos effectus habeant ſuſpiciones? 2. 51. 8.

Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc. Ioannes ſimilis aquilæ gratæ & Ariſto-

menis

menis baiulatrici. 1. 22. 6. seq. De succursu aquilarum & disciplinæ capacitate. 2. 14. 13.

Et scimus, quia verum est testimonium eius. Fidem vocari scientiam, propter certitudinem, adeò vt quidam eam aquis feruentibus probarint. 2. 8. 11. alij ipso igne. 3. 36. 8. De veritate patrocinij huius Apostoli, quem S. Elisabetha in patronum quomodo sit sortita? 1. 34. 11.

IN festo SS. Innocentũ. Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Ab Angelis homines doceri, vt Agar. 1. 10 6. & Abraham. ib. & Ioseph. 1. 32. 1. seqq. A paruulis quoque & simplicibus instrui sapientes. 1. 21. 2. seqq.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Sicut hîc nati pueri gaudio exilium; ita sæpe etiam alijs bonis coniugis mala esse admixta. 2. 30. 1. seq.

Et fuge in AEgyptum. Insidias potentum, diuino consilio, mirabiliter vitari. 1. 28. 2. seqq. Omnes in exilio degere. 4. 45. 1. Quosdam mereri, vt extra patriam moriantur. 4. 45. 3.

Et esto ibi, vsque dum dicam tibi. De exilio patienter ferendo; quod multis fuit glorioſum. 4. 45. 4. Angelorum cura circa homines etiam è carcere liberandos, in Ephræm ostensa. 3. 38. 2. seqq.

Futurum est, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Omnes hominum vires, & conatus, contra Deũ euntes, irritos fieri. 1. 29. 2. Christus & parentes eius innocentes, Britanni sua culpa, sua regione pulsi. 3. 62. 9. Cur innocentibus, etiam infantibus, diabolus per veneficos tantopere insidietur? 4. 19. 11.

Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte. De exilio, in quo nonnulli feliciores. 4. 45. 5. & quod sapienti nihil boni aufert. 4. 45. 6.

Et secessit in Ægyptum. Virtutum eos aduersitas, & Fortunæ victores cui comparentur? 1. 31. 9. Foris quàm domi, cur quidam acceptiores? 4. 45. 7. seq.

Et erat ibi vsq; ad obitũ Herodis. Vnum quidem locum esse altero salubriorem, nullum tamen à morte securum. 4. 45. 2. Sapientes extra patriam non mori, cùm vbique illis patria sit. 4. 45. 4. Cur mali non statim morte tollantur? 4. 46. 9. Impios multò justiore titulo citiùs mori, quàm pios. 4. 47. 1. De obitu variorum Principum ob scelera sua. 4. 51. 1. seqq.

Ex Ægypto vocaui filium meum. Sic ex infamia & miserijs ad honorem & felicitatem vocat Deus suos, vt Rusticum Yoburgensem, & alios. 3. 37. 2. seqq. Sanctis nusquam & vbique exilium esse in terris. 4. 45. 9.

Herodes videns, quoniam illusus esset à magis, iratus est valde. Ira quantarum cædium causa sit? 2. 36. 2. seqq.

Et mittens occidit omnes pueros, &c. Cur innocentes Deus aliquando etiam ignibus tangi sinat? vel non sinat? 2. 3. 11. & 2. 3. 15. & 2. 4. 10. Alia de causa ab vrsis laceratos esse pueros olim ludentes. 2. 15. 7. De militibus sæui imperij executoribus, quibus talio de-

betur. 3. 54. 7. Nullum immaturum mori, dum occasioni peccandi subducitur. 4. 46. 6.

Qui erant in Bethlehem, & in omnib. finib. eius. Etiam alios alibi innocentes complures tyrannica suspicione occisos esse. 2. 36. 2. seqq. An sint totæ alicubi Pygmæorum nationes? 2. 50. 7. quanta per paruos Deus fecerit? 2. 50. 6.

Vox in Rama audita est. Lamentatio harum matrũ, auxit dolorem patrum, sicut sæpe sunt mulieres maritorum cruces. 2. 30. 3. seq. Filios sæpe occidi in pœnam parentum. 2. 40. 10. Parentes ipsos sæpè proli suæ mortem moliri. 2. 40. 11. seqq. De infantibus, quorum vox & prodigiosa locutio audita est. 2. 47. 20. Vox sanguinis infantium ad Deum clamauit, & locuta est, sicut illi infantes, qui prodigiosè sunt locuti. 2. 47. 20 Multos potiùs mori, ne mala gentis suæ videant. 4. 46. 7. Anima pueri occisi latroni nullam dat quietem, quid tot puerorum animæ facient? 4. 52. 4.

Et noluit consolari, quia non sunt. Liberos non intemperatè lugendos esse. 2. 40. 14. Quæ, & cur à prole, in matrimonio mala? 2. 40. 7. Infantis recens nati miseria, vt proinde præstet eum citò rapi ad cælum. 4. 1. 3. Miseriæ hominis ex breuitate vitæ eorum, qui in infantia moriuntur. 4. 1. 9. Cur S. Antonio noluerit Deus reuelare, quare aliqui in infantia moriantur, cùm tamen id reuelauerit in Scripturis? 4. 46. 1.

IN Festo Circumcisionis Domini. Luc. 2. *Postquam consummati sunt dies octo.* Christi summa humilitas ex summa exinanitione, qui cùm æternus, impassibilis, immortalis esset, voluit tempore mensurari, pati, vulnerari, &c. 3. 40. 5.

Vt circumcideretur puer. Alia paterni amoris signa esse in filijs sęculi, alia in filijs Dei. 1. 31. 1. Deum filios suos flagellis probare. 1. 31. 2. Præstare filium doloris esse in hac, quàm in altera vita. 1. 31. 4. Sponsus sanguinum Mariæ fuit Christus, cuius proinde mirabili beneuolentia mirè incensa fuit, exemplo matronæ Nobilis. 2. 26. 8. Christus etsi peccare non potuit, tamen vt peccator circumcisus, immò vt latro occisus est in nostrum exemplum. 3. 40. 8.

Vocatum est Nomen eius IEsus. De ratione nominum rebus ab Adamo impositorum? 2. 12. 2. Nomen Domini & de seipso, & de beneficijs amabile esse, atque admirabile. 1. 43. 11. Nomen Christi foribus præfixum in terræ motu profuit 2. 18 11. Cur Deus nomen & gloriam à nobis expetat? 3. 21. 1. Sancti nomine honorati. 3. 27. 9. Quàm vanè quidam nomina sua vbiq; appingant, cùm longè præstaret nomen IESV appingere. 3. 29. 10. Nomen IESV in ore, labrijs, quàm diaboli, cuius imprecatio quàm sit noxia? 4 41. 6.

Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. De alijs Christi nominibus, vt Ego sum. 1. 1. 14. Filius hominis ob humilitatem originis. 3. 39 31. & 3. 40. 9 De nomine & insignibus fatui impressis per naturam, cùm hoc nomen, & insignia crucis Christo sint à Deo impressa. 2. 51. 11. Nomen IESV vocatum est ab Apostolis, qui

qui in eo morbos curauerunt. 4. 40. 5. Regis filius, nomine IESV inuocato, sanatus quantæ conuersionis caussa fuerit? 4. 40. 6.

Quo modo Christus sit Saluator. Sicut serpens à Moyse erectus. 1. 1. 6. seq. Qui de SS. Nomine IESV plura vult, videat librum nostrũ de Nomine IESV.

IN Festo Epiphaniæ Domini. Matth. 2. *Cùm natus esset* IESVS *in Bethlehem, in diebus Herodis regis.* De regum miserijs, quæ in Herode maximè apparuerunt. 3. 16. 6.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam. Cùm venisse credantur in camelis, mirum iter camelorum diuinitus actorum potest referri. 1. 9. 10. seq.

Vbi est, qui natus est rex Iudæorũ? Rectè etiam de alijs regibus quæri, qui per scelera regnum perdiderunt, sicut Christus sua virtute regnũ est adeptus. 3. 61. 2. seqq.

Vidimus stellam eius in Oriente. An sit fatum aliquod in constellatione, & dispositione cælorũ, sicut voluerunt Priscillianistæ? quid sit Fortuna, Casus, Fatum, ratione hominum stultorum, vel sapientum? 1. 24. 1. seqq. & 1. 27. 2. seqq. nullam esse à Fato necessitatem, quam S. Ambrosius, Augustinus, & ratio refutat. 1. 2. 3. seqq.

Venimus adorare eum. Magorum exemplo, per astra & creaturas ad Deũ esse ascendendum. 1. 27. 12. Deum ante omnia colendum atque honorandum esse. 3. 27. 14.

Audiens autem Herodes rex turbatus est. Herodes impius, crudelis, inuidus, ad regnum promotus est, quia sæpè mali ab hominibus & dæmonibus ad honores promouentur, & cur? 3. 29. 6. seqq. Turbatus est Herodes, quia à recens nato Rege putabat sibi aliquid detractum iri, plerique enim dolent, si quid in honore patiantur. 3. 30. 1. Herodis impietas, crudelitas, scelera & varia supplicia, vti & eorum, qui sunt Herodi pares. 4. 25. 1. seqq.

Et omnis Ierosolyma cum illo. Aulicæ vitæ, se ad regis exemplũ componentis imago. 3. 54. 3. seq. Cum rege bellis turbari populos, quando religio violatur. 3. 61. 2. seqq.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum, &c. Varij honores Sacerdotibus, olim & nunc, etiam per hostes exhibiti. 3. 27. 5. seqq. Herodes cum Sacerdotibus, sicut vulpes cum serpente pacem infidam init. 3. 66. 5.

Sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur? Consilium à bonis, non à malis consultoribus petendum. 3. 48. 1. seqq.

In Bethlehem Iudæ, &c. Non solùm Bethlehem, sed etiam totam Terram sanctam olim à Christianis mirè fuisse æstimatam & honoratam. 3. 62. 1. Terram sanctam à Christianis violatam, Christianis ereptam. 3. 62. 2. seq.

Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Deus homines per bestias ducit. 1. 22. 1. non per Fortunam. 1. 24. 1. seqq. sed per suam prouidentiam. 1. 25. 1. seqq.

Tunc Herodes, clàm vocatis Ma-

gis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ. Vulpes non solùm Herodi, sed etiam alijs hominibus similes. 2. 61. 3. seqq. & 2. 53. 10.

Mittens illos in Bethlehem. Magi peculiari cura diuina ad præsepe ducti. 1. 12. 2. Quàm malè cedant consilia Politica, consulentibus, more Herodis? 3. 62. 6. seqq.

Ite & interrogate diligenter de puero. Sollicitus est Herodes sceleratus de amittẽdo regno, sciens Imperia, & Monarchias, obscelera fuisse extincta. 3. 60. 1. seqq.

Et cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Herodem esse malorum Politicorum imaginem, sicut Ieroboam fuit. 3. 61. 13. Herodes vulpi similis, quæ viam Aristomeni monstrauit. 1. 22. 7. Magus in vulpis forma raptus. 2. 60. 20.

Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer. Majestatis fulgor in stella repræsentatus. 2. 3. 10.

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Tacetur pater, quia absentia conjugum aliquando prodest. 2. 43. 2.

Et procidentes adorauerunt eũ, &c. Deberi Christo adorationem, & cultũ omnem diuinum, contra Arianos, cùm sit Deus. 3. 18. 2.

IN Festo Purificationis. Luc. 2.

Postquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ, secundùm legem Moysi. An B. Virgo purificatione indiguerit? 2. 39. 9. An B. Deipara legi Purificationis fuerit obstricta? & de cautela puerperis adhibenda. 2. 39. 10.

Tulerunt IEsum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Grata esse Deo templa, patet non solùm, quia in illud Christus puer voluit portari, sed etiam, quia alijs Infidelium tẽplis terræ motu euersis, templa sancta inconcussa steterunt. 2. 18. 10. B. Virgo Deo offerens, quo modo ab alijs matribus sit imitanda? 2. 45. 15. seqq.

Et, vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini. Quanta sit cura proli impendenda? 2. 39. 11.

Par turturum, aut duos pullos columbarum. Hæc hostia erat pauperũ, quales esse cur præstet? 3. 16. 7 De tribus classibus pauperum. 3. 17. 1. seqq. Diuitis & pauperis fabella è S. Bernardino. 3. 17. 5.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon. In Simeone sene doceri, senibus tamquam Patribus Præceptoribus. Magistratui honorem deberi. 3. 25. 5.

Et homo iste justus, & timoratus, expectans cõsolationem Israël. Varij tituli & modi, quibus senes possunt, aut solent honorari. 3. 25. 6.

Et Spiritus sanctus erat in eo. Senes quia Spiritus sanctus est vel præsumitur esse in illis, non esse contemnendos. 3. 25. 7.

Et responsum acceperat à Spiritu sancto,

sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. De miseria hominis ex breuitate vitæ etiam eorũ, qui in senectute decedunt. 4. 1. 10. & eorum quoque, qui diu feliciter vixisse videntur. 4. 1. 11.

Et venit in spiritu in templum. Non casu, sed consilio Dei venisse hunc senem in templum, cùm nihil fiat sine diuinæ sapientiæ dispositione. 1. 24. 11. & 1. 25. 9.

Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum. Eumdem Christum non in vlnas tantùm, sed in pectus accipiendum, tamquam viaticum à mortuis. 1. 41. 15.

Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Sors à cantu fortuito. 1. 34. 13. Dimitti quasi captiuus è carcere cupit, quia miserię caussa sunt, vt homines è vita libenter excedant, exemplo Francisci Costeri. 4. 2. 7. Desiderium vitæ melioris per morbos, inter quos est & senium, injici. 4. 28. 12. Cur Sancti mortem citam optent? 4. 48. 15. Cur Simeon dicat: Dimittis? quasi è carcere. 4. 48. 9. Senes alios rarò mortem seriamente optare. 4. 49. 1.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c. Christo salutiferam vim ineſſe, sicut quondam arbori vitæ vis salutifera infuit. 2. 12. 10.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. De vsu & abusu candelarum, seu cereorum, in sortibus ducendis. 1. 34. 9. Lumine abutentes, Dei lumine indignos esse. 2. 5. 16. Molestias tenebrarum in aëre, desiderium lucis æternæ accendere. 2. 5. 19. ceremonias sacras (vt luminum intemplis accensionem) non esse contemnendas; profanas tamen vitandas. 3. 60 9. Rectè mortuos accensis luminibus efferri. 4. 66. 5.

IN Festo S. Mathiæ Apostoli. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, &c.* Quas ob caussas subinde bonis honores, vt sunt etiam reuelationes, non conferantur? 3. 28. 3. Quales confessiones, seu professiones publicæ sint veneficorum? 4. 19. 2.

Quia abscondisti hæc à Sapientibus, & Prudentibus. Sermonem esse de illuminatione gratiæ peculiari, cùm communis necessaria omnibus nemini negetur. 4. 53. 3. & 4. 54. 4. seqq. Dei artem esse, contraria è cõtrarijs elicere, & miri simplicitatis effectus. 1. 21. 1. seqq. De sapientia diuina paruulis reuelata. 1. 21. 7. seqq. Ipsos Sapientes à simplicibus erudiri. 1. 21. 16.

Et reuelasti ea paruulis. Tantam esse Dei bonitatem, vt sua consilia subinde suis amicis patefaciat. 1. 4. 2. seqq. Omnes hominum casus à Deo, non sine justa caussa permitti, quam non curiosi, sed pij indagatores possint deprehendere. 1. 4. 12. Deiparæ virginitas, & mysterium SS. Trinitatis à simplicibus defensa 1. 21. 6. & 1. 21. 15. Pumilorum gratiosa paruitas. 2. 50. 40. paruulorũ vtilitas. 2. 50. 5 Deum per paruos magna patrasse 2. 50 2. Deum Sanctis suis multa reuelare. 3. 32. 2.

Quoniam sic placitum fuit ante te. Non dari caussam ex parte electorum totius prædestinationis, sed eam pende-

pendere, tamqmam ex cauſſa prima ex Dei beneplacito, maximè quoad peculiarem gratiam, quæ datur prædeſtinatis, ſicut à Deo pendet temperatio ſortium, per quas electus eſt Apoſtolus Mathias. 1. 34. 3. ſeq. & 1. 35. 2. ſeqq.

Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Etiam poteſtas ſortium, quarum deſcriptio & genera ſunt. 1. 34. 1. & ritus ſortium in regibus eligendis, vrbibus oppugnandis, alijſq; negotijs. 1. 34. 2. Quinam ſortes vſurpârint? 1. 34. 3. Multos pios piè imitatos eſſe factum Apoſtolorum, Mathiam ſorte eligentium. 1. 34. 4. ſeqq. Qui mîlè, qui bene ſortibus vſi? 1. 35. 1. ſeqq. De ſortitione Menſtruorum Sanctorum. 1. 34. 8. & 1. 35. 11.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Hinc apparere, quòd nemo ſit, quem Deus non velit ſufficienter juuare. 4. 54. 6. Præſagijs Mauritium ad pœnitentiam vocatum. 4. 50. 4.

Et ego reficiam vos. De remedijs Zelotypiæ, homines reficiendos grauiter affligentis. 2. 36. 14. Per Apoſtolos quoque refecit Chriſtus homines, & vel idcirco, tempore Chriſti tot fuerunt à dæmone inſeſsi, vt per Apoſtolos liberarẽtur. 4. 28. 9. Quid Apoſtolus Mathias per virtutem ſanitatum effecerit? 4. 39. 11.

Tollite jugum meum ſuper vos. Optabilius eſſe, vt in hac vita ſecemur, & vramur, quàm in altera. 1. 31. 6.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Eoſdem eſſe iniuriarum & honorum contemptores, adeoq; eoſdem mites, & humiles corde, 3. 28. 7. Reprehenſionum patienter ferendarum ac humiliter, remedia. 3. 35. 6. Chriſtus à ſe humilitatem diſci volens, an humilitatem ſimulârit? 3. 40. 2. Cuius rei cognitio humiles efficiat? 3. 40. 3. De Chriſti humilitate. 3. 40. 4. ſeqq.

Et inuenietis requiem animabus veſtris. Feminarum quarumdam mira patientia erga maritos, & mira, inter cauſſas litium, requies. 2. 35. 2. ſeq. Quanta requie careant zelotypia laborantes? 2. 36. 13.

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Mundi iugum ita graue eſſe, vt quoſdam faciat gibboſos. 2. 54. 1. Suauius eſt iugo huius vitæ puniri, quàm in altera vita, etiam iudicio Mauritij. 4. 50. 5.

IN feſto Annuntiationis. Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* De Angelis ad homines miſsis cùm ad templum irent. 3. 32. 3. cùm pugnarent. 3. 56. 10. & 3. 62. 9. Angelus Mariam apud Ioſephum defendit, Chriſtum Herodi, Petrum carceri eripuit. 1. 12. 1. ſeqq.

Ad Virginem. Virgini huic Incarnationis arcanum patefactum. 1. 4. 3. Virgines in ipſo coniugio complures manſiſſe. 2. 21. 5. vti & Olympiadem. 2. 44. 13. ſeq.

Deſponſatam viro, cui nomen Joſeph. Ioſeph fuiſſe patientiæ maritalis exemplum. 2. 35. 1. B. Virginem manſiſſe in, & poſt partum. 1. 23. 6. Hanc Virginem etiam eſſe virginem virginum,

num, quas defendit & coronat. 1. 13. 1. & 1. 13. 11.

Et nomen Virginis Maria. Figura Mariæ, per quam in summo discrimine, Deus succurrit, fuit Esther 1. 10. 12. Mariam esse fontem beneficiorum diuinorum. 1. 41. 4. Quo modo Mariæ virginitatem voluerit defendere S. Ignatius? 1. 24. 13.

Et ingressus Angelus ad eam. Angelum imitantur hunc virgines, quæ sunt in ordine Cælestinarum Annunciatarum. 3. 33. 1.

Aue gratia plena. Terram benedictam plenam fertilitate, Deiparæ figuram extitisse. 2. 16. 12. Inter reliquas gratias, Dei Mater inuocata sanatione morborum illustratur. 4. 40. 7. B. Dei Mater à psittaco salutata. 2. 14. 11.

Dominus tecum. Hinc B. V. tantopere formidant dæmones, vt in eius honorem cedere de possessis cogantur, vt Oettingæ factum. 4. 41. 1. seqq.

Benedicta tu in mulieribus. B. V. terræ benedictæ, seu Paradiso comparanda, de quo. 2. 12 1 seqq.

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius. Multos non modò non obstringi ad matrimonium, sed etiam obstringi ad votum matrimonij effectui contrarium. 2. 21. 6.

Et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Incomprehensibile diuinæ bonitatis judicium esse, in mysterio incarnationis. 1. 11. 6.

Ne timeas, Maria. Dei Matri nihil timendum, alijs diuinæ misericordiæ, & humanæ malitiæ magnitudo simul intuenda. 1. 42. 2.

Inuenisti enim gratiam, apud DEVM. Deiparam non tantùm gratiam apud Deum pro se, sed etiam pro alijs inuenisse. Vnde à sterilibus vtiliter inuocatur. 2. 37. 9.

Ecce concipies in vtero, & paries Filium. Admirandum Dei pro hominibus tam sceleratis humanam naturam suscipientis consilium. 1. 11. 5.

Et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. In quanta homo mala per peccatum lapsus sit, vnde eũ Christus liberauit? 1. 11. 3. & solus Deus liberare potuit. 1. 11. 4.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Dei matri incarnationis arcanum patefactum. 1. 4. 3. Piè Dei consilia indagantes, quem fructum referant? 1. 4. 4. & 1. 4. 12. Petendam esse à Deo gratiam, vt eius consilia intelligamus. 1. 4. 14.

Et ecce Elisabeth cognata tua, &c. De sterilitate mulierum, vnde ea sit? 2. 37. 1. seq. & 2. 38. 1. Sterilitatis remedium oratio. 2. 37. 8. Sterilitas à Dei matre pulsa. 2. 37. 9. item à Sanctis. 2. 37. 10 Sterilium consolatio. 2. 37. 7. Sterilitatis fructus. 2. 37. 4.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Vt in virginitate tuenda Mariam imitarentur aliæ sanctæ feminæ, quid non passæ sint? 2. 57. 10. seqq. Hæc ancilla, facta est mundi Domina, quia in ea, sicut in S. Spiridione humilitas fuit honorata. 3 28 5.

IN festo S. Georgij martyris.

Ioan. 15. *Ego sum vitis vera.* Vitis

tis vera & falsa, veræ pauperum, & falsæ diuitum gloriæ par, de qua. 3. 16. 4. seq.

Et Pater meus agricola est. Qui sanguine martyrum rigat & conuertit peccatores. 1. 42. 6. seqq. Sicut agricola vites luxuriantes amputat, ita DEVS homines per bella, quæ sæpe à DEO sunt. 3. 55. 7. nec omnia damnanda. 3. 56. 4. seq. Sæpe à DEO etiam jussa. 3. 56. 7. & miraculis approbata. 3. 56. 9. seq.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Ea ipsa, quæ naturæ mala censentur, bonis in bonum prouenire. 2. 2. 2.

Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Ærumnosis casibus hominum insolentiam refrænari, & indolem excitari. 1. 31. 7. seqq. Quales duces (nempe S. Georgio similes) esse oporteat, vt pax fiat? 3. 66. 6. item per quales milites pax & victoria possit obtineri? 3. 66. 9. SS. Martyres tormentis, alij morbis purgati, palmites sunt. 4. 31. 1. seqq. Quibus pro Purgatorio, tamquam purgandis palmitibus, morbus fuerit? 6. seqq.

Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Nolle DEVM, vt quisquam de spe veniæ deturbetur. 1. 42. 3.

Manete in me, & ego in vobis. S. Georgius miles in Christo manens, vnus est eorum, qui bello claruerunt. 3. 57. 8.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, &c. Palmes à vite, homo à Christo vires accipit, in quo qui manet, est prodigiosarum virium, sicut D. Georgius, Georgio Castrioto, & Tritano longè anteferendus. 2. 50. 14.

Ego sum vitis, vos palmites. Quo modo Mauritij filios, velut palmites, putauerit Deus, vt Mauritium purgaret? 4. 50. 6. seqq. Item aliorum Imperatorum & Principum, velut palmitum inutilium amputatio. 4. 51. 1. seqq.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. In eo, qui manet in DEO, quanta decora dona Dei, tamquam in Samsone aliquo conspiciantur? 2. 50. 12.

Sine me nihil potestis facere. Aëris per imbrem beneficia cum DEI gratia comparanda. 2. 5. 2. seq. Optimum humilitatis remedium, nosse seipsum. 3. 40. 17. Nec medicos posse sine DEO sanare ægrum. 4. 37. 4. DEVM cum medico, & plus quàm medicum, ab ægroto inuocandum. 4. 37. 5. Etiam peritos medicos sine DEO nihil prodesse. 4. 38. 1.

Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Quænam genera peccantium maximè de spe decidant? 1. 42. 4. In ignem missi cur tot Reges principes? 4. 51. 8. seqq. Posita in sacris locis impiorum cadauera, cum ignominia inde ejecta, vti & Valentini, & aliorum, quorum corpora cum ignominia & miraculo etiam è templis ejecta. 4. 67. 4. seqq.

Si manseritis in me, & verba mea

mea in vobis manserint, quodcumq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Eorum, qui in DEI gratia sunt, quàm potens sit oratio? 1. 39 11. seq.

IN Festo SS. Philippi & Iacobi. Ioan. 14. *Non turbetur cor vestrum.* Amoris paterni signum esse aduersa ob quæ turbari non debemus, si flagellemur. 1. 31. 1. seqq.

Creditis in Deum, & in me credite. AEquè Christum ac Patrem eius esse DEVM. Vt crederent Apostoli, & credentes facerent, dedit Christus Apostolis, tamquam noui testamenti Patriarchis virtutem sanitatum. 4. 39. 1. Philippus, quid per sanitatum virtutem effecerit? 4. 39. 11. & S. Iacobus per quæ miracula quos sanârit. 4. 39. 10.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Inæqualitatem esse, vti meritorum, ita & gloriæ. 1. 32. 2. & 4. 63. 3. seq. Mansionum cælestium desiderium, per morbos creatur. 4. 28. 12. Quantum desiderium harum mansionum habuerit Lessius, exemplum patientiæ Christianæ in morbis. 4. 30. 11. seqq.

Vado parare vobis locum. Cæli gaudia Mundi illecebris longè anteponenda esse. 1. 32. 1. Sicut nobis Christus, ita Codrus suis regnum per paupertatem, & mortem suam parauit. 3. 17. 9.

Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum. Quia amici sunt honorandi, & Christus Apostolos amicos dixit, sic eos voluit honorare, vt ad se ipsum acciperet. 3. 26. 10.

Vt vbi ego sum, & vos sitis. Quanta sit felicitas, esse cum Christo? 1. 32. 2. Propter veram, hoc est, propter æternam gloriam rectè homines operari, sic enim erunt, vbi Christus erit. 3. 20. 5.

Quò ego vado, scitis, & viam scitis. Alios videre ac scire, alios nescire diuinam bonitatem. 1. 42. 1. Scientiam & cognitionem admirationem & querelas tollere. 4. 14. 2.

Domine, nescimus, quò vadis. Ignorantia viarum Domini, quàm sit hominibus perniciosa? 2. 1. 4. Ignorantia aliáque animi mala, ex eodem fonte manantia. 4. 15. 6.

Quo modo possumus viam scire? An virtus sit via ad honorē tamquam ad præmium eius? 3. 20. 3.

Ego sum via, veritas, & vita. Per Christum, & Christi doctrinam ac veritatem ad vitam iuisse maximos peccatores. 1. 47. 13. seqq.

Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Hoc per meum meritum, gratiam, doctrinam, & exemplum, quo pacto SS. omnes ad Patrem venerunt. mirabili patientia injuriarum, vt in Hercule Ferrariensi ostensum est. 3. 28. 8.

Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horū faciet. Omnia quidem miracula esse supra naturam, sed alia alijs maiora. Adeò honorauit Sanctos suos Christus, vt eos plura & maiora permiserit facere miracula, quàm ipse fecerit. Multi enim v. g plures excitarunt mortuos, quàm ipse. Quot Christus excitârit mortuos? 1. 38. 4.

IN Inuentione S. Crucis. Io. 3. *Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine.* Hic Phariſæus pro Chriſto, alter contra Chriſtum fuit. 3. 46. 3. Quæ Phariſęorum veſtes à Chriſto perſtrictæ? 3. 19. 2.

Princeps Iudæorum. Hic venit ad IEſum nocte. Non ſolùm noctem, ſed etiam alia, quæ naturæ mala cenſentur, bonis in bonum prouenire. 2. 2. 2. Stultitia eorum, qui noctu peccant, & putant ſe à Deo non videri; impudentia eorum, qui peccant, ſole videnre. rectiùs Nicodemus nocte ad Deum venit. 4. 59. 3.

Scimus, quia à Deo veniſti Magiſter. An fas ſit, vel nefas vocari magiſtrum? 3. 19. 2.

Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Mirabilis Contus S. Columbæ, pauperi alendo datus, qui poteſt cum Cruce Chriſti comparari. 1. 26. 10. Per reliquias S. Crucis Maria Victoria in partu, & aliter laborantibus ſuccurrit. 4. 35. 5.

Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum DEI. Baptiſmi Sacramentum quàm ſit neceſſarium? 1. 4. 7.

Quo modo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Quidam ſenes & obſtinati inſtar monſtri à Baptiſmo abhorrent. 2. 57. 7.

Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci? De eo qui natus in ventrē matris ſpontè rediuit. 4. 1. 1.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum DEI. De Baptiſmo Turcę. 1. 41. 15. de aqua Baptiſmi. 1. 6 8. Iudicia Dei per aquas hominibus oſtenſa. 2. 8. 8. ſeqq. De mirabilibus, quæ per aquam facta, vel in aquis viſa ſunt. 2. 47. 7.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Hoc eſt, fragile & crucibus ſubjectum, quæ tam extra, quàm intra matrimonium reperiuntur. 2. 30. 13. De eo, qui etiam cū veſte carnea natus eſt. 2. 54. 2.

Quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Spiritum facere, vt maximi peccatores etiam ipſis tormentis martyrum non terreantur, ſed conuertantur. 1. 42. 6. ſeqq. Regis Caſſani filius, per Baptiſmum ſpiritualiter renatus, etiam in carne curatus. 2. 57. 3 ſeq.

Spiritus, vbi vult, ſpirat, De ijs, qui alijs, & ſibi ex amore bono mortem deſiderarunt. 1. 38. 1. ſeqq.

Et vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Quod multis contingit, qui non intelligunt, monſtra eſſe diuinæ juſtitiæ monimenta. 2. 53. 1.

Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Ignorantia quanta ſit hominis? 1. 3. 1. ſeqq. Ignorantia Fortunam induxit, & Deam fecit. 1. 24. 4.

Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo. Chriſtus per crucem, velut ſcalas, aſcendit, quæ crux & ſceptrum eſt ſerpente circumplicatum, quæ ſymbolum ſanantis medici fuit. 4. 37. 3.

Sicut

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. De Thermuti aspide judiciorum caussâ, cum Christo in cruce comparata, 1. 1. 1. seqq. S. Hilarion quid per signum crucis cõtra exundantes aquas potuerit? 2. 7. 10. A serpentibus ignitis puniti homines, 2. 15. 6. à serpentibus illæsi 2. 14. 14. seq.

Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Christum crucifixum tamquam serpentem æneum, ante oculos, in morbo, ponendum esse, vt patientiam & vitam habeamus. 4. 29. 4. seqq.

IN Festo S. Ioannis Baptistæ. Luc. 1. *Elisabeth impletum est tempus pariendi.* Matrimonia prolis caussa contrahi. 2. 37 1. De nefanda prolis destructione. 2. 37. 13. De varijs matrimoniorum fructibus. 2. 45. 1. seqq.

Et peperit filium. Magna quidem lætitia in partu D. Ioannis extitit, sed maior gloria in obitu eius, quando adultera eum ad martyriũ promouit. 2. 35. 4. quod etiam Geilana adultera S. Kiliano fecit, & socijs eius 2. 35. 5.

Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa. Cur etiam justos conjuges Deus steriles esse finat? & eorum consolatio. 2. 37. 4. seqq. Qui Sancti à sterilibus inuocati fuerint salutares? 2. 37. 8. seqq. & 2. 38. 10. seq.

Et congratulabantur ei. Aliter Herodiadis filia saltatrix gratulata est, in natali, Herodi. 2 53. 13. Tibicinis & aliorum obscœna leuitas fulmine punita. 2. 3. 12. Malè saltantes male puniti. 2. 54. 5. seqq. Impurus & saltator Sacerdos fulmine castratus. 2. 3. 13. An sit congratulandum, quando alicui filius nascitur, cùm tamen multa mala bono prolis opponantur? 2. 37. 2. seqq.

Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. De nomine & insignibus fetui à matribus impressis. 2. 51. 11.

Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Cui cognomen: *Baptista.* Vnde de varietate, modis, & vi baptismi potest tractari. 1. 13. 1 seqq In Ioanne Baptista maxima paupertatis experimẽta. 3. 13. 3.

Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Sine dubio ipsa Elisabeth jussit etiam super hac re interrogari Zachariam, vt sua sententia etiam hinc defenderetur; quia vxori pro tutela debet esse maritus. 2. 32. 17.

Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Interrogantes, post matris responsum, etiam patrem Zachariam, indicant maiorem esse patris, quàm matris in filium potestatem. 2. 27. 1. Innuisse Zachariæ Elisabetham, credibile est; vnde patet, quis conjugibus honor debeatur? 3. 26. 1.

Et postulans pugillarem, scripsit, &c. Consensit vxori Zacharias, quia concordia, coniugij vinculum & fructus est. 2. 45. 4.

Ioannes est nomen eius. De libertate S. Ioannis, Herodem regem, ob adulterium, castigantis: cùm tanta matrimonij violatoribus mala à Deo impendeant? 2. 27. 5. seqq. & si vel vxorum pluralitas illicita est, quantò magis maritorum? 2. 29. 2. Ioannis Baptistæ ca-

put capite luit puella saltatrix. 3. 51. 6.

Mirati sunt vniuersi. Multa admiratione digna in Ioanne fuerunt, inter quæ est, quòd etiam bella non reprehenderit, sed tacitè laudârit. 3. 56. 8. Cùm canis, cranio in senis sinum deposito, homicidâ accusârit, mirari magis debemus, quòd caput Ioannis in discũ impositum, & ipsam saltatriculam & matrem, & Herodem accusârit. 4. 52. 3.

Apertum est autem illico os eius, & lingua eius. De eo, qui linguæ vsu fuit priuatus, sed prophetiæ dono ornatus. 2. 62. 16.

Et loquebatur benedicens Deum. Benedicens Deum eitam filium alioqui sterilis, impetrauit, quia oratio est sterilitatis remedium. 2. 37. 8. An rectè, & quinam Sancti in sterilitate inuocentur? 2. 37. 9. seqq.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum. Quàm vtilis & necessarius sit mortalibus timor? 2. 1. 3. seqq. Festum S. Ioannis Baptistæ pluuia sanguinea præcedens timorẽ fecit. 1. 42. 4.

Quis putas, puer iste erit? Nempe is, qui Herodi liberè audebit dicere: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Quantum emolumentum esset, si qui possunt, Principibus auderent veritatem ingerere? 1. 21. 14. eius rei exemplum in Amphilochio. 1. 21. 10.

Etenim manus Domini erat cum illo. De capite S. Ioan. Baptistæ in ferale conuiuium illato, & capite impiæ saltatricis itidem ablato. 2. 53. 13. & de capite piscis, in caput Symmachi mutato. 2. 53. 12. Manus mirabiliter è ligno enata. 2. 54. 4.

Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto. Qui tamquam verus Deus loquitur in Prophetis. 1. 11. 7. & habet æmulos homines monstrosè præsagos. 2. 52. 14.

Benedictus Dominus Deus Israël. Locutũ esse Zachariam de redemptione Christi, quasi iam facta esset, quia etiam futurum beneficiũ est valde æstimandum. 1. 11. 4. De vana vaticinatione calendariorum. 1. 27. 6.

IN Festo SS. Petri & Pauli. Matth. 16. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Christus de se, siue mala, siue bona dicerentur, audire volens, exemplo suo docuit honorum fugam. 3. 39. 4. Quẽ imitatus est Paulus honorum fuga clarus 3. 39. 5.

Alij, Ioannem Baptistam: Alij Eliam: Alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Hi omnes, ob istorum Sanctorum virtutes benè de Christo senserunt, ita & S. Paulus docuit, nos nobis nostra peccata, aliorum autem virtutes ante oculos ponere debere. 3. 40. 15.

Vos autem quem me esse dicitis? Illum scilicet, cui suam castitatem Apostoli consecrarunt, quorum plerique non fuerunt conjugati, vt & Paulus. 2. 46. 16.

Tu es Christus Filius DEI viui. Apostoli non tantùm Christum crediderunt esse Filium Dei viui, sed etiam vt id alij crederent, D. Petrus claudum sanauit. 4. 39. 2. item Æneam paralyticum,

cum. 4. 39. 3. item Tabitham. 4. 39. 4. Ad eumdem finem claudum sanauit Paulus. 4. 39. 5. quam vim Paulus non sibi, sed Christo ascripsit. 4. 39. 6. Quid sint sudaria & semicinctia S. Pauli, per quæ tot sanati? 4. 39. 7.

Beatus es Simon Bar-Iona. Beatus erat Petrus non solùm, quia illi reuelatum est, Christum pauperem esse Filiũ Dei, sed etiam, quia ipse pauper, sicut omnes Apostoli. 3. 14. 6. seqq. Quàm clarè reliquiarum & sacrarum imaginum cultus doceatur per vmbram S. Petri? 4. 39. 8.

Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Quidam similes illi, qui cum veste carnea natus, reuelationum non sunt capaces. 2. 54. 2. Discrimen inter Petrũ & Iudam. 4. 56. 9.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Christi scientia vel è nominibus, quæ rebus indidit, agnoscenda, sicut olim Adami, de quo. 2. 12. 2.

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Res juxta earum naturas, in mundo requirendas, sicut & Petrus loco petræ fuit. 2. 32. 1. De varijs petris, intra quas animalia viua reperta sunt. 2. 47. 16. Petra vel arena, hoc est, bono vel malo fundamento nixos homines à tentationibus superari, vel non superari. 4. 45. 1.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. S Stanislai, Fridolini, Bennonis, & aliorum vis contra Ecclesiæ impugnatores. 1. 37. 5 seqq Calumniatores non præualere ijs, qui super petram veritatis & innocentiæ sunt ædificati 3. 49. 1. seqq. Bella Ecclesiam impugnantia esse quidem inferni simulachra, 3. 57. 6. sed per ea fieri fortes, 3. 57. 9.

Et tibi dabo claues regni cælorum. De clauibus prodigiosè receptis à S. Maurilio, 1. 34. 14. S. Petrus Bardam & Michaelem Imp. grauiter punit, ob iniurias in Ecclesiam. 4. 51. 8.

Et quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. De vinculo & insolubilitate matrimonij. 2. 41. 1. seqq. An rectè S. Paulus percuti iussus, vicissim quasi ligârit, dum percussori percusionem est imprecatus. 3. 42. 6. & 3. 51. 7.

Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. De varijs modis & caussis, quibus matrimonia quoque soluuntur 2. 43. 1. seqq. vsque adeò omnia peccata posse solui, vt desperare veniam, sit maius peccatum omnibus alijs peccatis. 4. 58. 4.

IN Festo Visitationis B. Virginis. Luc. 1. *Exurgens Maria abyt in montana.* B. Mariæ, pedibus iter facientis, paupertas quanta? 3. 14. 5.

Cum festinatione. Festinauit B. V. quia puellis non est morandum in via, exemplo puellæ vagantis, miserè per Italum seductæ 3. 63. 3. seqq Prægnantibus succurrere, quanti ni meriti? 4. 35. 2. seq.

Intrauit in domum Zachariæ. Quàm sancta fuerit domus, in qua tam sancti coniuges habitarunt? & quam B. Virgo adijt, sicut alius templum eius omine bono. 1. 25. 11. Quædam olim domus in pœnam destructæ, vel mutatæ, at domus Zachariæ ob tam Sanctos incolas

incolas meritò seruanda & ornanda fuit, sicut & domus Lauretana. 3. 6. 4.

Et salutauit Elisabeth. De castis & constantibus heroicisque feminis in fide maritali. 2. 32. 11. seqq. Hæc Elisabeth prægnans salutata fuit, alia Elisabeth leprosos salutauit & lauit. 4. 35. 4.

Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius. De infante, qui fuit B. Virgini vtiliter præsentatus, sicut hic Ioannes. 1. 13. 11. Alia Deiparæ, alia coruorum & psittacorum salutatio. 2. 14. 11.

Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Elisabeth aspecta DEI Matre, tamquam terrâ benedicta, in DEVM ascendit, sicut aspecta terra Theodorus, de quo. 2. 11. 11.

Benedicta tu inter mulieres. Adeò benedicta, vt etiam suis cultoribus pecuniam mittat. 1. 13. 6. seq. Dei Matri non benedicentes, sed malè dicentes truncantur, vel à dæmonibus plectuntur. 4. 24. 12.

Et benedictus fructus ventris tui. B. Virginis fertilitas cum terræ fertilitate conferenda, de qua. 2. 11. 13.

Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Cùm B. Virgo Elisabetham visitans honorârit, & hæc his verbis B. Virginem vicissim, quæri potest, quibus modis possit sibi, qui in aliqua re superior est, inferiorem pro superiore habere? 3. 40. 16.

Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Ioannes vt gigas exultans, cum varijs gigantibus comparandus. 2. 50. 8. seqq.

Beata, quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Exemplo B. Virginis fidem erga Christum exercendam. 1. 12. 6.

Magnificat anima mea Dominũ. Deũ ante omnia magnificandũ. 3. 27 4.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Elisabeth Mariam vbi vt Dei matrem agnouit & prædicauit, quasi veteri more, lætitiæ & exultationi eius facem prætulit. 2. 3. 2.

Deposuit Potentes de sede. DEI potentia contra Potentes sæpe ostensa. 2. 50. 16. seqq.

IN Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Luc. 7. *Rogabat IEsum quidam de Pharisæis, vt mãducaret cum illo.* Rogandos esse pauperes ad mensam, quia in illis Christus excipitur. 3. 34 2.

Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Opiparum & ferale Comitis cuiusdam conuiuium, in quo introducta est, quæ (sicut hîc Magdalena) putabatur peccatrix, & nõ erat peccatrix. 3. 34. 3.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Cur Deus sæpe differat punire peccatores? 1. 41. 2. Malarum mulierum & peccatricum quanta sit multitudo? 2. 22. 2. seqq. Luxuriantes in bestias mutari. 2. 61. 6. De monstroso superbarum feminarum sumptu & fuco 2. 61. 8. seq. Meretricum fructum esse Veneream luem. 4. 22. 5.

Vt cognouit, quòd IESVS accubuisset in domo Pharisæi. Impuras difficiliùs quidem pœnitentiam agere, posse

posse tamen agere, non solùm Magdalenæ huius, sed etiam aliarum exemplis docetur. 2. 35. 9.

Attulit alabastrum vnguenti. Vnguenta sunt ægrotis vtilia, & ægrotorum signa, si ponè lectum illorum videantur. At B. Adalbertus pœnitenti meretrici morbum ipsum pro vnguento, in purgatorij vicem, impetrauit. 4. 27. 8.

Et stans retro secus pedes eius. Confusio in pœnam, & confusio in medicinam. 3. 30. 6. seq. Tentatio pœnitentis circa confessionem & satisfactionem. 4. 59. 1.

Lachrymis cœpit rigare pedes eius. Animæ balneum lachrymæ pœnitentis. 1. 43. 1. Vis lachrymarum. 1. 43. 3.

Et capillis capitis sui tergebat. Ob capillorum superbiam homines decaluari. 2. 53. 3. item pilorũ colores monstrosè mutari, 2. 53. 4. Quàm raræ & paruæ pœnitentiæ nunc à peccatoribus peragantur. 4. 59. 5.

Et osculabatur pedes eius; & vnguento vngebat. Peccata Magdalenæ occasio fuerunt pœnitentiæ, quia si vitia non essent, multæ virtutes non essent. 3. 18. 7.

Hic si esset Propheta, sciret vtiq; quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum. De cognitione Dei, quæ ratione obiecti claritatis, medij, celeritatis, certitudinis, &c. incomparabiliter omnem humanam cognitionem excedit. 1. 3. 5. seqq. Non sine caussa paucis à Deo reuelari internum hominis statũ. 3. 32. 5 Malè iudicati qui bene sunt cum meretricibus versati. 3. 46. 5. seqq. Non solùm factum, sed etiam conuersationẽ mulierum, præsertim alienigenarum multùm nocere. 3. 60. 3.

Quia peccatrix est. Malè judicauit, quia peccatrix erat, tunc tamen pœnitens fuit. 1. 28. 9. & 3 34. 4. seqq. Nulla re Deum magis offendi, quàm si de misericordia eius desperetur. 1. 6. 6. seq. Etiam de malis bene sperandum. 1. 43. 4. A mundo excęcatos non judicare secundùm veritatem 2. 2. 4.

Quis eum plus dilexit? Ex clementia Dei, bonitatem illius agnosci. & nostram excitari. 1. 41. 3. Theodoræ conuersio & pœnitentia. 4. 59. 4. seqq.

Is, cui plus donauit. Liberalitas liberalitate compensatur. 3. 43. 5.

Rectè judicasti. Iudices iniustos alium iudicem metuere debere. 1. 39. 1. seqq.

Vides hanc mulierem? Christus Magdalenæ, contra Pharisæum, patronus. 1. 41. 6. Mulieris fortis inueniendæ difficultas. 2. 22. 4. Nullum esse tam profundum peccatorem, qui veniam à Deo non possit consequi. 4. 58. 2. seqq.

Aquam pedibus meis non dedisti. Collatio operum, quæ faciunt pœnitentes, cum operibus quæ faciunt Pharisæi. pœnitentis lachrymæ sunt sanguis cordis, balneum animæ Pharisæorum lachrymæ sunt lachrymæ crocodili. 1. 43. 1.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum Magnorum peccatorum conuersione perpensa ingredi & alios peccatores in spem veniæ. 1. 41. 10. Misericordiam diuinã à peccatoribus spectandam, vt in spem erigantur. 2. 35. 11.

Quis

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Qui solam peccatorum malitiam intuetur, facilè judicat, ea non posse dimitti; sed etiam misericordiam & potentiam Dei ante oculos esse ponendam. 2. 35. 10. Per peccatum data est occasio noscendæ diuinæ misericordiæ. 3. 58. 3. item diuinæ prouidentiæ. 3 58. 4.

Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Quantum possit, apud diuinam misericordiam, vera contritio? 1. 43. 7. Exempla mira contritionis. 1. 43. 5. seq. Fides in muliere, non pecunia spectanda est. 2. 26. 6. Sponsa pecuniæ, quàm fidei amantior, à diabolo abrepta 2. 26. 9 Esse etiam fidem erga coniuges, quæ salua saluos, læsa damnatos facit; & quàm id sæpe, quàm magnis fraudibus, cædibus, &c. fiat? 2. 31. 1. seqq.

IN Festo S. Iacobi Apostoli. Matth. 10. *Accessit ad IESVM mater filiorũ Zebedæi cum filijs suis.* Filij Boanerges, habẽt nomẽ à Fulmine, à quo magna in Deum gloria redundat. 2. 3. 2. Fulmina, seu alia tela in authores retorta. 3. 52. 1. De bono prolis, quod est in matrimonio. 2. 23. 3. Fructus in filios à matribus redundans. 2. 45. 13.

Adorans, & petens aliquid ab eo. Inter alios à Deo petendi modos esse fortes, per quas primus Aragonum rex Iacobus est appellatus. 1. 34. 9. Adorauit & humiliauit se mater ista, vt filij exaltarentur; sicut multi, ob honorem magna etiam bona faciunt, sed malè, si propter solum honorem. 3. 20. 4.

Quid vis? De matre pro filio suo mirbiliter solicita. 2. 20. 8 Hinc à matre filiorum Zebedæi pro filijs suis orante, & Christo interrogante: *Quid vis?* discimus orationes Sanctorum non esse inefficaces; adeoq; Sanctos inuocandos esse, idq; malè à nonnullis negari. 3. 27 11. seq.

Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Regnum Christi Mundo multis de caussis anteponendum, ac præcipuè ob stabiltatem. 2. 20. 3. seqq. Parentum consilia aliquando liberis vtilia, aliquando noxia esse. 2. 42. 4. & 2. 42. 5. De matribus, quæ filios à cælo retrahunt, vel Deo offerunt. 2. 45. 14. seqq Regna per feminas acquisita. 2. 45. 20. Gloriam humanam nequaquam, vt finem operum nostrorum esse spectandam 3. 19. 8 Gloriam quatuor modis appeti, sed non omnibus bene. 3. 19. 7. De ambitionis & ambitiosorũ contemptu. 3. 39. 3. Quantam parentibus curam injciant filij, ostenditur ex lucta parentis, filium, ob famem, venditurũ. 4. 10. 10. seqq.

Nescitis, quid petatis. Filijs Dei, qui volunt assidere Christo, multa patienda esse. 1. 31. 1. seqq. Nescire eos, quid perant, qui opes appetunt 3. 4. 1. Mentes humanas appetitu cæcari. 3. 4. 2. An, & quomodo vel fas, vel vanum sit, Honorem & gloriam appetere? 3. 19. 1. seqq. Honorem sine alio fine appetere, esse vanum. 3. 19. 10. Exemplo Christi, matrem hanc reprehendentis, reprehensiones prudentes ac mansuetas esse debere. 3. 35. 7. Petens id, quod saluti magis prodesset, iterum morbum impetrat. 4. 28. 8.

Pote-

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Christianis à Saraceno Christi exemplum propositum, cuius calice considerato omne nobis absinthium dulcescit. 1. 31. 13. Aliquos tum ob vtilitatem, tum ob peccata parentum vtiliter tentari. 4. 57. 5.

Possumus. Futuram in cælo felicitatem præsenti longè anteponendam, 3. 32. 1 Humilitatis & magnanimitatis, tamquam eiusdem virtutis esse, honoris appetentiam frænare. 3. 19. 4. Quæ sit magnanimi indoles circa honorem? 3. 19. 5.

Calicem quidem meum bibetis. De ijs, qui calicem tribulationis libenter biberunt. 1. 30. 3. seqq. An & quomodo possimus nos, imitatione Dei, gloriam expetere? 3. 21. 3. Cur Episcopatus licitè appeti possit? 3. 22. 2. Laborem, & crucem, seu calicem Domini, non honorem in Episcopatu esse appetendum. 3. 22. 3. seqq.

Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis. Eas cruces, nobis vtilissimas esse, non quas nos ipsi eligimus, sed quæ nobis à Deo imponuntur. 1. 33. 8.

Sed quibus paratum est à patre meo. Etiam à consanguineis desertos, non deseri. 1. 13. 3. De gratiæ prædestinationis mysterio. 4. 63. 6. seqq.

IN Festo S. Laurentij. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* S. Laurentium non in terram, sed in ignem ipsum & tostum, qui ignis siue nocuerit, siue pepercerit Dei amicis, semper eos illustrauit. 2. 3. 7. seqq. Ignis innocentibus idem qui auro; nocentibus idem, qui stipulæ, quam comburit. 2. 3. 11. Ignem innocentibus parcere. 2. 3. 15. De ignibus clades vaticinantibus, inter quos est & is ignis, quo occisi Sancti vindictam expetunt. 2. 52. 5. seq. Christum ipsum multis antè modis humiliatum, quàm exaltatum fuisse. 3. 36. 2. Eodem etiam modo in alijs hominibus humiliationem ante exaltationem præcedere. 3. 36. 3.

Si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert. Hinc vel feminæ viros animarunt ad mortem cõtemnendam, & fidem vel sanguine defendendam. 2. 45. 10. seqq & matres filios ad martyria obeunda. 2. 45. 17 Per ignem mortuus Laurentius, sed vt Phœnix reuixit, quod est instar mõstri De igniũ autem monstris. 2. 47. 5. de pyrali & Salamandra, an in igne viuant? 2. 48. 1. De Phœnice. 2. 48. 2. seqq.

Qui amat animam suam, perdet eam. De amore patiendi. 1. 31. 5. seqq. Aliter Laurẽtius, aliter Crœsus amauit animam suam, & aliter vterque per ignem perdidit. 3. 17. 10. seqq. Sanctos non sentire, si cadauera eorum malè tractentur. quę ipsi viua mortificarunt, immò tormentis tyrannorum obiecerunt. 4. 67. 8. Sanctos quosdam spontè abiectum & vile sepulchrum optauisse, sed tantò nobilius acquisiuisse. 4. 67. 9.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Generosâ patientiâ ignem non solùm cum D. Laurentio, sed etiam cũ tribus pueris superandum. 1. 30 11. De ignium prodigijs & monstris. 2. 47. 5. Igne consumpti, qui tres pueros igni

perdere voluerunt. Calumniator in calcariam mittitur, in quam alium mittere cogitabat. Item ignem vel imprecantes igne puniti. 3. 52. 4. seqq.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Aduersis pressos, Christi exemplis roborari. 1. 31. 12. Christum secutus Laurentius in summis doloribus patienter jacens, quod Stoicus quidam, ob vanam laudem, in summis morbi tormentis facere conatus est. 4. 33. 11.

Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Nostra mala cum D. Laurentij aliorúmque martyrum, immò ipsius Christi cruciatibus comparata, vix vmbram esse malorum. 1. 31. 10 seq. Christus in doloribus fuit. Christi & Iobi in doloribus imitatores martyres fieri. 4. 33. 8.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Per aduersa viam esse ad victoriam & coronam. 1. 31. 14. Ad omne cum fortuna certamen, à cælesti nos gloria excitari. 1. 31. 15. Spei caussam, & velut cælestem Arrham esse, aduersis rerum vndis aduersabilem fieri. 1. 31. 16. Quatuordecim classes eorum, quibus honorem debemus exhibere. 3. 25. 1. Malè initio quosdam diuos sepultos esse, vt alijs præberetur occasio eos honoratiùs sepeliendi. 4. 67. 11.

IN Festo Assumptionis B. Virginis. Luc. 10. *Intrauit* IESVS *in quoddam castellum.* Quod etiam factum est, quando de cælo descēdit in vterum Virginis Matris suæ, per Incarnationem, de qua vide in Festo Annuntiationis suprà.

Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Ex veteri & nouo Testamento exempla feminarum, Elisæum & Christum, & Apostolos excipientium, aut curantium. 3. 13. 13. Christum in specie pauperum quidam excipit. 4. 35. 7.

Et huic erat soror nomine Maria. De hac Maria vide suprà in Festo S. Mariæ Magdalenæ; cuius tamen statui contemplationis Maria Mater IESV Christo in cælo proximè assidens potest comparari.

Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Dei quoque Mater secus pedes Domini sæpe sedens conseruabat, & conferebat omnia verba eius in corde, mente identidem ad Deū ambulans. Vnde dicitur:

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis? Cant. 7. 1. Vide de calceo Rhodopes, ob cuius elegantiam in regis matrimonium assumpta est. 2. 25. 7.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Multos cum Martha in temporalibus laborantes meliora negligere, aut cum Apostolis, sine Christo, tota nocte laborantes nihil capere. 1. 13. 4. Laborem homini necessarium esse. 2. 17. 2. Laborem Iudæorum inanem fuisse. 2. 18. 13. Alium laborem esse alijs mulieribus, sicut alius est virorum, & alius feminarum. 2. 24. 9.

Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solā ministrare? Detrahentibus de honore B. Virginis, membra detrahuntur. 4. 52. 7.

Dic

Dic ergo illi, vt me adjuuet. Lessius in summis morbis quo modo voluerit à B. V. Deipara adjuuari? 4. 29. 4.

Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Reprehensores sapientibus charos, insipientibus exosos esse, vt docet Martha Christum reprehendentem amans. 3. 35. 3.

Vnum est necessarium. Necessariũ est, vt cum B. Virgine parati simus ad mortem, quæ pauperibus & Sanctis est pretiosa, pessima diuitibus, satagentibus circa varia ministeria. 3. 9. 1. seqq

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. De æternitate Beatitudinis. 2. 20. 8. seqq. Mariam quidem optimam partem elegisse, si auditio verbi diuini cum hospitalitate, non autem, si cum virginitate Marthæ comparetur. 2. 21. 7. seqq. Cæsareæ reginæ merita cum meritis B. Virginis comparanda. 2. 45. 6. Innocentis reprehensi, & à Deo defensi in religioso, sicut in Magdalena, exemplum. 3. 35. 5.

IN Festo S. Bartholomæi. Luc. 6. *Exijt* IESVS *in montem orare.* Exire Iesum, & auxilium diuinum ab ijs, à quibus exit Religio, cui succedunt bella. 3. 60. 2. seqq.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Perseuerandum in oratione, ob quod Deus homines non statim liberat, vt orationem efficiat ardentiorem. 1. 30. 10.

Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos. Inter hos & Bartholomæus erat, quem per crucẽ & ignominiam ad gloriam duxit Deus, sicut & alios, in exemplo iuuenis. 3. 36. 6.

Et elegit duodecim ex ipsis, Sicut Iacob duodecim Patriarchas, leoni, lupo rapaci, colubro &c. comparauit; ita Christus elegit duodecim velut leones, lupos, serpentes, &c. cicuratos, de quibus animalibus cicuratis. 2. 14. 2. seqq. Duodecim homicidiorũ reus duodecies punitus. 3. 54. 7.

Quos & Apostolos nominauit. Apostoli, velut gigantes ad currendam viam exultantes, cum gigantibus comparandi, in quibus, vt in omnibus alijs magnis rebus, Dei gloria magis elucescit. 2. 50. 11. seqq.

Simonem, quem cognominauit Petrum, &c. Apostolos à sterilibus vtiliter inuocari. 2. 37. 10. Christus etiã sal terræ Apostolos cognominauit: sed non qualis salis statua facta est vxor Lot. 2. 55. 6. seqq.

Et descendens cum illis stetit in loco campestri. Christus semper fuit sua ope cum Apostolis miracula patrantibus, per quę, quid Bartholomæus effecerit? 4. 39. 11.

Et turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis. Etiã septuaginta duos Christi discipulos vim sanitatum habuisse. 4. 39. 12. Inter magnam turbam potest S. Bartholomæo opponi Bartholomæus Entius à cadauere accusatus. 4. 52. 2.

Qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Aliquos Sanctos alijs sanitatem à DEO impetrasse, qua ipsi caruerunt. 2. 62. 15. Sanitatẽ idcirco esse valde optabilem, quia morbus vniuersam corporis harmoniam tollit, & est carceri similis. 4. 12. 1. seqq. Qui Sancti noluerint sanari

à morbis suis? 4. 31. 1. seqq. Ad Sanctos potiùs, quàm ad impios in morbis recurrendum. 4. 42. 6.

Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Curata, quæ spiritu immundo vexata vexabat innocentem. 3. 36. 8. seqq. Quàm grauiter & multipliciter Iobum vexauerit Spiritus immundus? 4. 33. 2. seqq.

Et omnis turba quærebat eũ tãgere. Non esse in morbis, vel alijs defectibus causſam querelarum, sed occasionem diuinæ prouidentiæ & bonitatis laudandæ. 2. 63. 17. De turba omni dictum est, quòd, sanitatis causſa, eum quæsierit tangere, nam fuêre cõplures Sancti, qui nolebant sanari. & cur? 4. 38. 2. seqq.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. De licitis & illicitis sterilitatis remedijs. 2. 37. 12 Hiltegardis medica, de qua virtus exibat. 3. 49. 9. Quàm varijs omnia mẽbra morbis infestentur, vnde sanari homines cupiunt? 4. 12. 3. seqq Quanta virtus è Diuorum reliquijs exeat? 4. 42. 9.

IN festo Natiuitatis B. Virginis. Matth. 1. *Liber Generationis* IESV *Christi.* Quàm vtiliter legantur libri, qui de Sanctis scripserunt? 1. 34. 5. seqq.

Abraham genuit Isaac. B. Virgo non tantùm è diuitibus orta est, sed etiam suos cultores diuites facit. 1. 13 6. seq. & ib. §. 11. & 1. 35. 5. & 1 35. 10. Librum hunc multùm posse, cùm etiam S. Sabini epistola Pado flumini scripta tam fuerit potens. 2. 7. 11. De Ducibus & Regibus, eorumq; genealogia, qui neglecta religione mirabiliter fuerunt vexati; & religione reuocata, etiam Deum ad se reuocârunt. 3. 61. 2. seqq.

Abraham genuit Isaac. Quantam curam habuerit Deus circa conjugium Abrahæ & Saræ conseruandum, è quibus Isaac natus? 2. 27. 3. seqq. De varijs vel conceptæ, vel natæ prolis incommodis. 2. 38. 1.

Ex ea, quæ fuit Friæ. De regibus amore mulierum perditis. 2. 43. 7.

Virum Mariæ. Quæ non solùm ipsa mater fuit, sed & alijs potest impetrare, vt sint matres. 2. 37. 9. Quale votum Mariæ fecerit æger Lesius? 4. 29. 4.

De qua natus est IESVS, *qui vocatur Christus.* Deiparæ virginitas à simplici fratre defensa. 1. 21. 6. Beata Virgo comparanda cum terra bona, de qua Christus. 2. 11. 1. seqq. & 2. 12. 1. seqq. Christus vnctus docet Confessarios cum pœnitentibus paternè agere, & vngere, non pungere pœnitentium vulnera. 1. 43. 9. Primus homo, qua in gloria sit creatus, quem Christus in maiorem reduxit 3. 2[illegible]. Cùm tam felicem partum habuerit Beata Virgo, è quo partu tantus fructus in vniuersos homines redundauit, posse etiam ex alijs partubus fructum bonum sperari, vnde etiam ex hoc capite rectè agitur De abortibus non procurandis. 2. 38 1. seqq. Beata Virgo feliciter peperit: cùm, violato virginitatis voto, alia mulier multiplici abortu sit punita. 2. 38. 9. De matribus, quæ aspectu variarum rerum partum suum afficiunt. 2. 51. 9. Quo pacto fœtum impediant, vel ante tempus expellant venefici? 4. 19 4. Quo modo ijdem partum impediant, vel jam natis noceant? 4. 19. 5.

In

IN Festo S. Matthæi. Matth. 9. *Vidit* IESVS *hominem sedentem in telonio.* Quomodo sedeant, & seipsos crucient auari? 3. 5. 12. Auaros ijs miseriores esse, qui ad metalla damnantur. 3. 8. 2.

Matthæum nomine. Huius nomen antè infame, cùm in telonio sederet, postea celebre cùm Euangelista esset, quia plurimos Deus per infamiam, & quidem etiam sanctissimos, ad gloriam ducit. 3. 37. 5.

Sequere me. Mirabiles Dei vocationes, velut casu accidentes. 1. 25. 8. seqq. Filios Deo vocanti potiùs, quàm parentibus reuocantibus parêre debere. 3. 29. 3. seq.

Et surgens, secutus est eum. Christi testimonio & Matthæi exemplo difficile esse diuitibus saluari. 3. 8. 1. seqq. Parabola de auri cupiditate sapientiam destruente. 3. 6. 1.

Multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum IESV, *& discipulis eius.* Cur bona fama, non sit ritu publicanorum, negligenda? 3. 20. 2. Cur ex parte Dei, indigni sinantur honores capessere; & discumbere cum principibus? 3. 29. 8.

Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Cur Christus reprehenderit Pharisæos, ob phylacteria dilatata, & fimbrias magnificatas? 3. 19. 2. Conuersatio cum peccatoribus in calumniam tracta, à Deo defensa. 3. 36. 9. seq. In domos malorum benè qui ingressi. 3. 46. 5. seqq. Ad malos bono fine intrari posse, & quæ cautio adhibenda? 3. 46. 8. seqq.

Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Honorati Publicani præsentia Christi sanati sunt, quia honor est eos fortitudinis. 3. 24. 5. De Medicorum vtilitate & honore ac salarijs. 3. 26. 5.

Misericordiam volo, & non sacrificium. Etiam in hostem immitis ad Deum judicem in jus vocatus, cogitur venire. 1. 39. 4. Sanctus alioqui, sed in pauperes immisericors, diuina prouidentia, tamquam latro damnatur. 3. 38. 8.

Non veni vocare justos, sed peccatores. Non præueniri gratiam DEI à bonis meritis hominis, sed plerumq; à multis meritis malis. 4. 58. 2. Peccatores impœnitentes vocari ad tribunal Dei. 1. 37. 2. seq. & 1. 39. 1. seqq.

IN Festo S. Michaëlis. Matth. 18. *Quis, putas, maior est in regno cælorum?* Agesilaus & alij, cur contempserint, in hac vita honorem? 3. 19. 1. Aliorum etiam Ethnicorum in honoribus deponendis, vel etiam contemnendis generositas. 3. 39. 2.

Aduocans IESVS paruulum statuit eum in medio eorum. Paruuli in oculis suis, Hilarius, Franciscus, alijq; quantùm & quo jure honorem contempserint? 3. 39. 6. seq.

Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Diaboli superbi, & in oculis suis magni, è regno cælorum electi

ejecti sunt, & in varia monstra mutati: hinc atri, hinc variarum bestiarum forma, & vt dracones apparent. 2. 58. 2. seqq.

Quicumque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. An virtus humilitatis antiquitus fuerit cognita? 3. 19. 3.

Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. De paruulis apud homines gratiosis. 2. 50. 4. Ægroto moroso seruiens, Angelis comparatur. 4. 36. 3.

Qui autem scandalizauerit vnũ de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Inter paruulos esse ægrotos, qui impatientia illis seruientium non sunt scandalizandi. 4. 35. 2. præsertim cùm & ipsi Angeli ægrotis ministrârint, ab hominibus imitandi. 4. 35. 12.

Necesse est, vt veniant scandala. Exemplis coniugum coniuges fieri adulteros; & adulteria meritò adulterijs puniri. 2. 33. 6. seqq. Ducum militum licentia quid exemplo efficiat? 2. 33. 10.

Va homini illi, per quem scandalum venit. Scandalizantes mirabiliter puniti. 2. 33. 11. seq. Exemplis & scandalis coniugum coniuges adulteros fieri. 2. 33. 7.

Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proïce abs te. Sic abscidit vxorem adulteram Paulus eremita factus, & Gangulphus. 2. 35. 6. seq. Virginitatis seruandæ caussa spontaneo vulnere virgines denasatæ. 2. 57. 12.

Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Longè præstare, vt in hac vita quiduis patiamur potiùs, quàm vt ignibus æternis cruciemur. 1. 31. 4. seqq. An claudi, vel manci sint ad vitam ingressuri, vel omnia membra habituri? 2. 63. 1. seqq.

Si oculus tuus scandalizat te: erue eum, &c. Luciferum cæli oculũ Michaël eruit, & proiecit, Luciferi superbiam imitatus est Alphonsus arrogans. 2. 4. 2 Cæcitate, & tenebris homines in multis rebus etiam bonis juuari. 2. 5. 12. Sanctæ puellæ vt virginitatem seruarent, & non scandalizarent, oculos perdiderunt. 2. 57. 11.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Nullum contemnendum, sed omnes honorandos esse. 3. 27. 13.

Angeli eorum, semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Angelorum ministeria in mundo regendo. 1. 6. 2. item in homine alendo. 1. 9. 7. & in B. V. defendenda, Christo & Petro eripiendis. 2. 12. 1. seqq. in Eucharistia administranda. 1. 15. 9. seqq. Angeli regem per militem admonentis vigilans cura. 2. 4. 3. seqq. Angeli negligentiam non esse, si qui iuuenes moriantur. 4. 46. 2. immo ab Angelo occisum juuenẽ pro beneficio. 4. 46. 3. seqq. Rectè Angelos non impedire mortem suorum clientum. 4. 46. 10.

IN Festo SS. Simonis & Iudæ. Ioan. 15. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Terræ & aquæ consortium mirè artificiosum & vtile, dilectionis symbolum est. 2. 6. 2.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Exemplo Christi, & aliorum heroum, variis casibus actorum, nullum nos casum grauiter accipere debere. 1. 29. 5. seqq. Miseriæ, quas infert Mundus, pariunt mundi contemptum. 4. 2. 5. seqq.

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Sic odio dignos amat, & amandos putat; sicut alia alibi monstrosa, vel non monstrosa videntur. 2. 51. 4. Amat formosos mundus, non formosos Deus, qui formam compensat. 2. 62. 5.

Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos Mundus. Cùm Deus in omni casu adsit, nullum justæ indignationi locum esse 1. 30. 1. Quando bonum sit omnibus velle placere, & à nullo odio haberi? 3. 9. 9.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Magis curari à Deo, qui Deum magis curant. 1. 20. 2. Quantum peccati horrorem habuerint homines timorati? 2. 32. 13. Alibi jubet Apostolos esse prudentes sicut serpentes, qui sunt hortorum & hominum custodes 3. 45. 6. seq. Neminem debere scandalizari, si innocentes persecutionem patiantur, multoq; minùs, si reos videant pati. 4. 14. 3. seq.

Non est seruus maior domino suo. Tulipæ esse pares, qui læta tantùm volunt habere, Domino tristia patiente. 10. 30. 2. Pauperum inani querelæ quomodo satisfiat? 3. 2. 1. Triplex tentationem patienter ferentium gradus. 4. 52. 4.

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. In persecutione Sanctorum terram contremuisse. 2. 18. 12. Iniuriarum patientia & persecutionis. 3. 41. 2. Decem rationes, ob quas nos ipsos vlcisci non debeamus. 3. 41. 4. Persecutionem hostis, seu bellum, esse fame, & peste maius malũ. 4. 11. 1. seqq.

Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Obedientia Deo, & Diuis magis, quàm cæteris hominibus honor deferendus. 3. 29. 3.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Apostoli, velut procerus miles, à pumilis crudeliter tractati. 2. 50. 3. Cautiores fieri de periculis præmonitos, & à Deo custodiri periclitantes. 4. 21. 2.

Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Alios corrigi, alios non corrigi reprehensione. 3. 35. 4. seqq.

Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Agnitionem peccati, remedium esse humilitatis. 3. 40. 14. Discrimen periculis se committentium, & stultitia volentium è periculis eripi. 4. 21. 12.

Qui me odit, & patrem meum odit. Oderant Christum vera illis dicentem, & vitia eorum reprehendentem

tem, quiâ veritas odium parit, & mundus odit reprehensores, laudatores amat. 3. 35. 8.

Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quid miraculoſorum etiam operum patratores humiles faciat, vt inde peccatum ſuperbiæ non habeant? 3. 40. 13.

Odio habuerunt me gratis. Sicut ſit ex temeraria ſuſpicione, & iudicio, præſertim inter ipſos etiam coniuges. 3. 34. 4. Beatitudini Sanctorum nihil officere, ſi ex odio corpora eorum malè, vel etiam nuſquam ſepeliantur. 4. 67. 12.

IN Feſto Omnium Sanctorum. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ.* Conditionem pauperum longè eſſe meliorem conditione diuitum. 1. 16. 9. ſeqq. & 1. 17. 1. ſeqq. Diuites æquè nummorum malis, ac nummis carent pauperes. 1. 19. 12. Cum fortunæ bonis auferri occaſionem peccandi. 1. 31. 8. A Monymo diuitias abijcere diſcunt, qui feliciter volunt ſapere, & ab alijs. 1. 32. 8. ſeqq. Quo modo pauperes beati poſsint dici, cùm paupertas amicis, rebus neceſſarijs, ope aliena careat, & ſit malæ educationis vitiorum q; cauſſa, & virtutum obex? 3. 1. 4. ſeqq. In quonam conſiſtat & quotuplex ſit paupertas, & tres illius claſſes. 3. 2. 2. ſeqq. Qui paupertatem putent eſſe glorioſam? 3. 2. 9. Claſsis paupertatem diuitijs præferentium. 3. 2. 8. Cur quidã voluntariam paupertatem eligant? 3. 2. 12. Longè meliorem eſſe pauperum, quàm diuitum conditionem. 3. 3. 2. ſeqq. Pauperum regia eminentia & poteſtas. 3. 10. 1. ſeq. Pauperum diuitias eſſe regnum cælorum ſpe. & re. 3. 11. 1. Regnum cælorum, quod pauperum eſſe dicitur, variè accipi. 3. 11. 1. Paupertas eſt Sponſa à DEO oblata, cuius dos regnum cælorum. 3. 14. 1.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Diuinam eſſentiam clarè à Deo viſum iri. Terræ à beatis poſſidendæ figura fuit terra benedicta, de qua 2. 16. 3. Vxores malas, patientiâ mitium maritorum, corrigi. 2. 30. 8. & 2. 35. 3. Deo eſſe noſtrarum iniuriarum vindictam relinquendam. 3. 41. 3. & 3. 41. 6.

Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. De infeliciſsima quorumdam felicitate, & feliciſsima infelicitate ac luctu. 1. 26. 6. ſeqq. Aliquos Sanctos, dum in luctu eſſent, & ipſi ægrotarent, tamen alijs ſanitatem impetraſſe. 2. 62. 15. Etiam monſtroſè miſeros, atque in luctu exiſtentes, beatitudinis & æternæ vitæ capaces eſſe. 2. 63. 1. Quo fine & fructu de vitæ huius luctu & miſerijs agatur? 4. 1. 2.

Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Eſurientes impleri bonis. 1. 17. 2. ſeqq. In mari nauigantibus aqua dulcis ſuppeditata. 1. 17. 15. mirabiles naturæ & Dei fontes. 1. 17. 16. Fames mater ſaporis, cibos condit. 1. 19. 10. De famis naturali malo. 4. 3. 1. ſeqq. De famis & ſitis naturali & ſpirituali bono. 4. 3. 1. ſeqq. Maximino fames in pœnam, Chriſtianis in gloriam ceſsit. 4. 9. 5.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſe-

misericordiam consequentur. Misericordiæ opere baptismus à peccatrice impetratus. 1. 14. 3 Misericordes pauperibus, à Deo misericordiam impetrant. 1. 42. 18. Misericordes misericordiam consequi. 3. 10. 5. seqq. Misericordiæ apud Deum retributio. 2. 43. 3. eiusce rei exempla. 3. 43. 7. Misericordes, tempore famis, misericordiam consequi. 4. 9. 8. Quinam Sancti, in quibusnam morbis sint misericordes? 4. 40. 8.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vbi quæri debeat vera felicitas? 1. 32. 15. De mundis corde, Iosepho, Susanna, & alijs heroicis animis compluribus. 2. 32. 2. seqq. Virgines ignis defendens. 2. 3. 6 seq. Virginum præmium. 2. 21. 2. seqq. Quæ virgines respuerint nuptias? 2. 46. 1. seqq. Ob mundum cor, quàm fortes & patientes extiterint? 2. 59. 9. seqq.

Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Pacis & concordiæ matrem esse paupertatem, sicut auaritiam diuitiarum. 3. 11. 8. Non sine caussa Pacificos beatos esse dictos. 3. 66. 4.

Beati, qui persecutionem patiuntur, propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Aduersæ fortunæ octo remedia. 1. 30. 5. Antonini persecutionem excitantis clades. 2. 9. 13. De ijs, qui persecutionem heroicè passi sunt. 3. 41. 2. & 3. 41. 5.

Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Dauidis, Iobi, Tobiæ, aliorumq; exempla, maledictionem & persecutionem patientium, & patientiam docentium. 1. 30. 3. seqq. S. Cæcilia per vitæ huius miserias Tiburtium docet vitã contemnere. 4. 2. 10. In quibus rebus ægroti etiam, præter morbum, patientiam debeant exercere? 4. 34. 8.

Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Animi lętitia in minoribus sępe maior, quàm in magnis. 1. 19. 11. Quanta sit futura Beatorum felicitas? 1. 32. 2. Sanctis, cælo aspecto, terram sordescere. 2. 20. 5. seqq. Vitæ præsentis miseriæ ad futuram impellunt felicitatem, quia vt post gaudia luctus, sic post luctum gaudia sequuntur, & de hoc ipso est gaudendum. 4. 2. 9. Magnitudo dolorum in morbis cum magnitudine coronæ in cælo comparanda. 4. 34. 4. seqq.

IN Festo S. Martini Episcopi. Luc. 11. *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit.* S. Martinus hîc pauper, cælũ diues ingressus, splenduit vt lucerna: cuius lucem in colẽda paupertate quanti Sancti habuerint? 3. 15. 2. seqq.

Neq; sub modio. De exteriore & abscondita Silenorum aliorumq; forma. 2. 2. 5. seq. Non quidem sub modio, sed sub clypeo suæ protectionis, Martinum posuit Deus, vt & alios Sanctos. 4. 52. 1.

Sed supra candelabrum. S. Martinus paratus deponere, vel seruare Episcopatum, sicut & illi, qui Episcopatum fugerunt, fuit lucerna supra candelabrum. 3. 22. 5. S Martinus lumen fidemq; SS. Trinitatis habuit tan-

tam, vt per illam, lepram pepulerit. 4. 40. 4.

Vt, qui ingrediũtur, lumẽ videant. Quo modo lumen S. Martini in amanda paupertate videre, & sequi possimus? 3. 15. 14.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Imaginatio oculum mẽtis perturbans, quid possit, vel non possit? 2. 51. 12. seq.

Si oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuum lucidum erit. Artificum & instrumentorum, sicut & oculorum, varietas & vsus. 2. 6. 1. Oculorum custodia in Iob, & alijs, quàm sit laudabilis? 2. 32. 7.

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Corpus sicut terra, luce pariter & fæcunditate orbatur. 2. 18. 2. Oculus nequam quàm pernicioſarum suspicionum causſa sit? 2. 36 4. seqq.

Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Sicut quidam ipso lumine obscurantur, ita alij ipsis tenebris illuminantur, & juuantur 2. 5. 12. seq.

Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Totus lucidus fuit S. Martinus qui nec mori timuit, nec viuere recusauit, more diuitum, vitam prolongare cupientiũ. 3. 9. 2. sed more pauperum morte gaudentium. 3 9. 3. Historiæ sacræ diuitum, mortem timentium. 3. 9. 4 seq.

Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Casu vsus Deus ad S. Martinum illuminandum & sanandum. 1. 25. 4. Quomodo Deus illuminauerit Sanctos suos à calumnijs obscuratos? 3. 36. 4. seqq.

IN Festo S. Catharinæ. Matth. 25. *Simile est regnum cælorum decem Virginibus.* B. V. virginibus contra inopiam & infamiam succurrit. 1. 13. 11. Matrimoniũ non damnari ab ijs, qui ei virginitatem anteponunt. 2. 24. 3.

Quæ accipientes lampades suas. A tempore Apostolorum, virgines fuisse, quæ matrimonium honorauerunt, 2. 46. 15.

Exierunt obuiam Sponso & Sponsæ. Christum sponsum alijs sponsis præferentium virginum exempla. 2. 46. 11.

Quinq; autem ex eis erant fatuæ. Fatuas esse virgines, quæ sunt Sirenibus similes, de quibus. 2. 48. 7. seq.

Et quinque prudentes. Ioſephi fidem fortitudinem, castitatẽ, mœchę tentantis flagitio illustratam esse. 2 32. 2. seqq.

Non sumpserunt oleum secum. Quomodo innocẽtia sit per ignes, velut lampades probata? 3. 36. 6. seqq.

Prudentes verò acceperunt oleũ in vasis suis cũ lãpadibus. Quid & quantum fecerint prudentes virgines, vt virginitatem seruarent? 2. 47. 10. seqq. Prudentium industriam, castimoniámque honore firmari. 3. 24. 4.

Moram autem faciente Sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Bona malis nocere, mala bonis prodesse, atque hoc pacto bona fieri, sicut somnus

somnus est ad torporem, vel quietem. 2. 2. 2. seq.

Ecce Sponsus venit, exite obuiam ei. Libenter obuiam ire Christo venienti Sanctos, & paratos mori, quia pretiosa est mors Sanctorum. 3. 9. 6. seq.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Quàm præstantes sint nuptiæ spirituales? 2. 46. 18.

Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Ad confirmationis Sacramentum Chrisma diuinitus auctum & datum. 1. 14. 8. Confirmationis Sacramentum non esse negligendum. 1. 14. 9.

Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. S. Benedictus oleum dando, oleũ accipit. 1. 17. 5. Sufficiens, non superuacaneum oleum habuerunt prudentes virgines. Vnde potest agi de varijs Sanctis feminis, quæ Christi amore pauperes fuerunt. 3. 15. 9. seqq.

Et clausa est janua. Si virginibus clauditur janua cæli, quæ fatuæ sunt, quantò magis impuris claudetur, qui etiam regna terrena per impuritatem & luxum perdiderunt? 3. 61. 3. seqq.

Domine, Domine aperi nobis. Quanti facienda sit gloria cælestis? 3. 23. 1.

Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Debere hominem continuò studio pietatis certam suam vocationem, & electionem facere, cùm omnis vitæ hora sit incerta 4. 48. 1. seqq. Quinam diem & horam ad diuinum tribunal citati scire potuerint? 1. 39. 2. seqq. De monstrosissimo partu, qui clamauit vigilandum, 2. 54. 10. In bello multos imparatos subita morte tolli, 4. 11. 9.

IN anniuersario Dedicationis Ecclesiæ. Luc. 19. *Ingressus* IESVS *perambulabat Iericho.* Quomodo in dedicationibus templorum ebrij vrbes perambulent? 1. 22. 7. De ambulantibus non cum Christo, sed in somno. 2. 51. 12. Petrus super aquas ambulauit. 3. 8. 4.

Et ecce vir, nomine Zacchæus. Zacchæos dici posse omnes ministros auaros, quorum auaritia obest dominis 1. 17. 6. & eos, qui in religiosos sunt auari. 1. 23. 2. De Zacchæis, qui sunt auaritiæ inexplebilis. 3. 4. 6. seqq. & 3. 5. 1. seqq.

Et hic erat Princeps Publicanorum, & ipse diues. De varijs Principibus, qui sicut Zacchæus, sæculo valedixerunt. 1. 26. 2 Princeps iste Pubicanorum quomodo doceat alios Principes esse clementes, cùm dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. 2. 3. 4. seq. Qui Principes sint populiuori? 3. 5. 7. Quàm miseræ conditionis sint Principes? 3. 28. 3. Principes oratione aliorum juuari, imprecatione deiuuari. 3. 64. 5.

Et quærebat videre IESVM, quis esset. Quantum profit videre, vel obsit, non videre vbique DEVM? 1. 7. 1. seqq.

Et non poterat præ turba, quia

statura pusillus erat. De S. Gregorio Turonensi statura pusillo, deq; alijs, qui deformi corpore non sunt contemnendi, etsi monstroli sint, quia sunt DEI opus. 2. 49. 4. seqq. Pusillorum gratiosa deformitas. 2. 50. 2. seqq. Quibus in locis homines pusilli nascantur? 2. 51. 2. Paruorum hominum magna virtus. 2. 62. 3. Alypianæ breuitas excusata, virtus laudata. 2. 62. 4.

Zacchæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Hospitalitas erga pauperes Christi, quàm sit DEO grata? 3. 34. 2.

Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. S. Iuliani hospitis, & Christum in pauperibus excipientis mira historia, deq; eius pœnitentia cum Zacchæo comparata. 4. 35. 8.

Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Mormorum contra Dei opera querelæ. 2. 2. 12. & 2. 3. 1. Ad malos sine bono intrari posse. 3. 46. 8. Mala, quibus homines vtiliter exercentur (vt cùm videntur à Deo ad se non diuertente negligi) non murmurationem, sed gratiarum actionem mereri. 3. 61. 1.

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus. De eleemosynæ lucro etiam temporali. 1. 13. 14. seqq. & 1. 20. 9. De eo qui per eleemosynas ab vxore diuite ditatus est. 2. 26. 5.

Et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Auaros non tam defraudare alios, quàm magnis stultitijs seipsos. 3. 6. 2. Meritò amittere diuitias, qui eis immeritò inhiant. 3. 6 3. De pecunia injustè acquisita, & vtiliter perdita. 3. 7. 9.

Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abraha. Templi adeundi fructus etiam temporalis. 1. 13. 12. Admiranda Turcæ in templum Christianum ingressi conuersio. 1. 41. 15. Ob quas causas bonis honor sit deferendus? 3. 29. 1.

Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. Diuinæ bonitatis, etiam in desperatissimos exemplum. 1. 51. 13. Quanta sit misericordia Dei, qui toties relapsis ignoscit? 3. 60. 9.

IVDICIORVM DIVINORVM QVÆ DEVS IN HOC MVNDO EXERCET TOMVS PRIMVS.

Auctore

GEORGIO STENGELIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.



Omnia iudicia eius, in conspectu meo. Psal. 17. 23.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Permissu Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HÆNLIN.

ANNO M. DC. LI.

IVDICIORVM
DIVINORVM
QVÆ
DEVS IN HOC MVNDO
EXERCET
TOMVS PRIMVS.

Auctore

GEORGIO STENGELIO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Potentiæ Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HAENLIN.

ANNO CIↃ. DC. LI.

QVID, QVOTVPLEX, ET QVAM IVSTVM VBIQVE SIT IVDICIVM DIVINVM?

CAPVT I.

Ingressus in hoc argumentum; quo ostenditur, quocunq; loco, & tempore, etiam Dominicæ Passionis, Christum, velut serpentem, in Cruce aspectum, magnam homini occasionem offerre, de diuinis Iudicijs cogitandi.

I. BAT aliquando homini Aulico interior Religiosus bonis artibus initiatus; qui, vt ab illo vrbanè excipiebatur, ita sibi censuit illum viciſſim, pietate, in eum diem, haud admodum frequenter auditâ, erudiendum; vt Palatinis moribus, mores asceticos reponeret. Multus illi erat sermo de diuinis *Iudicijs*, déque supplicijs eorum, qui, per scelera, per libidines, per vanitatem, vitâ exierunt. Aiacem credidit, Vlyssem inuenit. Nam Aulicus, cum eiuscemodi colloquijs non insuesset, omnia traxit in iocum. Venerant fortè ad locum, in quo effigies Christi Saluatoris è Cruce pendentis transeuntes inuitabat, ad cruciatus, pro humana gente, exantlatos memoria repetendos. Ibi Religiosus, cum alto suspirio, dicebat:

Ploremus ante Iudicem,
Flectamus iram Vindicem.

Aulicus, qui cachinnare magis, quàm orare didicerat, Cyclopis antro dignam hanc, aiebat, cantilenam; vt quæ *Iudicem* caneret, cum canere oporteret *Redemptorem*. Hîc Religiosus, ô quàm parum es, in Ecclesiæ, hymnis, versatus, inquit: quàm parum versatus in scientiâ Crucis? nunquam ego diuini Iudicis iram magis horresco, quàm cum Redemptorem intueor, in cruce peccata nostra luentem. Hoc dicto nexum suum fecit Aulicum, vt, toto reliquo itinere, vellet aures suas salubri curiositate saginari. Primùm igitur ostendit Religiosus, passim patibula sta-

re, ante ciuitates, in iustitiæ monimentum: fuisse autem & Christi crucem ex iustitia diuina decretam, cum ita exoluerit, quod nos deliqueramus. Postea, vt hospitem suum inescaret, ex Æliano, quod sequitur, legit, & disputatione, quam nos, hoc volumine deducimus, exposuit.

II. Ælian. l. 10. de animal. cap. 31. *Aspidis genus vnum Thermuthin Ægyptij nominant. Hanc sacram esse aiunt, & summa religione colunt. Itaq; eà Isidis simulachra, tanquam regio quodã diademate, coronant. Eandem in perniciem hominum natam esse negant. Enimuerò comminiscuntur, eam se à probis abstinere: contra verò impys necem afferre. Quod si ita est, Iustitiam Vniuersi dixeris hanc feram honorare, vt quæ acrimonia intellectus bonum à malo discernat, & tanquam illius ministra ac vindex in malos animaduertat. Addunt alij, Isidem sceleratissimis hominum eam immittere. Hanc quoq; solam in hoc genere immortalem esse Ægyptij referunt, qui aspidum genus in sedecim species diuidunt. In sacris igitur ædibus ad vnumquemq; angulum subterranea sacella exædificant, vbi sanè Thermutidi habitanti bubulum adipem edendũ, interuallis quibusdam, obijciunt.*

III. Act. 28. 3. Eiusdem propemodum sententiæ fuisse Melitensis insulæ Barbaros incolas, indicat D. Lucas. Nam ibi, *cum congregasset Paulus aliquantam sarmentorum multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset, inuasit manum eius. Vt verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtiq; homicida est homo hic, qui, cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.*

IV. Virg. lib. 3. Æn. Hoc Barbarorum, vti & Ægyptiorum iudicium planè erat barbarum, rude, atque à rectâ ratione alienum. Nullum enim, inter probos improbósque, bestiæ suâ naturâ ingenioúe nouerunt discrimen. Quòd si illæ, aut quæcunque alia *Pestis & ira Deûm Stygijs sese extulit vndis*, aliquando, ad hominum scelera vindicanda, à Deo immittuntur; non tanquam suppedanei quidam iudices, qui caussam cognoscant, sed, velut supremi Numinis ac iustitiæ ministri, aguntur potiùs, quàm agunt, famulantur, & tanquã instrumenta duntaxat punientis Dei adhibentur: vt videre fuit, in *ignitis serpentibus*, qui, vt dentem dente plecterent, murmuratores, in deserto, momorderunt. Num. 21. 6.

V. Imò & hoc genus animantum, & quadrupedes belluæ, & volatici dracones, & furentes Harpyiæ, non rarò etiam inuadunt

inno-

innocentes, sicut D. Paulo contigit, atq; ijs euenit, qui ad theatrales bestias damnati vitam & sanguinem, pro Christo, effuderunt. Quamuis enim, non sine prodigioso innocentiæ testimonio, vrsi, tigrides, ac leones ante multorum Sanctorum pedes procumbere visi sint; passus est tamen etiam quàm plurimos insignes pietate viros Deus, in exemplum constantiæ, in signum diuinæ charitatis omnia vincentis, in maiorem æternę gloriæ coronam, tanquam religionis suæ opimas victimas, ab eiusćemodi belluis immanissimè lacerari. Temerarium est igitur, à casibus conscię̃tias iudicare; nec certum impietatis argumentum, sanie viperina perijsse. Actor. 28.3.

VI.

Alius quidam, atq; ille sanè sacer *serpens* est, qui non Isidis simulachrum, sed sublime & Propheticum lignum Moysis saluberrimè coronauit; quem meritò *in perniciem hominum natum esse negaueris*; nempe ille, qui de seipso dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem, in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis.* Io. 3. 14.

VII.

Aspidem comminiscebantur Ægyptij à probis abstinere, & idem de vipera Melitenses falsò crediderunt, cum de Paulo dicerent: *Vltio* (Δίκη, *Iustitia*, quam Hesiodus Deam facit Iouis & Themidis, alij Astræi, & Hemeræ, vel Auroræ filiam) *non sinit eum viuere.* Hic, hic noster, sine peccato, vt ille Moysis sine veneno, erga pios verè innoxius, immò salutifer *serpens*, eos, qui se vitæ tradunt sceleratæ, non sinit esse inultos. Quippe eâ est prudentiâ, eâ perspicuitate intellectus, vt exactissimè *bonum à malo discernat*; eâ potestate, & æquitate, vt secundùm ipsius iustitiæ diuinæ Leges, *in malos animaduertat.* Qua de causâ cum vates dixisset: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*; mox addidit: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: idque non tantùm in vitijs, quorum capax non est, eliminandis, virtutéque perfectissimè exercendâ; sed etiam in cæteris mortalibus vitio virtutiúe deditis acerrimè dijudicandis. *Neque enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hesiod. in Ergis. Isaiæ. 7. 14. Ioan. 5. 22.

VIII.

Quod si ergo Ægyptij Thermuthidi detulerunt honorem sacellorum, Numini falso, & vel hinc in superstitionem pernicioso; quid nos facere par est nostro pijs tam salutari, impijs tam metuendo serpenti? qui, ne in iudicium rei adduceremur, se ipsum passus est tolli in crucem, vt nos sanguinis sui theriacâ, à venena-

to & pestifero *antiqui serpentis* morsu persanaret? Gratissimum illi erit memoriæ nostræ sacellum, quin & vtilissimum. Facilè Iudicium euadunt, qui Iudicis nunquam obliuiscuntur.

IX. Multiplex porrò Iudicium est, quod Christus dedit. Primum in seipso, vt dixi, quia nemo hominum illo certiùs sciuit *reprobare malum & eligere bonum.* S. Theresa voto se obstrinxit, semper id facere, quod melius esse iudicaret. Idem noui & alios feciſſe, qui tamen iudicio errare potuerunt, atque id melius existimare, quod reuera melius non esset. In Christo error non habuit locum; ita igitur malum sciuit reprobare, vt nunquam non eligeret bonum, idque ipsum, quod elegerat, meritò melius esse censeretur. Maria semel *optimam partem elegisse* dicitur; Christus *omnia benè*, immò optimè *fecit*. Quo in æquissimo Iudicio, paucos habet imitatores.

Luc. 10. 42.
Marc. 7. 37.

X. Alterum Iudicium est, inter terram bonam & malam. *In Iudicium ego in hunc mundum veni*, inquit, *vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Id est, qui se putant videre, & medicum non quærunt, in suâ cæcitate permaneant. Et istam discretionem scilicet vocauit iudicium, cum dixit: In Iudicium ego in hunc mundum veni*, &c. ait D. Augustinus.

Io. 9. 39.

S. Aug. tract 44. in Ioan.

XI. Iudicat itaq; & discernit Christus probos pariter improbósque: probos, dum illis volentibus lumen affert, quo videant Iudicem, non numaria, sed incorrupta Iudicia constituentem; caueántque offendere terribilem Mundi Prætorem præuaricatores certissimè damnaturum; improbos autem, &, cum nihil rerum diuinarum sciant intelligántque, omnia tamen se scire arbitrantes, dum ipsâ suâ cæcitate eos damnat. *Siquidem qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem Iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim opera eorum mala.* Hoc secundum Dei hominis est Iudicium, quod iudicium simul indiciúmque potest vocari: nam eo Iudicio indicauit, qui nam filij Dei, & filij lucis existant. Oriente sole, noctuæ & vespertiliones, illico diffugiunt, & in sua se se latibula recondunt. Non sustinent enim clarum diem oculi vitiosi. Aquilæ autem, quia putres & malignos oculos non habent, sed acie sunt firmâ, in ipsum etiam meridianũ solem fixissimè intuentur. Quemadmodum igitur lux, inter aquilas & noctuas, quale sit discrimen, osten-

Ioan. 3. 18.

ostendit; ita diuinum lumen, quod humani generis Reparator Mundo intulit, haud obscurè patefecit, qui nam diuinorum sint mysteriorum capaces; aut qui, talparum instar, non sinant se se illuminari. Vitrum, chrystallum, aquas limpidas, gemmas, & pretiosos lapillos radij lucis peruadunt ac illustrant; si in corpus opacum, si in saxum incidant, superficie tantùm tenus recipiuntur, nunquam admittuntur in interiora. Sic *Dei docibiles* omnes sinus, totum pectus pandunt, cum Deum, vel de Deo audiunt, aut legunt: filij autem huius seculi, quia obdurato sunt corde, oculos claudunt, ne videant; aures, sicut aspides surdæ, obdurant, ne audiant diuinam veritatem; aut si ad aures eorum salutaris sermo allabitur, cor obserant, vt non possit penetrare. Hinc non credunt, hinc iam sunt iudicati. Io. 6. 45.

XII. Præter hæc, duo Iudicia, alia tibi duo Iudicia in mentem à Seruatore reuocantur: quem, siue iudicatum aspicias, siue cogites iudicantem, meritò cõtremiscas. Quippe duo sunt aduentus Christi, in primò venit iudicandus ab hominibus, in altero, veniet homines iudicaturus. Quare in primo aduentu Iudicij nos commonefecit, Iudicium dirissimum patiendo. Quisquis enim audit, aut legit, Deum Patrem proprio suo Filio non peperciſſe, sed in illo aliena peccata, tam exquisitis supplicijs castigauisse, facilè, si sibi sapit, ratiocinatur, cum Christo; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. 31.

XIII. Ex ipsa igitur Cruce, de qua, non Epidaurius, sed Elysius & cælestis iste *serpens* sanat sanari cupientes, inuadit mordétque eos, qui *dilexerunt* huc vsque *magis tenebras, quàm lucem*, &, quasi dormientium aures velleret, iubet tandem miseros euigilare Endymiones; præcipitium suum non videntibus clamat, vt incipiant oculos aperire, *ac nouissima prouidere*. Quin, sicut vipera etiam Apostoli digitum innoxio dente pupugit, ita in ligno suspensus Seruator purioris quoque vitæ mortales, ipsis cruciatibus suis, amantissimè & dulcissimè erudit, vt diuina Iudicia, de suo supplicio, discant æstimare. Deut. 32. 29.

XIV. Nihil ergo in tempus, aut locum peccabit, neque extra oleas, quod aiunt, vagabitur, quisquis, vel ipso Passionis Dominicæ tempore, vel vbicunque Redemptorem nostrum in cruce pendentem aspiciens, Iudicia Dei, diuinæq; trutinæ examen, aut sibi, aut lectoribus, auditoribusue suis, in mentem reuocabit. Sic reuoca-

runt plurimi, cum legerent, ad vnicam Christi, in horto, vocem,
Ioan. 18.5. *Ego sum*, armatos, & tota cohorte venientes milites, velut fulmine tactos, abijsse retrorsum, & quasi exanimes in terrã & tergum cecidisse. *Vbi nunc*, ait S. Augustinus: *militum cohors, & ministri*
S. Augustin. tract. 112. in Ioan. *Principum & Pharisæorum? Vbi terror & munimen armorũ? Nempe vna vox dicentis: Ego sum, tantam turbam odijs ferocem, telisque terribilẽ, sine telo vllo percussit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego sum, dicit, & impios deiicit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui morituros hoc potuit?* Similia B. Leo, D. Gregorius
S. Leo serm. 14. de Pass. S. Greg. l. 17. Mor. c. 19. & alij, hoc loco, meditati sunt, qui, ne ante mysteria discederent, vt prouerbio vetatur, in vno mysterio, mysteria plura considerauerunt.

XV.

Quin ipse etiam Dominus voluit, & initio, & in ipso Passionis suæ feruore, Iudicij cælestis meminisse. *Nunc iudicium est mun-*
Ioan. 12. 31. Rupert. l. 10. *di*, inquit, *nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* In quæ verba Rupertus ita scribit. *Quod ergo iudicium mundi, & quæ est eiectio Principis huius mundi? Vtiq; præsens Passio ipsius, qui hæc loquitur: Domini nostri Iesu Christi; iudicium est mundi, id est, saluatio discernens à reprobis vniuersitatem electorum, qui fuerunt ab initio seculi, vsq; ad horam eiusdem Passionis; eiectio verò Principis huius mundi, qui principatum tenet in amatoribus huius mundi, reconciliatio est Gentilium electorũ, in quibus diabolus per idololatriam inhabitabat ante sæpe dictã clarificationem eiusdem Domini nostri IESV Christi.* Est igitur ipsa Christi passio Iudicium quoddam, quo damnatus est diabolus, & sententia pro electis, hoc est, passione Domini bene vtentibus, pronunciata. Enimuerò, cum Christ⁹ morti propinquissimus, sub ipso onere crucis, anhelaret, iussit homines Iudicij supremi meminisse, nec tam quę ipse, quàm quę ipsi passuri erant, deplorare. *Sequebatur*
Luc. 23. 27. *illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos.* Quare, exemplo Christi, agemus, si vel ipsius Passionis tempore; vel imagine Christi in crucem dati, vbicunque locorum aspectã, dicamus: nunc le-

gumi-

gumínum messis est, nunc de diuinis Iudicijs cogitemus, illius regulæ memores: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* aut quomodo tractabitur lupus, si sic mactatur innocens Agnus? Ipsa ad hoc nos hortatur Ecclesia, dum in Quadragesima quotidie orat; *Ploremus ante Iudicem, Flectamus iram vindicem.* Quod non in Quadragesima tantùm, sed toto anno, totâ vitâ, est orandum.

CAPVT II.

De Nomine, & diuersis generibus Iudiciorum; quidq; diuinus oculus significet.

I. Nomine ordiamur, inde ad rem progressuri, & quæ sit Iudiciorum diuersitas, intellecturi sumus. Itaque *Iudico*, si Grammaticos consulas, est idem, quod *ius dico*; vnde *Iudicium*, *dictio Iuris*, quæ mente fieri potest, aut insuper etiam voce. Apud Dialecticos & Philosophos ceteros: *Iudicium vis est animi, qua, quod se nobis ostendit, in eo, quid persequendum, quidq; declinandum ac fugiendum, aut nos ipsos, aut alios docendo definimus, verisq; falsa redarguimus.* Apud Aristotelem in Politicis, *Iudicium* est *iudicatio* Iudicis, iudicem agentis, vel ius dicentis. Quare est actus, id est, executio iustitiæ. Quod etiam D. Thomas alijque Theologi, suo calculo, approbauerunt.

Aristot. 1. Polit. S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 1.

II. Apud Græcos, κρίνω, idem est, quod *secerno, discerno,* aut *dirimo,* vt habet Thesauri auctor. Ex hac significatione ait idem, ortam aliam, quâ ponitur, pro *iudicare*; quamuis fæpe in libris diuinis strictiùs vsurpetur, pro *damnare.*

III. Quocirca S. Basilius obseruat, tribus modis, in Scripturâ, hoc verbum, *iudicare*, intelligi. Primùm pro actu iustitiæ, iuxta quam iudex iudicat, vel probando, vel reprobando; vt *iudicare* sit, ferre sententiam tam approbationis, quàm reprobationis. Sic accipitur Ps. 7. *Dominus iudicat populos.* Et Isa. 11. *Non secundùm visionem oculorum iudicabit.* Isthac significatione vox communis est: non enim solùm iudicatur innocens, quando eius innocentia declaratur, & liberatur à vexatione iniusta, recuperatq; quod suum est; sed etiam iudicatur nocens, cum damnatur; vt adeò, hoc sensu, *iudicari,* sit bonorum & malorum.

Secun-

IV. Secundò, *iudicare* sumitur, pro priore quodam actu iustitiæ, vt nihil aliud sit, quàm discutere, examinare, discernere. Quo sensu accipit Basilius illud Psal. 25. *Iudica me, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Atq; hoc, *iudicium* precedere solet sententiam. Antè enim Iudex iudicat discutiendo caussam, quàm ferendo sententiam. Tertiò accipitur *iudicare*, pro certo actu iustitiæ, nempe vt idem sit, quod *damnare*, seu condemnatoriam in aliquem sententiam ferre. Quo sensu dicitur Psal. 5. *Iudica eos, Deus.* & Ioan. 5. *Qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis, resurgent.

V. In Deo, cuius esse, est intelligere, discernendi, discutiendi, dijudicandi, & ipsam etiam Ierusalem, seu cætum piorum, ipsos Angelos, in lucernis scrutandi summa vis reperitur. In Deo, in quo iniquitas nulla esse potest, non solùm vis est cognoscendi, quid probandum improbandúmque sit, sed etiam maxima est iustitia, quæ sententiam fert, ostenditque, quid, in vnaquaque re, seu præmio, seu supplicio dignum existat. Neque semper expectat, supremum illum Iudicij vltimi diem, sed in hac etiam vita quotidie decernit, quid singulis mortalibus, vel in pœnam, vel in præmium, vel in præmij promerendi occasionem, conuenientissimè permittat contingere. In Deo deniq; est potestas & mos, reos *iudicandi*, hoc est, vel ad temporalem, vel ad sempiternam pœnam, siue in hac, siue in altera vita damnandi; vt adeò non tantùm Iudex sit futurus, cum alios cœlo, alios orco ascribet; sed etiam quotidie, dum Mundum istum, per varios casus, gubernat.

VI. Vide Eman. Sa in indice Scripturæ. Cum igitur *viui & mortui*, probi & improbi à Numine iudicentur, & reddatur vnicuique secundùm opera sua; itémque, cum in hoc ipso Mundo, quem condidit, gubernando, & rectissimè discutiendo iudicet, & iustissimè bona vel mala permittendo agat Deus, nos *Iudicij* nomen, tam pro sapientissimâ & æquissimâ eius, in discernendis rebus, pronuntiandáque sententiâ, quâ p æquissima, in plectendo & remunerando Mundo, iustitiæ executione, accipiemus, ostendemúsque, supremum, seu Gubernatorẽ, seu Iudicem, & à *Iudicio*, & à iustitia laudabilem vbique, & metuendum; cum & rectè sentiat, & rectè faciat, siue in hac, siue in altera vita; siue dum malos pœnis addicit, siue dum probos præmijs afficit. *Propter vicinitatem* ait S. Augustinus: *significationis, alterum pro altero poni potest, vel iudicium pro iustitia, vel iustitia pro iudicio*

S. August. in Psal. 105.

dicio: tamen si propriè dicantur, aliquid interesse non dubito: vt iudicium custodire dicatur, qui rectè iudicat: iustitiam verò facere, qui rectè agit. Rectum est *Iudicium* Dei, quia rectè iudicat, dum rectè sentit, & dum rectè agit. Nobis itaque *Iudicij* nomen & sensum, & actum significabit. Sensum, rectus est enim Dominus, quia apud se rectè æstimat: actum, quia itidem rectus est Dominus, siue cum in nos ius dicendo sententiam fert, siue cum ius dixit, & re ipsa bonos à malis, electos à damnatis secernit; & denique, cum malos malis, bonos bonis afficit; quin etiam tum, cum bonis mala, & malis bona submittit. Nunquā enim eius prouidentia, in sui dispositione, fallitur; nunquam oculus malè collimat; nunquam voluntas à scopo aberrat æquitatis. *Ipse Dominus Deus noster: in vniuersâ terrâ iudicia eius.* Hæc de *Iudicij* nomine ac descriptione: nunc de diuersis Iudiciorum classibus agamus. Psal. 104. 7.

VII. Si à *Iudicibus* discriminemus *Iudicia*, quæ subimus, triplex est iudicium, ab Apostolo indigitatum; vnum quod ab alijs, alterum quod à nobismetipsis, tertium quod à Deo sustinemus. Ita enim loquitur: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die* (sæpe enim fallunt hæc iudicia, neque adeò nocere possunt) *sed neq; me ipsum iudico* (nemo siquidem sui bonus est iudex, cum itidem decipi possit, & non omnia prouideat, quæ sunt à iudicante discutienda) *qui autem iudicat me, Dominus est.* Hominum igitur iudicia regula sunt Lesbia, plumbi, immò ceræ instar flectuntur & curuantur. At *iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa:* nihil in illis scenicum, nihil simulatum aut dissimulatum, nihil ignorantia, aut affectu cæcum. De his mihi sermo erit, ante oculos mortalium semper ponendis; ex quibus patebit, quoties hominum *iudicia* errent ipsis *iudicijs* diuinis temerè iudicandis. 1. Cor. 4. 3. Psal. 18. 10.

VIII. Quòd, si, non iam iudicantem, qui idem est Deus, sed eos, qui iudicandi sunt, aspicias, iterum triplicia reperiuntur: Sunt enim *iudicia* viuentium, morientium, resurgentium; seu iudicia, quibus vtitur Deus ad homines in hac vita gubernandos; & iudicia, quibus morienti cuique decernit tristem aut lætam æternitatem; quæ *Iudicia particularia* vocant; denique est *Iudicium*, quod appellant *vniuersale*, in quo animas, vnà cum corporibus, coram tota omnium hominum Angelorumq; multitudine, supremus incorruptúsque Iudex iudicio strictissimo subijciet, senten-

tiámque vltimam, atque immutabilem approbationis, vel improbationis, palàm, pronunciaturus est.

IX. In Thalmudicis traditionibus habetur, tria extitisse, apud Hebræos tribunalia. Primum Triumuirûm, in quo de minutissimis disceptaretur causîis. Secundum, in quo viginti tres iudices de causîis maioribus itemque capitalibus cognoscebant. Tertium, in quo vnus & septuaginta lecti viri de rebus grauissimis maximéque publicis, vt de pace, de bello, de falso Propheta, de summo Sacerdote iudicauerunt. Primum, aiunt, vocatum fuisse *iudicium*, secundum *synedrion*, seu *consessum*, voce à Græcis vsurpatâ; tertium, *magnum consessum*, sicut Galli *magnum regis consilium* appellant. Pari modo triplex est Dei tribunal. Primum SS. Trinitatis solius, quasi Triumuirûm, in quo prorsus etiam de minutissimis disceptatur causîis, ad extremum vsque quadrantem; ad passerem vsque in tecto pipientem, quin immo vsque ad capillum, non sine consilio, de vllius capite cadentem. Nihil quippe adeò in mundo est paruum, nihil adeò vile, quod sine æquissimo Dei iudicio cõtingat. Si enim *capilli capitis* nostri *omnes numerati sunt*; si neque vnus passerculus *est in obliuione, coràm Deo*; quantò magis homines ipsi numerabuntur; & sub cura gubernationéque Numinis erunt? Maximus igitur Deus, de minimis etiam curat; quod mortalis Prætor non facit. Atque hoc *Iudicium regiminis* ad solam SS. Trinitatem, velut ad Triumuiros, pertinet. Quidquid enim in Mundo geritur, diuinissimæ hæ tres personæ ab æterno prospexerunt, & in intimâ sapientiæ curia solæ disposuerunt. Alterum illud iudicium, seu *synedrion* ad plures pertinebat, nec in eo nisi grauia negotia tractabantur, cui *Iudicium PARTICVLARE* respondet. Nã huic non solus Deus adest, sed intersunt etiam Angeli alijque non rarò Sancti, & in eo agitur de re vtique magni momenti; nempe de acquirenda, vel perdenda hominis æternâ salute. Tertium deniq; *Iudicium* est, cui plurimi & intersunt, & præsunt, in quo de rebus & maximis, & maximè publicis dijudicatur. Huic simile est diuinum illud & vniuersale *Iudicium*, in quo, pleno concilio, & Apostoli, & alij Sancti, vna cum Deo, de præmijs bonorum, supplicijsque malorum iudicabunt.

Vide Ioan. Maldon. in c. 5 Matth.

Luc. 12, 7.

X. De his tribus *Iudiciorum* generibus, diuersis voluminibus constitui agere; nullius enim consideratio suâ caret vtilitate. Primùm autem de primò & quidem paulo copiosiùs disputabo, vt perspectis quibuscunque & qualibuscunque, etiam à condito or-

be

be, Iudicijs cælestibus discamus dicere: *Memor fui Iudiciorum tuorum à seculo, Domine, & consolatus sum:* deinde, vt etiam hinc Deum timeamus, & veneremur, cuius *oculum* nemo fugit. Siquidem, teste Lactantio, *Nemo iudicium Dei potest nec viuus effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & viuos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus.* Nec *de sede potentes* tantùm *deponit*, quando è vita eos eijcit, sed in ipsâ etiam vitâ viuos, dum gubernat, iudicat; dum iudicat, alios in throno, alios collocat infimo; quos iure infimos possis appellare. Hoc Psaltes cecinit, cum dixit: *Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.* Ad hoc de cælo in terram prospicit, ad hoc *oculi* illius, *in omni loco, contemplantur bonos & malos.*

Psal. 118. Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 20. Psal. 102. Prou. 15. 3.

XI.

Hac ipsâ de causa, vt testatur Cyrillus Alexandrinus, apud Ægyptios, *Virga oculata* Dei hieroglyphicum fuit. Quod etiam Pierius Valerianus affirmat; nec Sacræ litteræ tacuerunt. *Feci sti malum in oculis Domini,* ait Samuel ad Saul. Et Salomon: *Omnes viæ hominis patent oculis eius: Spirituum ponderator est Dominus.* Nullis tenebris fallitur; nullis angulis excluditur; adamantina claustra peruadit visu; aheneos muros penetrat acie oculorum; ipsos spiritus grauitate carentes, ponderat, & in statera appendit. Et Ecclesiasticus: *Est homo marcidus,* inquit, *egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi.*

Cyrill. Alex. 9. contr. Iulian. Pier. lib. 33. 1. Reg. 15. 19 Prou. 16. 2. Eccl. 11, 13.

XII.

Argo Pastori centum oculos Poëtę dederunt, vt cælum exprimerent stellis oculatum; cælo autem tam oculato quis, nisi cæli Conditor, in oculos nostros mittitur? Si enim, apud Ezechielem, animal plenum oculis antè & retro, pastoris vigilantiam significat; si, quemadmodum Antiochus loquitur, *oportet, vt Pastor totus sit mens, oculúsque; virgam, seu baculum gestet oculatum & vigilantem, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum reiecula fiat, & indigna, quæ recipiatur à Domino, per oscitantiam;* quantò magis pastor totius Vniuersi debebit totus esse mens, oculúsque, vt totum peruideat Vniuersum? Nec videt tantùm, sed etiam omnibus omnia prouidet, sed disponit, sed regit, sed administrat æquissimè. Atque hoc est, quod *oculo,* quod *Iudicio* illius hîc indigitamus.

Ezech. 1. 18. & c. 10. 12. Antioch. hom. 3.

CAPVT III.

Idem esse, iudicare, quod gubernare. Et quàm incomprehensibilia sint iudicia consiliaq; Dei Mundum gubernantis?

I. IVdicium etiam, pro gubernatione accipitur, quia præcipua actio gubernantis, est, *iudicare*. Ipsam gubernationem Mundi *Iudicium* quoddam esse, luculentè docent sacri codices, in quibus ipsis, haud rarò idem est, *iudicare*, quod *gubernare*. Hoc sensu Othoniel filius Iudic. 3. 10. Cenez, frater Caleb minor dicitur, *Israël iudicauisse*; itémque *Debbora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore:* Iudic. 4. 4. nec non & Phua, qui *Iudicauit Israëlem viginti & tribus annis*. Rursúmque Iudicauit *Iephte Galaadites Israël sex annis: & mortuus est, ac* Iudic. 10. 2. Iudic. 12. 7. *sepultus in ciuitate sua Galaad. Post hunc iudicauit Israël Abesan de Bethlehem*, &c. *Cui successit Ahialon Zabulonites*; *& iudicauit Israël decem annis*. Ac vniuersim *Iudices* idem erant, *quod Duces*, quorũ itidem officium erat *iudicare*, sicut *Iudicum* antea *regnare*. Quid est enim regnare? nisi, póstquam in animo iudicatum est, quid bonum malumúe, aut Reip. aut nobis, aut subditis, id ipsum verbis statuere, & ius dicere, ac iustitiam, cum summa authoritate potestatéque, exercere, atque ita bona & bonos, à malis, secernere? 2. Reg. 15. 2. Hinc & Absalom, cum regnare vellet, cæpit in portis iudicare. Præcipuus enim actus regnantis, est actus iudicantis.

II. Quare etiam rectissimè regimen Dei, Iudicium Dei potest appellari; neque enim regeret Mundum, nisi iudicaret, quid prosit Mundo, aut nisi inter homines discerneret: & decerneret. Quod Sarai, Gen. 16. 5. petens ad Abraham, dixit: *Iudicet Dominus inter me & te*, non vtique iudicio illo, quod Abrahæ demum à morte, aut extremo illo Mundi die erat subeundum; sed iudicio, quo vtitur in hominibus gubernandis. Vocatur autem Iudicium, cum sit regimen sanè prudentissimum & iustissimum, tametsi sæpe æquitas, aut ratio illius ab hominibus ignoretur. Eapropter Hugo in Psal. 103. inter varias *Abyssi* acceptationes, ait: *Abyssum* trallatitio sensu etiam significare, *Sacrarum Scripturarum diuinorumq; Iudiciorum* Psal. 35. *profunditatem*; & regius Psaltes ait: *Iudicia tua abyssus multa*. Sicut enim

enim Oceani fundum visu contingere non possunt nauigantes, ita nimis imbecillis est humana acies, non potest diuinorum consiliorum Iudiciorúmque profunditatem penetrare. Illud ergo tunc habet homo, vt cum D. Apostolo Paulo clamet: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut, quis consiliarius eius fuit? O altitudo*, inquit, *sapientiæ & scientiæ Dei!* scientiæ nimirum, qua omnia futura distinctissimè nouit, antè, quàm fiant, nobísque innotescant: sapientiæ autem, aut prudentiæ, qua disponit vniuersa, mirabili via, stupendo modo, iustissima ratione; quibus decreuit primò Gentes negligere, Iudæos verò eligere; postea autem Iudæos reiecit, & Gentes traxit; postremò denique & Gentes & Iudæos conuocabit. *Altitudo*, hîc *profunditatem* (Græcis Βάθος) significat, quæ ab altitudine non differt, nisi ratione; distantia enim à superiore termino dicitur altitudo; ab inferiore, profunditas. Qua de caussa Hilarius in Ps. 139. legit: *O profundum sapientiæ & scientiæ Dei!* Sicut ergo neque maximas quidem stellas, ob altitudinem cæli, in sua iusta magnitudine videmus; neq; ipsas ingentes rupes, sub aquis, ob profunditatem maris intuemur; ita Iudicia sapientiæ & scientiæ Dei, tanquam *abyssum* multam mentis acie non penetramus. Rom. 11. 33.

III. Excellentia splendoris, non sinit humanos oculos Solem rimari; & vllum sit ingenij acumen, quod possit iudicia exhaurire illius, *qui lucem habitat inaccessibilem? Incomprehensibilia sunt Iudicia* scientiæ eius, quæ de singulis hominibus, facere mente decreuit; *inuestigabiles viæ sapientiæ* eius, seu modi, per quos deducit ad effectum, quæ facienda statuit; quæque *nemo planè comprehendit, nemo iustè reprehendit*, vt S. Augustinus loquitur l. 1. de ciuit. Quid enim reprehendit, quod non comprehendit? Quid carpit, quod nõ cernit? Aquilarum est ista perspicere, nos creaturæ omnes, noctuæ sumus. Et hoc ipso magnitudinem Numinis prædicamus, cum nostram fatemur paruitatem. Sicut qui in vado hæret, alueum fluminis ingredi formidans, aquarum se vereri profunda testatur. Satis laudat diuinam gubernationem, iudiciáque summi regiminis, qui, ijs conspectis, sed non intellectis, exclamat: O alta profunditas, & profunda altitudo! Quod enim non capimus, admiramur; atque illo nos inferiores agnoscimus, quod altum vocamus. Hinc reuerenter Iudicia Dei *occulta*, *inscrutabilia*, *alta* appellantur.

I V. Occulto, sed vtique iusto Dei Iudicio factum est, vt ex vterinis duobus germanis, immò & gemellis, Iacob diligeretur, Esau odio haberetur. Occulto, & imperuestigabili ab hominibus, antequam declararetur, Iudicio factum est, vt Ioseph fratribus præponendus, & auxilium futurus, à fratribus caperetur, venderetúrque. Quis enim, cum in cisternam iret, assequi potuisset, Deum decreuisse, eum, sic, & tali modo viáque, extollere? Et tamen eum Deus per captiuitatem prouexit ad libertatem, & ad summum dominiũ per ipsam seruitutem. Occulto, &, indubiè, iusto Dei Iudicio factum est, vt Petri custodes permissi sint mortem luere, qui Paulum autem custodierat, eius vita, quam iam iam sibi erepturus erat, seruaretur, animusq; ad vitam spiritualem traduceretur. Nam quando Petrus ab Angelo è carcere fuit eductus; *facta die erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes cum requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci*; ad supplicium scilicet, vt inquit Montanus, & quidem ad suffocationem, vt scribit Petrus Alexandrinus. Ast, alio tempore, quando Paulo & Sila orante, *subitò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris*, & statim aperirentur omnia ostia, & vniuersorum vincula soluerentur, *expergefactus custos carceris, & videns ianuas apertas carceris*, ait Lucas, *euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna dicens: Nihil tibi male feceris, vniuersi enim hîc sumus. Petitóq; lumine introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes; & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Quod discrimen est inter Petri & Pauli custodes, vt, vtroque libertate fugiendi potito, isti seruentur, illi trucidentur? An iniustus est Deus? an tunc negligenter Mundum administrauit, quando illos innoxios permisit occidi? Nequaquam. Non enim iniusta sunt, quorum iustitia nos latet: satis est Deo cognita esse; cuius hoc ipso intelligitur infinita esse *altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ*, quia sapientiam scientiámque humanam tantopere excellit. Et vel idcirco vult Deus aliquando statuere in vno, quod noluit in altero, ratione prorsus nulla nobis alia apparente, vt hæc ipsa nobis ratio sufficiat, consilij illius sapientiam esse omni ratione humana superiorem.

Gen. 37.

Act. 12. 18.

Montan. in cit. loc. Petr. Alex. Can. 13. apud Theod. Balsamonem.

Act. 16. 27.

V. Quemadmodum, apud Lucam, duo homines cupiebant se Christo adiungere, & cum eo semper permanere, quos tamen amb-

bos

bos Christus à se dimisit, & rem suam sibi habere iussit, quando vnus voluit *redire in domum suam, & narrare, quanta sibi fecisset Deus*; alteri autem dixit: *se non habere, vbi caput suum reclinaret.* E diuerso duorum aliorum excusationem, quam prætexebant, ne statim ipsum sequerentur, non admisit; neque passus est, vnum illorum *primum ire, & sepelire Patrem suum*, neque alterum *ire domum*, vt de suis rebus disponeret, sed vtrumque iussit, statim & è vestigio sequi. Cur in his quatuor Christus tam contraria voluit? Ipse scit. *Quis consiliarius eius fuit?* satis est, ipsum voluisse, cuius nunquam est sine ratione voluntas: etiamsi vnum assumit, alterum relinquit, vtrumque bene facit. Nimirum ille est, *qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi: & Iudicia sua non manifestauit eis.* Multi enim, sicut Iudicia Dei damnare audent, ita animi cæcitate & ipsas contemnerent, aut riderent causas iudiciorum, si eis manifestarentur. Rectiùs ergo illis causæ celantur; quæ nec electis omnibus patefiunt; quia maxima est perfectio hominis, & gloria Dei ingens, iusta Iudicia illius prædicare, quantumuis ratio illorum lateat: ideò occulta vocantur. Incognita est causa; sed non incognitus est, qui fecit, aut permisit. Non potest esse iniustum, quod is facit, qui semper est iustus. Non est Domini, vt seruo de negotijs suis reddat rationem; vbi in hero prudentia est, debet in famulo esse reuerentia: nec subditum decet esse superioris sui Aristarchum. Ita boni quoque hominis est, nullam Creatoris Gubernatorisque sui, quem infinitis modis bonum esse credit, actionem malam iudicare. Non es, ô homo, iudicis tui iudex: *non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum.* Ne itaq; iudicio humano diuinum, hoc est, dubio certum, aut malo bonum iudices; ades parumper, & inter illos te colloca, qui meditatione sua *ascendunt vsq; ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos* diuinorum Iudiciorum, quorum cum profunditatem vident, admirabile nomen Domini, prædicant, exclamántque: *Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi*; ades, inquam, mi homo, perpende, quàm multas grauésque ob causas, diuina sapientia scientiáq; omnem sapientiam & scientiam superet & hominum & Angelorum.

Luc. 8. 39. & cap. 9. 58. & 59. 60. 62.

Psal. 147. 8.

Matth. 10. 24.

Ps. 106. 26.

Psal. 148. 7.

1. Omnis scientia creata est limitata, certóque cognoscendi modo, certis rebus cognoscendis circumscripta; & ita quidem, vt semper aliquid ei supersit, aut de obiecto, aut de obiecti claritate

VI.

tate cognoscendum. At diuina scientia terminis caret: cognoscit enim Deus omnia præterita, quæ fuêre; omnia præsentia, quæ sunt; omnia futura, quæcunque pòst alijs erunt in annis, & in tota æternitate. Enimuerò cognoscit etiam quæ futura non sunt, fieri tamẽ possent, si ipse vellet; cognoscit seipsum, & totam diuinitatem penetrat, quasi pelagus omnium scientiarum; cognoscit hæc omnia simul, & intimè, & quantum cognosci possunt, infinita perspicuitate.

VII. 2. Itaque creaturæ non modò pauciora, sed etiam obscuriùs, atq; imperfectiùs cognoscunt, quę siue abstractiuâ, siue intuitiuâ scientiâ cognoscunt; Deus omnia cognoscit perfectissimè, omníque modo, quo cognosci possunt, & adeò omnia lucidissimè comprehendit.

VIII. 3. Quando homo aliquid etiam ex suis caussis cognoscit, per quasdam duntaxat imagines speciésque mentis, aut per effectus tantummodo, tanquam per vestigia, illud cognoscit; Deus verò tali medio non indiget; sed per suammet essentiam, quasi, per clarissimùm speculum omnia intuetur. Continet enim in se eminentiâ quadam, quidquid in vllâ creaturâ perfectionis formaliter, vt scholæ aiunt, reperitur. Sicut ergo se ipsum, ita & illa in se conspicit. Quod de nobis dici nõ potest, qui res per imaginem earum intuendo, aut per effecta tantùm indagamus. Quare, sicut aliud est feram, verbi gratia ceruam, per vestigia, aliud in se ipsâ, & aliud hominem nomine, aliud facie cognoscere, ita longè excellentiùs cognoscit Deus res, quàm homo.

IX. 4. Homo sæpe longâ meditatione, multóque studio indiget ad rem cognoscendam, Deus autem in ictu oculi, in instanti, & vno mentis intuitu simul omnia comprehendit. Hinc nunquam potest esse præceps, sicut homo, qui ante tempus iudicat, & sæpe non satis sibi sumit temporis ad cogitandum, aut de re quapiam deliberandum.

X. 5. Incerta est cognitio humana, cum res frequenter soleant mutari, & aliter alitérque euenire: at Deus rerum omnium etiam contingentium, atque in se ipsis incertarum, certissimam habet ac infallibilem cognitionem.

XI. 6. Cognitio hominis temporanea est, & cœpit; Deus verò ab æterno omnia nouit; scientia proinde illius, vt nunquam cœpit, ita nunquam desinet; est enim ita instantanea, vt simul sit sempiter-

piterna, & vsque duret; cùm homo ea quæ audiuit, legit, non rarò sequenti die obliuiscatur penitus, aut certè non penitus recordetur; quando autem nascitur, velut tabula quædam rasa, inanis scientiæ, plenus ignorantiæ in mundum prodeat.

7. Cognitio hominis mutatur, iam enim minor, iam maior est; iam crescit, iam decrescit; iam fixa, iam instabilis est: at Dei scientia est inuariabilis ac vniformis, eademque semper; nec proficiens, nec deficiens. Quocirca nunquam dicit: Nescii: Non satis intellexi, sicut tamen frequenter homines loqui audimus. XII.

8. Nostra cognitio neque est vna, neque potest simul exerceri; at Dei scientia est & simplex, & vna, vno quippe & simplicissimo intelligendi actu & seipsum, & cetera omnia cognoscit. XIII.

9. Quia creaturæ cognitio est aduentitia, & homini accidit; Dei autem cognitio, est ipsa substantia Dei, immò Deus ipse; cui non aduenit scientia, sed semper adfuit, & est ipsa entitas Dei. Vnum ergo in Deo est esse, & scire: in homine aliud est esse, aliud, est scire.

10. Cognitio Dei est idea, & causa omnium rerum quæ fiũt; estque insuper quasi fons lucis, & lux immensa, quæ se ipsam ad Angelos & homines, & omnia animalia diffundit, facítque cognosci & cognoscere omnia, quæ aut cognoscunt, aut cognoscuntur. Hominis scientia est quædam tantùm stilla istius lucis, aut scintilla. Itaque quod stilla est ad Oceanum, & scintilla ad immensum ignem comparata, hoc est nostra scientia, si cum infinitâ Dei sapientia conferatur. XIV.

An non igitur plus quàm noctuæ, immò talpæ sumus, si nos adhuc cum Aquilina illa acie; aut tenebræ, si cum illo fulgentissimo sole comparamus? Et miramur, immò indignamur, si quarundam rerum, quæ in orbe terrarum diuino nutu fiunt, causas non perspicimus? iámque, in Iudicijs suis ac Mundi gubernatione, Deum errare, & nos melius facturos, si penes nos esset gubernatio, arbitramur? O quantum, non Deus, sed nos ipsi, sic iudicando erramus! Nunquam id facturi, si aut nostræ mentis exiguitatem, aut diuinæ sapientiæ immensos profundósque thesauros agnosceremus. Qualem enim sibi, obsecro, Deum imaginatur, qui putat eum, in Mundo gubernando, hallucinari? nempe homine ipso, vt qui eum censere possit, inferiorem. Ergo Deum non- XV.

putat esse Deum, qui Deum sic iudicat. Et tamen sunt, qui Deo leges ponere, & quid facere debeat, præscribere, quódque fecit, impatienter ferre, damnare, carpere audent.

XVI. Quàm meritò istos tales reprehensores Deus reprehendit? sicut ille paterfamilias murmuratores, qui dicebant: *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æstus?* Quid, ô miseri, dicitis? Pares fecit, an ideò malè fecit? vt sic faceret, causſam habuit, vos non habuistis, vt murmuraretis. Iustus fuit ille, qui vobis, precio, quod pepigerat, persoluto,, iniuriam non fecit: vos iniusti, qui bonitatem illius liberalitatémq; in ceteros, & oculo nequam aspexistis, & proteruè iudicauistis. Longè proteruiores sunt, qui Deum ipsum audent lingua impetere, & Iudicia eius sanctissima, impiâ temeritate suâ contaminare.

Matth 20.12

XVII. Multorum euentuum causſam nequit homo plenè assequi, multorum nec attingit diuinando; nec expedit temerè illam scrutari, ne maiestatis scrutator, opprimatur à gloria. In cœlum harum quoque rerum cognitio reseruatur. Qui in gaudium Domini intrauerit, intrabit etiam in potentias Domini. Quò & Dauid sibi scientiam occultorum Iudiciorū Dei reseruauit, eorum causas etiam post multum laborem non assecutus. *Exiſtimabam*, ait, *vt cognoscerem hoc, labor est ante me: Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum.* Sæpe enim, quod in vita latet, etiã in morte hominis apparet. In cælo autem semper Dei consilia, tanquam in Sanctuario, manifestantur. In terris illud accipe consilium, immò documentum: *Noli discutere opera Altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti.*

Psal. 72. 16.

Thom. de Kemp lib. 3. de Imitat. Christi. c. 4.

CAPVT IV.

Licitum, & vtile esse, vt subinde diuinorum Iudiciorum causſas indagemus.

I. QVanquam Iudicia Dei occulta, immò inscrutabilia sint, atque hominum intelligentiam multis parasangis excedant, neque magis ab humanæ mentis angustiâ, quàm immensum pelagus ab exigua scrobe (quod D. Augustino ostensum fertur) queant comprehendi, rectissiméque faci-

faciant, qui ea suspiciunt, & admirantur, atque, etiam caussis eorum latentibus, approbant; longè sanè rectiùs, quàm olim Pythagoræ auditores, quibus satis fuit, audiuisse, αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*, (quę enim ratio illum intellectum satiabit, cui nō sufficit, Deum aliquid dixisse, aut fecisse?) tamen tanta est Conditoris nostri bonitas, tanta æquitas Gubernatoris, vt non rarò sapientiæ suæ thesauros homini quoque patefaciat, & quodammodo rationem reddat suæ gubernationis.

II. Tamensi enim legamus: *Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* non tantùm qui daret consilium Deo, sed etiam qui conscius consiliorum & arcanorum diuinorū esset: tamē etiam alibi legimus, Deum dixisse: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Qua de caussa D. Bernardus ita loquitur: *Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? non equidem nullus, sed rarus. Soli sanè qui veraciter dicere possunt: Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis; væ Mundo a strepitu. Clamat in populis ijsdem Vnigenitus, tanquam magni consilij Angelus: Qui habet aures audiendi, audiat. Et quoniam dignos non inuenit sensus, quibus Patris committat arcanum, texit, parabolas turbis; vt audientes non audiant, & videntes non intelligant. Cæterùm amici seorsim audiunt: Vobis datum est nosse mysterium regnum Dei. Quibus & loquitur: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Qui sunt hi? Vtiq; quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Magnum secretumq; innotuit consilium: nouit Dominus, qui sunt eius: sed quod notum erat Dei, manifestatum est hominibus. Nec alios sanè dignatus est tanti participatione mysterij, nisi eos ipsos, quos suos præsciuit & prædestinauit.*

Rom. 11. 34. Gen. 18. 17. D. Bern. epist. 107.

III. Inter quos prima fuit Deipara; quæ, vt sciret, quid sibi in negotio Dominicæ Incarnationis agendum, aut quæ suæ futuræ essent partes, non de diuina potentia, aut de veritate eorum, quæ ab Angelo dicta fuerant, dubitans, audito admirabili nuncio ac salute, dixit: *Quomodo fiet istud?* aut, vt S. Ambrosius & Beda exponunt, admirans & cupiens scire modum, quo id futurum esset, sine virginitatis, aut voti violatione. Addidit enim: *Quoniam virum non cognosco.* Indagauit ergo secretissimum arcanum Dei, sed quia sanctissimo animo indagauit, meruit erudiri ab Angelo dicēte: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit*

Luc. 1. 34.

tibi; vt & sanctus sanguis tuus calefiat ac foueatur in partum, & virginitas tua protegatur.

IV. Hoc exemplo constat, gratum esse Numini, si homines, non curiositate, sed pietate ducti, ad laudes eius celebrandas, rationem indagent, inquirántque consilia, modos, & causſas Mundi gubernandi. Sic enim non offenduntur ignorantiâ æquitatis; sic non offendunt temeritate: sic sapientiam, sic bonitatem illius, sic malitiam suam agnoscunt. *Custodiui*, ait Dauid, *vias Domini: nec impiè gessi à Deo meo.* Cur? *Quoniam omnia Iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.* Et alio loco: *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius: Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsq; nunc pronunciabo mirabilia tua*, &c. *Potentiam tuam & iustitiam, Deus vsq; in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus, quis similis tibi?* Iustitia ergo in omnibus eius Iudicijs reperitur, si rectè quæritur; inuenitur & potentia, & occasio *magnalia* Dei extollendi; sed in primis *custoditur* homo, ne se *impiè gerat à Deo suo*, & contra illum murmuret, aut *iustitias* illius *à se repellat*. Facilè enim à se, cum indignatione, repellit calamitatem & immissa aduersa, qui ea non agnoscit esse pœnas aut *iustitias Dei*. Qui verò in potentias Domini viásque omnipotentis intrat, quidquid patiatur, semper ait: *Culpam pœna premit comes*. Aut potiùs: *Priusquam humiliarer, ego deliqui.*

Pſal. 17.

Pſal. 70. 16.

Pſal. 118.

V. Nemo tam tardi ingenij aut albæ mentis est, qui, si quid errauit, nonillico inueniat excusationem. Deus nunquam in opere suo errat, nec errare potest, & ibi nullam laudis causſam inuenimus? immò inuenimus, quæ accusemus? ô iniquos æstimatores! Horologij faber, nullam operi suo rotam, nullum rotæ denticulum superuacuum inserit, & tu, ô humuncio, existimas summum rerum artificem, & cœli terræque fabricatorem aliquid in hoc Vniuerso, sine caussâ moliri? Nescis, cur hæc rota hoc, & illa alio loco currat in horologio, neque tamen artem carpis; & carpere audes Deum, quod nescias, cur hoc, aut illud permittat? Dominus est, non obstringitur tibi causam dicere, & tamen, quia bonus est Dominus, dicet sæpe, si modestè, indages; sæpe vltrò docebit.

VI. Audi parabolam illius: *Exijt, qui seminat, seminare semen suum: &, dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum*

Luc. 8. 5.

est,

est, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonã: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Audiuerunt, non intellexerunt. Quid non intellexerunt? multa. Nam cur aliud in viam, aliud in petram, aliud in spinas, aliud in bonæ indolis cecidit glebam? Coloni mens fuit, omnia in bonum solum spargere: at Deus causſas habuit, ob quas permitteret etiam aliò semen labi. Sed causſas illi nesciuerunt. Quid aues comederent, si nihil caderet secus viam? & tamen Pater cœlestis etiam illas debet pascere. Quod si aliud in petram cecidit, petræ quoque debuerunt viresccre, vt ornarentur, & caluitium suum, velut capillis honestarent, quamuis caduis & fluxis. Quod si quædam conculcata, quædam spinis sunt suffocata, quid mirum? ostendit Deus, se permittere posse, vt pereant, ita enim etiam ostendit, se illis non indigere: vides rationes, quas nesciuit seminator, habuit Creator? Sed quorsum ea proferrentur, ne Apostoli quidem capere potuerunt. rogarunt Christum, & sensum parabolæ audierunt: non rogassent, si statim intellexissent. Alij quoque multi, intelligerent multa Dei Iudicia, si aut sua delicta scrutari, aut alta Dei consilia meditari, aut Deum interrogare vellent.

VII.

Tametsi enim diuinæ prouidentiæ consilia adeò sint profunda, vt nemo, præter ipsum Deum, possit omnem eorum rationem ex se inuenire; vnde Deus ipse Iobo, teste S. Gregorio, hanc quæstionem proponit: *Nuncquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terram?* sæpissime tamen vel monente conscientia, vel per cogitationem diuinitus immissam, Deus arcanas consilij sui causſas reuelat. *Quis*, ait, S. Gregorius, *intelligat, cur aliquis, qui vacare, & in quiete viuere appetit, innumeris negotijs implicetur; alius negotijs implicare desideret, & coactus vacet; alius celsitudinẽ & perfectionem benè viuendi appetere & vult, & valet; alius nec vult, nec valet; alius vult, & non valet; alius valet, & non vult.* Hæc sæpe homines nõ intelligunt, sed intelligere incipiunt, postquam os Domini consuluerunt. Tunc enim vident, cur tam multi homines secus viam intentionis suæ cadant, nec ad propositum sibi scopum peruenire sinantur. Enimuerò, etiam si scopus optimus est, sæpe tamen, ob occultas causſas, à Deo impeditur. Nobilissimo genere oriundus, sed virtute

Iob. 38. 33.

S. Greg. lib. 29. Mor. cap. vlt.

tute ac vitæ sanctitate nobilior ille Abbas Romualdus, cuius dies festus die 7. Februarij celebratur, *Martyrij cupiditate flagrauit, cuius causſa, dum in Pannoniam proficiſcitur, morbo, quo afflictabatur cum progrederetur, leuabatur, cũ recederet, reuerti cogitur.* Quid martyrio sanctius? en vel vi morbi ab eo reuocat Deus Romualdum, cuius vtique melior erat obedientia, quam victima. Nec Diuo Franciſco Assiſio, nec Diuo Franciſco Xauerio, martyrium sitientiſſimè appetenti conceſſum est martyrium. Quia diuisiones sunt gratiarum. Non omnes vult esse Apostolos, non omnes Martyres; quia placent Deo etiam Confessores. Sic pulchrior est Ecclesia, hac circumdata varietate; sicut & pratum amœniùs viret quod non aureis tantùm, sed etiam argenteis, & purpureis, & smaragdinis floribus distinguitur. Hæc multi non intelligunt, quia non sapiunt ea, quæ spiritus sunt. Quare & Christus cum de diuersis Iudicijs Corozain & Tyri, Bethsaidæ & Sidonis, Capharnaitarum, &
Matth. 11. 25. Sodomitarum disseruisset, addidit: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.*

VIII. Huc ergo animum aduertite, qui miramini, multos iuuenes & puellas optare statum perpetuæ virginitatis, & tamen à parentibus, aut cognatis cogi ad coniugium ineundum? Deus nouit, cur hoc permittat. Forsitan in statu cælibatus, in omnem vitæ licentiam turpitudinémque prolaberentur. Forsitan vellent sine vxore suâ viuere, vt possent vxores habere aliorum, tantóque liberiùs vagari, per omnes illecebrarum occasiones. Multæ statuunt, Catharinas imitari, & Agnetes, sed postquam honestissima coniugia repudiauerunt, Helenas & Thaides imitantur. Nimirum periclitantur vehementer, quotquot volunt Virgines manere, & manere simul extra cœnobia custodiámque virginitatis. An
1. Cor. 7. 9. non igitur *melius est nubere, quàm vri?* An non melius, cum marito, quàm cum adultero habitare? coniugio astringi, quàm libertate noxiâ, potiri, vt dicatur: *Vritur infelix Dido, totaq; vagatur Vrbe furens.* Quod de petulantibus illis puellis dico, quæ nullo custode, solæ viuunt, nõ iam in horrida eremo, sed in populosis vrbibus: quarũ multas audiuimus voluisse separatas ac seorsim degere, non vt, remotis arbitris, homines fugerent, sed vt dæmones quærerent; & in cubiculum intrarent non oraturæ, sed fornicaturæ. Hoc, ne multis contingeret, coniugijs honestissimis impediuit; qui alioqui

qui multas alias impulit, vt, nobilissimis nuptijs contemtis, multò nobiliorem virginitatis statum, vel apud parentes & cognatos domi, vel in cœnobijs amplecterentur.

IX. Alij ergò sunt, qui noctes diésque de nuptijs, & sponsis, & matrimonijs cogitant; & aliæ, quæ nihil nisi maritos, & maritorum opera loquuntur; & tamen ob vnicam rugam, aut verrucam spretæ, coguntur perpetuò vitam ducere continentem. Itaque inuitæ fiunt Vestales, ignem æternum alentes. Quid ergò? num Deum arguent crudelitatis? nequaquam. Olim summi hoc ipsum tormentum suum beneficij loco habebunt, Deóque gratias dicent. Nam si illi vxores duxissent, si istę maritis nupsissent, in quæ non mala incidissent? quas non Clytæmnestras? quos non Egysthos habuissent? quæ non adulteria, homicidia, sacrilegia perpetrauissent? ad quæ venena, ad quas non fraudes, se, coniugem, & liberos pepulissent; iam his omnibus liberantur, & Deo vacant, æternas cum Agno nuptias celebraturæ.

X. Quidam religiosi esse desiderant, sed viam non habent, nec aditum reperiunt, vt Mundum relinquant. Cur? quia religiosis fortasse essent onerosi, religioni dedecori; in Mundo vero, cũ religiosorum instar viuant, omnibus fiunt in exemplum; & quod alij non ausi fuissent dicere, pro Ecclesia, pro Fide, pro Deo, in cõcilijs non verentur vltrò mouere; quæ alij pro iustitia, nunquam ausi fuissent facere, in Rebuspublicis, animosè, felicitérque aggrediuntur. Sic Religionem malo liberant, & statũ secularem bono augent.

XI. Sunt qui cuperent extra Religionem, in aulâ, in militiâ, in Repub. vitam traducere; sed coguntur quodammodo, vel paupertate, vel amicorum imperio & authoritate, vel alio euentu Mundum deserere, & in religionem intrare. Cur? Dæmones fuissent, si in Mundo mansissent. Vel sic vix domantur, dum coarctantur. Quid fecissent, sine fræno, qui sic viuunt in capistro? Videbis multos alioqui bonos viros ambire officium splendidum, procari dignitatem excelsam, nec tamen consequi. Cur? in alto superbirent; ex alto altiùs caderent; in humili loco humiles manent, vt in cœlo exaltentur. Enimuerò qui priuati miracula faciunt; elati tota regna prodidissent. Alius, qui eandem dignitatem vt anguem horret, qui vt hydram fugit, qui totis viribus detrectat, vi eò rapitur, vt in magistratu vir esse ostendatur, vt talentum suum non sepeliat, vt restauret, quod ambitiosi perdiderunt.

Quin

Quin sæpe duo eandem vel ambiunt vel fugiunt dignitatem, æquè digni, æquè indigni; & tamen alter assumitur, alter relinquitur, Deo vnius assumendi, alterius relinquendi iustissimas causas habente. Sæpe enim per dignum subductum, & indignum officio datum punit merentes. Sæpe & dignos hoc officio, sed reos alio peccato plectit.

XII. Has omnes, aliásque complures dictæ gubernationis causas poterit vel dicere, vel excogitare, quisquis vult bonus esse æstimator diuinorum Iudiciorum. Sed hæc talia & nos alibi tractauimus, & copiosè persequitur Firmianus Lactantius, Victor Vticensis, Saluianus, alij. Satis igitur est, ostendisse, si per semem, homo intelligatur, nõ cecidisse illum secus viam, quam affectabat ad coniugium, ad officium, ad dignitatem, sine sapienti consilio Numinis; aut si cecidit in petram, citò de fortunis suis eradicatus, id ipsum à Deo proueniisse; vt inops saluetur, qui cum diuitijs perijsset. Sicut & si quis in medias diuitiarum spinas coniectus hæret vndique implicatus aculeis & adhamatus. Magno etiam id consilio facit Deus; vult eum, iam antè flammas meritum, concupiscentijs suis permittere, vt ignis, velut in spinis, semper magis & magis exardescat, & vrat saucium. Sic vel solicitudine, curis & stimulis acerrimis excitatus potest resipiscere; vel Infernum, quo dignus est, etiam in hac vita, cogitur inchoare, in suum supplicium, in aliorum exemplum. Maneat ergo, *inuentibilia & incomprehensibilia esse Iudicia Dei*, ab ijs, quos sua duritia excæcat; inuestigari autem posse, si pectore sincero inuestigentur, quod ille fecit, qui dixit: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*: qui etiam paulo post subiecit: *Diriget mansuetos in Iudicio: docebit mites vias suas.*

Lactan. & Christian. Institut. de Ira Dei. Saluian. in volum. de diu. prouid. Et Victor Vticensis.

Ita legit Tertullian. contr. Hermogenem.

Psal. 24. 4.

XIII. Quoniam igitur Dominus *dirigit mansuetos in Iudicio, & docet mites vias suas*, illos scilicet, qui non iracundè, non superbè ipsa Iudicia diuina in ius rapiunt; sed qui de Deo sentiunt in bonitate; ingrediamur, cum modestia, atque humilitate *in Sanctuarium Dei*; &, quæ capere possumus, reuerenter, &, cum gratiarum actione capiamus: quæ autem sensum captúmque nostrum superant, magna animi submissione veneremur, &, cum Seraphinis faciem eius velantes, dicamus: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, illam non capiente, *confortata est*, *& non potero ad eam.* Si enim illa admiremur, quæ vel intelligentiam, vel experiẽtiam

Isa. 6. 2.

Psal. 138.

tiam nostram superant, aut quæ experimur, longè maiora à nobis reperiri, quàm putaueramus, cur illam infinitam Iudiciorum Dei abyssum inuenientes non adstupescamus? aut cur intellectum nostrum in obsequium fidei non subijciamus? Credimus Deum, quem non videmus, credimus mysterium SS. Trinitatis, quod ratione humana non comprehendimus; cur non credamus, iustum esse, etiam si, cur aliquid faciat iustissimus Deus, ignoremus? Ignorari multa vult, vt, etiam in administratione Mundi, atque insperatis casibus, intellectu nostro diuinæ sapientiæ subiugato, credamus, à summa illa mente omnia & suauiter disponi, & sapiẽter gubernari. Facilè autem erit nobis nostram cogitationem infinitæ illi sapientiæ submittere, si cogitemus, omnem omnium hominum atque Angelorum scientiam & intelligentiam, quasi nihil, aut velut tenuem vmbram ad solem esse, si cum illa luce inaccessibili comparetur. Et par est vtique, vt existimemus, Conditorem nostrum, multitudine, sublimitate, firmitate, claritate, perfectionéque cognitionis nobis esse superiorem.

XIV.

Huic tamen humilitati nihil officit, dicere: *Illumina oculos meos*; itémque: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, non vt curiosè sciamus, aut de nostra sapientia gloriemur; quæ coram Deo est, velut arenula ad immensum montem, aut gutta ad Oceanum; sed vt Deum laudemus, in operibus suis, vt admiremur, vt timeamus, vt adoremus, eiusque Iudicia, hoc est, sapientiam, potentiam, iustitiam, sanctitatem & miserationes toti Mundo prædicemus. Etsi enim *caligo diuina*, vt S. Dionysius loquitur, *est inaccessibilis, in qua habitare dicitur Deus: inuisibilis propter eximiam charitatem, & inaccessibilis, propter immensam luminis copiam*; & Deum *nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; attamen id tantùm fit, si quis eum videre scrutarique velit suæ naturæ viribus, & acie, immò hebetudine humana ac naturali, quemadmodum quondam Anomœi præsumebant. Quod si verò quis Dei manum aduocet, flagitetq; diuinitus illuminari; tum sanè potest naturam quisque suam ingenijque naturalis vires, cælesti gratia, eleuatus transcendere. Grauis est aqua, grauior terra, vtrumque elementum, naturâ sua, deorsum tendit; sed si calor à sole eis immittatur, aqua euaporata, & terra exhalata in sublime ascendit, ipsâ naturâ suâ superior facta. Sic hominem eleuat gratia. Accipit enim non solùm, per lumen gloriæ, in cælo, sed etiam, per fidei radios, in terris, vim quandam

Pſal. 12.
Pſal. 42.
S. Dionyſ. epiſt. 5. ad Dorotheũ.
1. Tim. 6. 16.

visiuam & oculum supernaturalem, quo supernaturalia mysteria videre, ac, velut aquila, ipsam possit solis flagrantiam sustinere. Talem vim petebat Propheta, cum diceret: *Illumina oculos meos:* Psal. 12. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: Bonus es tu: & in bonitate* Psal. 42. *tua, doce me iustificationes tuas:* Psal. 118. cum quo vtique fas est, etiam alij idem lumen petere, eoq; impetrato, tanquam perspicilijs quibusdam cælestibus, cælestis sapientiæ consilia tutò indagare: neque enim tunc altiora se quærit; quæreret, si sine altiore lumine tentaret. Sic Icarus cecidit, Dædalus volauit; hic quia intra suos se limites tenuit; ille, quia altiùs iuit, quàm cera posset ferre.

CAPVT V.

Scientiæ, & Iustitiæ fundamenta, quibus omnium diuinorum Iudiciorum æquitas explicatur.

I. IN Cedreno legimus, vanum illum & impium Chosroem Persarum Regem, vt sua se se, velut ventosus Æolus, in aula iactaret, statuisse sibi, in palatio, eiuscemodi simulachrum. Machina erat, in qua cœli effigies exprimebatur. Hinc Sol ab ortu purpureum Mundo diem inferebat: exaduersum ei loco Luna horizonte iam semitecta occidebat. Inferiore parte fabricæ, ad dexteram quidem, clarissimis cælum stellis lucebat; ad sinistram autem, sublato siderum aspectu, imbres fluere, præmicare fulgura, & quodammodo tonitrua mugire videbantur. Neque astrorum tantùm fulgor, in cælestibus illis sphæris, sed etiam omnium orbium cõuersiones, cum sceptrigeris Angelis astantibus, admirabili spectaculo, se se oculis intuentium offerebant. In medio ipse rex Chosroës, quasi quidam humanus Deus eminens, spectabat omnia, &, ne quid spectanti deesset, se quoque ipsum magnificè circumspiciebat. Talia sibi Persica vanitas finxit, in palatio; arroganter imitata id, quod verè glorioséque Deus fecit, in Mundo. Ligneum illud erat opus, sicut & Archimedis sphæra vitreum, vtrumque mimicum, sed significatione non ineruditum. Cedren. ad an. Heraclij 13.

II. Etenim hoc planè pacto, Vniuersi author, non inani iactantiâ, sed, ad æuiternam opificis gloriam, Mundum hunc fabricauit. Sunt in eo sidera, fulget Sol, nitet Luna, micant stellæ, ornantur immen-

immensi orbes, & incredibili celeritate rotantur cælestia corpora; neque est vllus in tanta vertigine error. Totum firmamentum dici potest ornamentum; & operis ibi venustas, est operantis, maiestas. Inferiora autem Mundi miras habent vicissitudines, varióſque motus: ibi tenebrę, cum luce, alternant vices; ibi diem nox sepelit; ibi frigidæ hyemes; ibi torridæ æstates: neque cadunt tantùm nimbi, niues, grandines; neque fulgura duntaxat, in terrorem, exsplendescunt; neque fulmina modò obliquis & improuisis ictibus, per aërem, iaciuntur; neque solæ procellæ existunt in mari; neque tellus solùm vel tremore quassatur, vel vexatur tempestate: vnde in articulum, vel etiam in nihilum eunt, ruri, segetes, & rusticorum boũmque labor irritus euadit; suscitantur incendia, in ædibus; procurantur naufragia, in scopulis; oppidorum & vrbium cadauera proiecta iacere conspiciuntur: sed etiam innumeræ pestes Erebi emergunt: putrescit terra; grassantur morbi; dominantur febres, transiliunt limites suos alueisque se effundunt flumina; excurrunt è siluis fame væsanientes lupi; ipsi se se mutuò homines verbis & ferro lacerant; vendit frater fratrem; filius thorum parentis violat; sororem cædit; auum occidit; contemnit ciuis magistratum; prodit vilissimus seruus suum Principem: denique qui nequior est, potior est. Hæc talia, dum quidam impius oculo nequam aspexit, in sacrilegam illam vocem erupit: *Credimus esse Deos?* non enim Deos tantùm multos negare voluit, quod rectè feciſſet, sed illo de grege fuit, quorum vnum describens Dauid ait: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Psal. 52.1. Quid ergo dixit pius? *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit: vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemtorum.* Psal.101.20. itemque: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Itaque inter hæc omnia Deus Angelorum sceptrigerorum, seu Intelligentiarum, per quas Mundum regit, choro stipatus, eminet. Neque enim tantùm humanarum rerum cursus reciprocásque negotiorum vicissitudines velut sub pedibus labi finit lætus, securus, & sui vbique similis; sed omnia videt, omnia sapientissimè, iustissimè moderatur, *portans omnia verbo virtutis suæ*, Hebr. 1.3. sicut currus Ezechielis, quem vndique Cherubim stipauerunt. Ezech. 1. Si enim Elias *currus Israel & auriga eius* vocabatur, cur non & Deus, qui totum 4.Reg.2.12. Mundum portat, & omnes creaturas sustentat, alioquin in nihi-

lum ſuum relapſuras? Quæ, vt fixiſſimè & cum ſolatio, creda mus, credendum eſt neceſſariò, eum eſſe ſummè ſapientem, ſummè iuſtum, ſummè ſanctum, ſummè miſericordem.

III. Hac autem in re, vt paulo ſupra meminimus, non vno omnes ore loquuntur. Impiorum vox eſt: *Quid enim nouit Deus, & quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Chriſtus, ipſa Dei ſapientia erat; *Nos autem prædicamus Chriſtum*, ait Paulus: *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Has gentes, & illos impios imitantur, qui ſe putant, à nullo vindice, conſpici, cum peccant; aut quibus non rectè videtur Deus iudicare, cum hoc, aut illud, permittit. Ipſe Adam, poſtquam ſe reum agnouit, magis reum fecit, quando & ſe latere, & oculis omnia videntis ſubduci poſſe putauit. Nam *cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradiſi.* Huic errori alium addidit, quando culpam in ipſum Conditorem reiecit, dum in Euam reiecit, à Conditore datam, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Hac ipſa ratione multi, vt ſe excuſent, non verentur accuſare ſuum Conditorem. Quàm crebri enim dicunt: Cur Deus mihi dedit naturam tam bilioſam? cur tam iracundam? cur me fecit tam pronum ad libidines? cur ſub Veneris, non ſub Iouis ſtella voluit naſci? & ſexcenta talia. Quin & ſunt linguæ, quas ita loqui audias: Quid ad Deum pertinet, de me cogitare? non vacat illi, alia habet negotia; nimis eſt remotus. Saltem plurimi ſunt, qui non cogitent, ſe videri; aut aliter facturos ſe profiteantur, ſi ipſi ad Mundi clauum ſederent. Denique, apud Epicureum, ſi quis eſt Deus (dubitat enim) talis eſt Deus, qui

Iob. 22.

1. Cor. 1. 23.

Geneſ. 3. 8.

Lucret.

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.

IV. Probiore fundamento probi nituntur. Audi ſapientem Eccleſiaſticum: *Non dicas: à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar; quæ eſt anima mea in tam immenſa creatura? Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebuntur, montes ſimul & colles, & fundamenta terræ, cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur.* Ac alius ait: *ſapientiæ eius non eſt numerus.* Nimirum,

Eccl. 16. 16.

Pſal. 146.

rum, *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Ite- Prou. 15. 3.
rumq; , *Omnes viæ hominis patent oculis eius , spirituum ponderator est* Prou. 16. 2.
Dominus. Et de Christo ait Apostolus : *Discretor* (Græcè κριτικὸς Hebr. 4. 12.
iudex & censor) *est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Sexcenta hoc genus afferri Macrob.
possent. Scilicet hic est ille oculus sceptro innixus , hic Osiris, lib. 1. cap. 21.
seu oculatus baculus Ægyptiorum : hæc virga vigilans , quam vidit Ieremias , qua & dominium , & omniscientia Dei significabatur: hoc est, quod Dominus super Cherubim propitiatorium, quasi sedem & thronum curulem Dei , sustinentes sedere dicitur : indicatur enim , Dominum sapientissimos spiritus Angelicos longe scientiâ transcendere, eósque velut pedibus premere. Quin & Græci θεὸν ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι. hoc est , à videndo nominant. Si enim sapiens est, necesse est, illum res non iam tantùm per experientiam vel per effectus, vel per caussas propinquas & creatas, sed per summas & primas etiam caussas scire. Prima autem caussa est ipse. In- S. Dionys.
se ipso igitur , tanquam in suprema caussa efficiente, & fine, & ex- de diuin.
emplari, omnia cognoscit. Tam clarè ergo omnia cetera cognos- nom. cap. 7.
cit, quàm clarè cognoscit seipsum ; alioqui cognitio illius non esset diuina , nec infinitæ perfectionis ; neque esset ex vi essentiæ diuinæ.

V.

Quòd si quilibet opifex operis sui notitiam exactam habet , cur Deus non perspiceret omnia, quæ in mundo existunt vsque ad minutissima quæque, siue partium, siue colorum, siue figurarum, siue conditionum, siue motuum & actionum , cum , præterquam quòd in se omnia peruideat , etiam omnibus intimè sit præsens ? Nullum igitur hominis opus, nullum verbum , nulla cogitatio illum latet ; audit & susurros , & susurrones : intuetur omnia cordium arcana, penetrat ipsos fines & intentiones ; nulla illi potest occultari fraus , nulla ab illo ignorari mortalium virtus. Omnia hæc ab æterno, & in æternum nouit, nosce .

VI.

Quocirca meritò animus peccatoribus compaueſcit, videntibus, se, vbicunque, & quandocunque peccant, deprehendi. Hinc sudant, & quasi in Laconicâ cellâ, æstuât, quoties aliquid ausi sunt. Virtutis autem amatores , aquam sibi affundi sentiunt , quoties cogitant, labores suos non esse, ante Deum, in obliuione, ob quos ab ingratis hominibus sæpe paruam mercedem reportant. Ille *vocat ea, quæ non sunt , tanquam ea, quæ sunt* ; si *vocat* , id est , consp- Rom. 4. 17.

cit illa, quæ non sunt (vt è prædictionibus ac vaticinijs illius est manifestum) siue longè post futura sint, siue etiam nunquam sint extitura; quanto euidentius est, eum videre illa, quæ facta

Eccl.23.29. sunt? Quod clarè indicatur illis verbis: *Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sicut & post perfectum respicit omnia.* Hoc certissimum Fidei fundamentum qui ponit & credit, nunquam dicet, Deum aliquid ignorauisse, aut per ignorantiam, vel mala malè permisisse, vel non bene bona, sine remuneratione, reliquisse.

VII. Alterum igitur iam dehinc iaciendum est fundamentum iustitiæ, vt constet, Deum, sicut in ratione veri, atque intellectu errare non potest, ita, in ratione boni, ac voluntate quoque etiam non posse hallucinari. Et quidem, si calculum bene ponamus, licet in Deo non possit esse debitum strictè, seu illa obligatio ad alterum, qui perfectè sit alter, & non in possessione seu dominio Dei, cum ille sit Dominus omnium; potest tamen esse, & est in eo illa iustitia, qua operi congrua merces redditur, etiamsi is, qui reddit, non sit iustitiæ, sed solius fidelitatis nexu obligatus; & siue is, cui redditur, sit sui iuris, siue in potestate reddentis. Nimirum vulgò, & communi loquendi modo, cum aliquem iustum vocamus, *non tam spectatur ius obligationis, quàm æqualitas & congruentia rerum, quam iustitia efficit.* Ab hac iustitia Deus passim, & verè laudatur: ab hac vocatur *iustus Iudex*, quia integerrimè reddit vnicuique, secundum opera sua, statutam scilicet mercedem; bonis præmia, malis supplicia, iuxta exigentiam & æqualitatem meritorum. *Iustitia* enim *Dei celebratur, vt omnibus ea, quæ meritis cuiusq; conueniunt, distribuens*, ait S. Dionysius Areopagita.

Leon. Lest. Lib. 13. de diu. perfect. cap. 2.

S. Dionys. de diuin. nominibus. cap 8.

VIII. Triplex iustitia, *commutatiua, distributiua, & vindicatiua*, ab Aristotele, est assignata. Itaque si, non iam obligationem iustitiæ, aut debitum perfectum ac absolutum (quale in Deo absolutissimũ omnium rerum dominium habente quodque à se abalienare, non potest, nequit esse) sed condignitatem aspiciamus, & *commutatiua*, & *distributiua*, & *vindicatiua* iustitia Deum ornat, maiorque est, quàm, vt ab vllo mortali ingenio possit explicari.

IX. Commutatiua eius iustitia mortalibus innotescit, quia, inter meritum & præmium constituit æqualitatem, dum cuique ipsius meritis congruentem tribuit mercedem. De hac loquens ait A-

2. Tim. 4. 8. postolus: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi*

hi

hi Dominus, *in illa die, iustus Iudex*; vbi *coronam iustitiæ*, id est, *ex iustitia debitam* nominat. Ille scilicet est paterfamilias, qui operarijs suis, sub vitæ vesperam, mandat stipendium dari, quod diurno eorum labori promisit pepigítque. Qua ipsa de caussa nos excitat ad fortiter & impigrè laborandum D. Paulus: *Non enim iniustus est Deus*, inquiens, *vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis*, sed debitam labori vestro mercedem rependet, eamq; vobis, quasi pretium, pro re, vel opere præstito, commutabit. Quoniam autem *Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo*; adeoque & opera eorum, & omne eorum meritũ, omneque ius ad mercedem, cum non solùm opus mercede dignum à diuina gratia valorem suum accipiat, sed etiam neque esse, neque conseruari sine Deo possit, à cuius, perinde, vt reliquæ omnes creaturæ, dependet liberrima voluntate; fit, vt in manu eius absolutè sit, id existere, vel annihilari. Quare nec eo astringi, aut obligari potest; sicut neque diuina eius voluntas, à re vlla extrinseca, ligari aut determinari potest, sed tantùm se ipsam liberè promittendo ligat aut determinat. Hinc inter meritum & præmium constituit æqualitatem, & cum labore mercedem commutat, non quidem aliquo strictæ iustitię, sed tamen verissimo atq; certissimo fidelitatis, & veracitatis (quæ est pars iustitiæ potestatiua) debito, seu ex ea iustitia commutatiua, quæ, suppositâ & manente liberali promissione, etiam inter patrem & filium, inter herum & seruum, esse potest. Talis enim etiam est, multóque maior, inter Creatorem & creaturam: cum sit fidelis Deus, fidémque suam sanctissimè liberet, ac præmium, quod promisit, abundantissimè conferat. Tametsi enim indignum est Deo, in Deo absolutum debitum ponere, isque vt S. Augustinus loquitur: *reddat debita nulli debens*; haud tamen indignum est Deo, præmium promittere, sub conditione operum, quantumuis alioqui præceptorum & Deo debitorum. Quod si ergo opus, cui ille mercedem promisit, præstemus, consequens est, eum nobis mercedem debere: cum omne promissum cadat in debitum. Igitur agnoscit se Deus debitorem, ex promissione; imò & debitum agnoscit, quia agnoscit actum ipsum bonum hominis, ex se, atque à parte rei, tali, vel tali præmio dignum, illique proportionatum. Denique agnoscit, hanc merendi facultatem nobis Christum meruisse & à sanguine diuino precium operibus nostris, condignitatémque accessisse.

Matth. 20. 8.

Hebr. 6. 20.

Psal. 23. 1.

S. Aug. lib. 2. Confess. c. 4.

Quàm

X. Quàm ergo illi chara est sua veritas, & fidelitas, & pactio, & Filij Passio, tam chara est illi itidem iustitia commutatiua. In terris nostris, olim, magni fiebat *verbum Principis*; quod Princeps dixit, irritum esse non posse existimabatur. Infinities veracior, fideliórque omni Principe, est Deus: vnde Christi effatum est: *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Stultus ergo, aut à stulto proximus est, qui terreni Principis verbum tanti facit, vt, de eo dubitare, nefas arbitretur; & non facit longè pluris verbum promissionemque cœlestis Principis, sed de vllo opere bono ambigit, quasi non remunerando. Multi remissi non essent, si hìc essent attenti. Et magna spe omniâ, propter Deum agunt, omnia patiuntur, qui sunt attenti. Habent enim illud D. Augustini in corde, & ore: *Debitorem se fecit* (Deus) *non tantùm sibi, sed & Christo, & nobis, vt illi dicere possimus: Redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussisti.* En quanta est boni operis fiducia! Deum ipsum, dum bona operamur, facimus nobis debitorem. Sic Chrysostomus, sic Cyprianus est locutus. Quod si ille ditior censetur, qui, in seculo, plures habet maioresue debitores; quis ditior esse potest homine bona operante, cum Deum ipsum obtineat debitorẽ? nempe qui non tantúm promisit, & adeò ex fidelitate duntaxat se voluit obligare; sed etiam, qui promisit, cum pacto, & conditione meritóque operum; vt adeò ijs præstitis, mercedem nobis debeat, tanquam mercedem; quod est ex iustitia commutatiua debere. Is siquidem, qui mercedem, pro labore paciscitur, obligatur ad eam, non modò titulo fidelitatis, sed etiam ex iustitia soluendam: cum ex fidelitate id soluere debeamus, quod etiam sine vlla conditione, pacto, aut operum merito, promisimus. Hoc fundamento ostenditur, quæ, & qualis, in Deo, sit *iustitia commutatiua*, mirificéque spes hamanæ firmantur, mercedis recipiendæ. Non enim est Deus, sicut homo; non mutatur; non resilit; non frangit pactum, promissa non violat; verba sua non negat; litteras suas non temerat, neque dicit se non esse soluendo. Denique nihil sophisticè agit. Olim lex erat: *Qui seditionem mouerit, moriatur: qui sedauerit, præmium ferat.* Quidam & mouerat, & sedauit, petijt præmium. Hanc quæstionem Sophista paucis absoluit. *Quod est prius? mouisse. Quod posterius? sedasse. Itaq; prius da pœnas motæ seditionis,* inquiebat, *ac dein, si potes, accipe præmium rectè factorum.* Non sic Deus pronunciat; sed qualem posteriùs inuenit vel punit,

Luc. 21. 33.

S. Augustin. serm. 16. de Verb. Dom.

S. Chrysost. homil. 3. in Matth. Cyprian. tract. orat. & eleemosyna.

nit, vel remunerat. Si inuenit malum, plectit; ignoscit & extollit, si inuenit pœnitentem. Hoc promisit, hoc seruat. Stat verbum, manet pactum.

Hinc neque de *iustitia distributiua* potest dubitari. Nam Deus etiam constituit æqualitatem inter proportionem præmiorum, & proportionem meritorum; facit enim, vt illa proportio sit inter præmia, quæ est inter merita. Quemadmodum enim, tanquam sapiens architectus, cum Mundum conderet, singulis rerum naturis conuenientissimè, prout cuique congruebat, suas debitas qualitates & ornamenta distribuit; ita partim in hac, partim in altera vita, distribuit præmia, seruata proportione meritorum; seruatáque iustissima, inter proportionem præmiorum, & proportionem meritorum, æqualitate. Quantum enim excessit Fides, Spes, Charitas, ceteræque virtutes Deiparæ, virtutem S. Francisci, tantùm etiam gloria illius, gloriam S. Francisci antecellit. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, ait Remunerator noster. Et Apostolus illius: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.* Ex quo loco S. Hieronymus, & S. Augustinus demonstrant, non tantùm gloriosam Sanctorum resurrectionem, sed etiam præmiorum in cælo disparitatem, prout hîc quoque disparia sunt semina meritorum: & prout etiam homines diuersa præmia bene merentibus dispensant. Alia erat olim, apud Romanos, corona ciuilis, alia castrensis, alia muralis, alia naualis; denique alia laurea, alia aurea; sicut & ex alia aliáque materia, apud Græcos, coronæ Olympionicarum. Cur non & Deus diuersorum operum labori, diuersa præmia proponeret persoluerétque?

XI.

Ioan. 14. 2.
1. Cor. 15. 4.
S. Hieron. lib. 2. contr. Iouinian.
S. Aug. lib. de S. Virgin. cap. 26.
Gell. l. 5. Noct. c. 6.

Alexander S. Magthildis virginis filiæ regis Scotiæ frater defunctus tanquam Sanctus colebatur. Quare Monacho fistulatum ex vlcere pectus habenti, atque ad tumulum eius, pro sanitate, oranti se visendum præbuit aliquando; species illi erat humanâ augustior. Nam velut solem indutus clara in luce refulsit: vtq; maius esset lumen, duplici coronâ radiabat. Alterâ caput erat insignitum, more regio: alteram manu gestabat. Non potuit Monachus abstinere interrogatione, Alexandro, in hunc modum, conspecto; sed illico quæsiuit, quid corona sibi vellet? Cui Alexander, *Corona*, inquit, *quam gesto manibus, corona extitit tem-*

XII.

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum, c. 10. §. 4.

poralis, quam pro Christo deseruí: illa verò, quam gesto in capite, corona est, quam communem cum Sanctis accepi. Et vt tibi fidentiùs in hac visione credatur, secundùm fidem tuam, sanus eris ab omni incommodo quo torqueris. Vides coronam Sancto huic geminatam? Neque in hoc numero concludit coronas Deus; sed multiplicat eas ad numerum meritorum.

XIII. In vita Pij Secundi Pontificis Maximi memoratur, eadem, eáque hora, qua decessit, Amonæ in Hetruria Camaldi, quòd est in Apennini iugo, senem Germanum, victu aspero, sex & quadraginta annos intra sacelli claustra emaciatum, atque inter cœnobitas miraculis clarum, fortè egressum ad limen primum vestibuli, subitò exclamasse, videre se magnum sacerdotem, CORONA TRIPLICI & candidissimo amictu ferri in cælum, comitantium virgunculorum cætu & nubecula septum. Attonitis qui aderant, & quid esset conijcientibus, quarto post die, quantum itineris Amona distabat, nuncius de morte Pontificis affertur, tempore & habitu conuenientibus. Qua in historia triplicem videmus coronam vni capiti decretam. Non exhauritur Deus, centum coronas accipies, si centum merearis.

Io. Anton. Campan. in vita eius.

XIV. Quo rursus fundamento mortales præclarè animantur, ne sint socordes. Qua enim re se sinent inuitari, si se non sinunt inuitari præmijs, aut eorum amissione commoueri? At *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Nemo igitur sementem spargat parca, nemo contracta, sed plena manu; sed toto, quod dicitur, sacco. Nemo putet, se plus alijs, aut plus æquo laborare. Qui plus laborat, plus sibi gloriæ coaceruat: & ad magnitudinem operis, extenditur magnitudo mercedis. Deficiente disciplina atque arte militari, multi præclari milites, qui egregia in hostem facinora ediderunt, digni vexillo, digni vite, digni paludamento, prætermittuntur, atque vulgo non exemti delitescere sinuntur. Sic neglecta virtus hebescit: sic Martius suffocatur spiritus: sic bona indoles sepelitur. At qui nobilitate valent, qui auos, qui proauos, qui stemmata possunt enumerare, qui fautores, qui promotores habent: ab ipsis fere cunis, & fascijs; certè à scholis, à fornace, à virgis calentes, inuestes & imberbes adhuc, totis subinde cohortibus regendis præficiuntur. Hinc tam strenuè militatur: hinc cũ meretrice, nouerunt, non cum hoste congredi; hinc primi sunt in

2. Cor. 9. 6.

in conuiuijs, vltimi in prælijs: hinc, cum prædandum est, sunt alacres, cum pugnandum segnes. Culpa est eorum, qui tales, non ob virtutem, sed fauore extulerunt. Nō sic agit diuinæ prouidentię Iustitia. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*; non respicit Deus, an Iudæus quis sit, vel Gentilis; non æstimat sanguinem, sed virtutem; mensura operis, apud illum, est mensura mercedis. *Si contempsi subire Iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me*, ait S. Iob. Multò id dicere æquiùs potest Deus; immò dicit: *Venite, arguite me, dicit Dominus.* Et Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Certè, si *sanctitas est*, D. Dionysio teste, *vt more nostro loquar, ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas*, hoc est: si in animi puritate ab omni contagione peccati aliena consistit, nemo Deo sanctior est; nemo ab omni labe remotior. Nemo igitur illum arguet, nemo vt acceptatorem personarum deprehendet. Cessat ergo hinc omnis querela, quasi alijs mitior sit, quàm meruerint, in alios autem austerior, aut parcior. Tantùm recipies, quantum meruisti; dummodo nôris vesperam expectare. Si non satis retribuit, si manum continet, nondum satis meruisti: noli quiritari; noli frenum laxare verbis indignantibus, sed cum Zenone dic: *Satiùs esse, labi pedibus, quàm lingua.*

Rom. 2. 11.

Iob. 31. 13.

Isa. 1. 18.

Ioan. 8.

S. Dionys. de Diu. Nom. c. 12.

Quod si autem te turbat, quia pacem vides impiorum; nōris, in Mundi huius Monarcha, esse etiam *Iustitiam vindicantem*. Nihil enim relinquit impunitum. Omne peccatum condignis pœnis vindicat. Si quando tardiùs punit, grauiùs punit; neque negligit delinquentem, si eum finit sibi iram in diem iræ thesaurizare. Vt rectus Reip. ordo, quem criminosus violat, instauretur, necessaria est pœna, & crimini, seu potiùs criminoso debetur; non quòd ipse ad eum ius aliquod habeat, sicut alicui præmium deberi dicitur; sed quia illi congruit; vt sic, quod in Rep. amissum est, sarciatur. Quia igitur violatum iustitiæ ordinem instaurare, & per se bonum est, & ad Iudicem pertinet, meritò inde Iudices iusti dicuntur, habetúrque & hæc *iustitia vindex* inter virtutes. Quis eam itaque Deo neget, hunc Mundum iudicanti? & per se honestissimam, & necessariam gubernationi? sine qua & scelera impunè grassantia crescerent, & pauci vitam ducerent cælo dignam? Cleanthi Assio quidam, probri caussa, obijciebat, quòd esset timidus: cui respondit: *Ideò minimùm pecco*. Sic & reliqui

XV.

mortales plus peccarent, si diuinam vindictam minùs formidarent. Et vel eò ipso plus peccarent, quia vindictam ipsi sumerent de inimicis. Tertull. lib. de Patient. c.9.& 10. *Quid credimus Iudicem illum*, ait Tertullianus, *si non & vltorem? Hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi, & ego vindicabo; id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. Qui vindicat se, honorem vnici Iudicis, id est, Dei abstulit. Post vindictam sequitur pœnitentia, fuga & reatus, vt pari modo plectamur.* Quisquis ergo cogitat, in Deo esse *Iustitiam vindicantem*; & Deum metuit, ne pœnam illius incurrat; & vlcisci se desinit, quia nouit alium meliorem superesse vltorem: & denique, si illa pulset cogitatio: Ierem. 12. *Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* mox sibi respondet, nouit iustissimus Mũdi vindex tempus puniendi. Sæpe via initio prospera, ferali exitu terminatur. Per florida prata, ad metuenda venitur præcipitia. Neque quibus bene est, semper est beatè. Vidimus, multis mulsum dari, qui ducebantur ad rogum. Aspeximus multos, in planissima glacie, ludere, & perire. Ierem.48.9. Non fuit fausta vox illa: *Date florem Moab, quia florens egredietur*, sequitur enim: *& ciuitates eius desertæ erunt, & inhabitabiles.* Nimirũ sicut bos victimandus vitta & corona redimitur, vt ornetur ad cædem; sic Moab, sic impius, *florens egreditur*; vt, velut exitij sponsus, pereat coronatus.

CAPVT VI.

Ipsa Bonitate Dei, Iudicia Dei fieri probatiora, & illustriora.

I. HIs Omniscientiæ, ac triplicis in Deo Iustitiæ fundamentis, addi potest debétque illud etiam Bonitatis, vt dicere possimus: Psal. 118. *Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.* Sunt enim hæc quinque firmissima, & verè æterna, nec vllis vnquam machinis quassanda diuinorum Iudiciorum fundamenta. De Alcæo alij, alij veriùs referunt de Pittaco Mitylenæo, eum iustitiæ tantam existimationem habuisse, vt filij occisor ad eius tribunal mitteretur; bonitatem tantam ostendisse, vt & huic ipsi ignosceret, vix credibili in posteros exemplo. Nam *Tyrrheum Pittaci filium, cum, in*

ten-

tonstrina sedentem faber quidam ærarius, impacta securi, occidit. Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, vt de eo supplicium sumeret. At ille, cognita caussa, dimisit hominem dicens: Ignoscentiam esse potiorem pœnitentia: seu: Melius est ignoscere, quàm punire. Hoc factum dictúmque ita Pittacum reddidit amabilem, vt inter Mundi sapientes reponeretur. Dei Filium nos occidimus, sanguis eius adhuc clamat de terra, rei sumus. Non possumus negare factum. *Ipse enim vulneratus est, propter iniquitates nostras, attritus est, propter scelera nostra.* Quid supererat? Ante Patrem illius stabamus, qui nos perdere potuisset in gehennam. Sed ille inexpectatam protulit sententiam. Audi Filium illius: *Euntes autem*, ait: *discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium.* Potuisset damnare, voluit saluare; & meritis vindictam exhibuit gratiam; quando & Filius eius pro crucifixoribus suis orauit, immò morte sua redemit ipsos etiam suos crucifixores. Quæ maior Bonitas excogitari potuisset? *Rex* ille, *cum audisset* vel seruos suos contumelijs affectos & occisos, *iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Deus audiuit & vidit Filium suum vnigenitum, heu quantis, ante iniquos Iudices, contumelijs affectum, ac denique etiam, in infami ligno, dirissimè interemptum, cum mittere posset duodecim millia, immò duodecies mille legiones Angelorum, & Deicidas perdere, non misit, sed illis ipsis sanguinem in lytrum ac redemtionem donauit, qui eum profuderunt. Quis posset esse altior gradus charitatis?

Eras. lib. 7. Apopht.

Isa. 53. 3.

Matth. 6. 13.

Matth. 22. 7.

II.

Ob hanc charitatem ait Apostolus: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: Rectè*, inquit S. Bernardus, *non Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed Pater misericordiarum: non modò quòd pater videatur misereri potiùs, quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum miseretur timentium se; sed eo magis, quòd miserendi caussam & originem sumat ex proprio; iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro, ex nostris scilicet peccatis. Sed si propter hoc Pater misericordiæ, quare Pater misericordiarum? Apostolus nobis in vno verbo, in filio vno, ipsam quoque duplicem misericordiam commendat, Patrem dicens non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum, & Deus non vnius, sed totius consolationis, qui consolatur nos, non modò in hac, vel illa, sed in omni tribulatione. Misericordiæ Domini multæ ait quidam; quia videlicet multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos*

2. Cor. 1. 3.

S. Bernard. serm. 5. de Natali Domini.

Dominus. Vnus est Dei Filius, vnum Verbum, sed misericordia nostra multiplex, non modo magnam misericordiam sed multitudinem quærit miserationum. Fortè tamen propter substantiam duplicem, qua subsistit humana conditio, cum sit vtraq; tam misera, non incongruè duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in vtraq;. Siquidem & corporis & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt, sed ab vtriusq; necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum facit.

III. Est illius quidem & punire peccatores, sed proprium illius dicitur esse, *misereri semper & parcere*. Quia in hac vita suam exerit bonitatem, in altera ostendet seueritatem. Ibi vt iustus, hîc, vt misericors vult prædicari. Cuius Misericordiam ac Bonitatem, qui agnoscit, næ ille nunquam in impatientiam ebulliet, sed verbum illud bonum eructabit: *O quàm suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* itémque, *Cum das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt Bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cum de nobis iudicatur, speremus Misericordiam tuam.* Nihil de viro bono mali suspicamur; consilia, facta, dicta illius nunquam sinistrè accipimus, aut interpretamur; cur suspicemur de Bono Deo? aut cur de illo malè cogitemus? Multùm proinde refert, *diuitias Bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis* non contemnere, sed curatissimè expensas habere. Quia autem bonitas rei, aliud nihil est, quàm perfectio rei, siue naturalis, siue moralis, facile est videre, naturalem in Deo bonitatem summam esse, cum in eo suma sit naturę excellentia, per quam omnem à se ipso, & in se ipso, adeóque illimitatam, infinitámque habet perfectionem. Itaque in eo infinita lux, infinita sapientia, infinita potentia, infinita pulchritudo, infinita suauitas, infinita voluptas, infinita beatitudo, infinita sanctitas, infinita benignitas, infinita misericordia, tanquam in infinito quodam bonorum omnium Oceano, continetur. Itaque est fons inexhaustus omnis boni; fons fontium indiuisus, nec per multas formas, tanquam per riuos dispersus, sed in suámet natura vnica & simplicissima hæc omnia eminentissimè complectens; se ipsum implens, nec aliunde capiens mensuram aut terminum, sed vndique interminatus & illimitatus; cui nulla potest fieri accessio, nullum accidere detrimentum. Arbor bona potest arescere, vinum bonum potest expirare; gemma bona potest perdere splendorem; homo bonus potest in vitia declinare; potuit & Angelus bonus excidere, ac fieri teterrimus cacodœmon; at Consilia,

Sap. 12.1. Ibid. ℣. 22.

Rom. 2. 4.

Iu-

Iustitia, *& Veritas Domini manet in æternum*; possunt ipsi cœli veterascere, at Dominus idem ipse est, nunquam senescit, nunquam deficit. *Initio tu, Domine, terram fundasti*, ait: *& opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem ipse es, & anni tui non deficient*, nec mores tui, sanè suaues, sanè boni, sanè amabiles. *O homines, nolite confidere in Principibus*, quorum gratia, sæpe cum Sole, occidit; quorum fauor, vt aura vertitur; quorum vultus hodie suauis, & comis, & amicùm arridens, cras plenus truculentia. Deus idem semper est, semper bonus, semper patiens, semper ad ignoscendum paratus; eáque est longanimitate, vt malit parcere, quàm plectere.

Psal. 32. 11. Psal. 110. 3. Psal. 116. 2. Ps. 101. 27. Psal. 145. 3.

IV.

Diuitias Bonitatis Dei, ait Origenes, *ille agnoscere potest, qui considerat, quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo penè omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & spectosam perditionis ambulant viam. Si quis consideret, quanti in Deum quotidie blasphemant, & in cælum extendunt linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegijs & piaculis dicam? Si quis ergo hanc Bonitatem Dei, & sustentationem eius, & patientiam contemnit, ignorat, quòd per hæc ad pœnitentiam prouocatur. Sed vos non dissoluat hoc, & tardos, ad conuersionem faciat: quia rursus patientiæ eius & sustentationis certa mensura est*; non in se, cum sit infinita, sed ratione nostri, quibus certam mensuram posuit peccatorũ, vt etiam Iustitiæ eius locus relinqueretur. Quòd si *faciem eius præoccupemus in confessione*; si, dum extendit manum suam, dum vocat, dum annuit, non renuimus, tum bonum, tum benignum experimur. Quemadmodum enim nimbus vitreus balsamo plenus ad balsami effusionem est procliuissimus, ita infinita illa Bonitas, ob ipsam suam perfectionem, ad sui communionem maximè propendet; & quidem, natura suâ, diuinis personis se totam communicat; creaturis autem liberè se communicat pro captu cuiusque. Hominum culpa est, si se non faciunt, cum diuina gratia, capaces; si fugiunt benefacere cupientem. Nam si *faciem eius in confessione præoccuparent*, si sua vulnera illi ostenderent; si detegerent calamitates, profectò voluntatem eius ad miseriæ illorum opitulandum incitatissimam reperirent. Vult enim Deus creaturæ miseriam tollere, vult illi bene esse.

Orig. in c. 2. ad Rom.

Eapro-

V. Eapropter eximiæ illæ laudes existunt: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atq; peccata.* Item: *Et tu Domine Deus miserator & misericors, & patiens, & multæ misericordiæ.* Et idem: *Misericordia Domini plena est terra.* Ac rursus: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, ait. Ergo & super Angelos, & super homines; super beneficia, & super supplicia, quia citra condignum punit. Itaque nullus relinquitur querelæ locus. Puniatur licet peccator, sciat, Dominum, cum iratus fuerit, misericordiæ recordari; & agnoscat, quidquid patitur, tamen se plus commeruisse. Et facilè agnoscet, quisquis meminerit, se puniri à diligente, & miserente Deo. Nihil videtur iniquum, quod faciunt amantes. Denique qui nondum perspicit quàm iustè secum agat Deus, Bonitatem eius in memoria habeat, & dicat: *Bonus es tu: & in Bonitate tua doce me iustificationes tuas.* Non enim potest non iustum cogitare Deum, qui cogitat bonum; neque iræ ascribit, quod videt facere amantem. In Platone laudatur, quòd iratus seruo, cum eum castigare pararet, & fortè interueniret Xenocrates, Xenocrati dixerit: *Flagella hunc puerum, nam ipse sum iratus.* Sibi nimirum diffisus est homo Philosophus, sentiens animi commotionem, cum vulgus hominum tum maximè puniat, quando irascitur. Irascitur Deus peccatis, sed nunquam illum ira præcipitat; immò semper Iustitiam Misericordia ad æquilibrium reducit, aut velut individua socia comitatur. Quamobrem Habacuc audet dicere: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*; & adeò id facit Deus, vt etiam in ipso loco damnatorum citra condignum puniat. Quis ergo tam bonum Deum accuset tyrannidis aut crudelitatis?

Exod. 34. Pſal. 85. Pſal. 32. Pſal. 144. Pſal. 118. Habac. 3. 2.

VI. Nulla illum res magis offendit, quàm si Iudicia eius existimemus esse sine Bonitate. Notum est illud, quod Blosius refert, Deum aliquando Sanctissimæ virgini Catharinæ Senensi dixisse: *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò grauius me offendunt, & magis mihi displicent, hoc vno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas vnquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam, & peruersè existimat, iniquitatem suam maiorem esse, quàm sit eadem misericordia & Bonitas mea. Vnde detentus huiusmodi peccato, non dolet de offensa in me admissa, sed dolet de irremediabili damno suo. Qui si in veritate do-*

Iud. Blosius Monil. spirit. cap. 1.

doleret, quòd me offendisset atq; contempsisset, & in misericordia mea fideliter speraret, ipse eam certissimè inueniret: quoniam in infinitum maior est ipsa misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quæ vnquam fuerunt commissa, vel quæ committi possunt ab aliqua creatura.

VII. Cogitant nonnulli, Si ego Deus essem, nequaquam totos homines damnarem: ita tacitè, immo satis apertè, suam putant maiorem esse, quàm Dei Bonitatem. Sed falluntur amentissimè, cum illorum Bonitas sit exigua, Dei autem infinita, sempérque homines sint, ad vindictam, diuinâ illâ misericordiâ, proniores. Cuius rei luculentum D. Dionysius Areopagita recenset exemplum. Carpo Episcopo multa diuinitus erant reuelata, inter quæ ipse Sancto Dionysio hoc visum denarrauit. Abduxerat idololatra quispiam Ethnicus, à Christi fide & Ecclesia, hominem Christianum. Displicuit & illius effectio, & huius defectio tantopere Carpo, vt nimio quodam Zelo contactus, iudicaret, eos vita indignos esse, indignósque, quos terra sustineret. Quare Deum impensè precatus est, vt amborum vitam repentè extingueret. Voluit hunc serui sui errorem corrigere diuina Bonitas. Tale ergo illi visum obtulit. Aspicienti sursum videbatur se se cælum aperire, ac longè latéque diductum IESVM Saluatorem, in lucidissimo throno, summa cum maiestate, sedentem exhibere; circumsecus Angeli, sine numero, multi, & præ sideribus fulgidi astabant. Talis erat aspectus cæli. Inde cum ad inferiora oculos reduxisset Carpus, profundissimam quandam conspexit voraginem, viperis anguibúsque horridissimis refertam. In crepidine extrema voraginis, duo illi, quos è vita eliminatos volebat, velut in lubrico, ac præcipiti, & ruinæ proximi, tremebundi & miserabiles consistere videbantur. Impulisset eos Carpus, si propinquior illis adfuisset: nam & grauiter ferebat, eos non protinus absorberi, sicut Dathan & Abiron quondam. Sed nesciebat, cuius spiritus esset. Igitur, oculis iterum in cælum ire iussis, vidit clementissimum IESVM misericordia tactum, è sublimi illo suo throno consurgere, cælestíque sede relicta, ad illos ipsos duos miserandos homines in terram descendere, eísque manum benignissimam porrigere; quibus & Angelorum illa infinita multitudo Dominum suum comitata opem ferebat. Hoc spectaculo, cum attonitus esset Carpus, conuersus ad eum IESVS his ferè verbis Clementiam suam expressit, omni vtique humana clementia su-

D. Dionys. Areop. Epist ad Demophil.

periorem: *Paratus sum, Carpe, iterum, pro saluandis hominibus, pati: & istud mihi gratum est, modò non alij homines peccent. Tu autem, inspice, an tibi vtile sit, illam cum serpentibus mansionem praferre Dei, ac bonorum clementiumque Angelorum consortio.* Hac visione monstratur, quàm longè Dei Iudicia, Iudicijs hominum sint mitiora.

VIII. Profectò si Deus hominibus suam iudiciariam potestatem traderet, si non omnes, saltem longè plures quotidie ad Orcum mitterentur. Non illi orarent, pro ijs, à quibus læduntur, non eis se se amabiles, sed feros, sed truces, sed truculentos exhiberent.

Apud Lud. Blos. Monil. spir. cap. 1. Alius est Deus, qui S. Gertrudi hæc aliquando dixit: *Vtilissimum foret, homines scire, & in memoria semper habere, quòd ego Virginis Filius, pro salute eorum asto ante Deum Patrem: & quandocunq; ipsi ex humana fragilitate delinquunt corde suo, offero pro eis Deo Patri cor meum immaculatum, in emendationem. Quando verò offendunt opere, exhibeo manus meas perforatas: Et ita in quibuscunq; delinquunt, statim innocentia mea placo Patrem, vt illi pœnitentes facilem semper obtineant veniam peccatorum.* Hoc non facerent homines, aut certè rarissimi sunt, eóque magis laudandi, qui imitantur. Et, si vel maximè imitantur, quantam non sentiunt, in animo, luctam? quas pugnas non experiuntur? Deus autem quàm Bonus sit, ex eadem Virgine Gertrude intellige. Audierat illa aliquando, pro concione, *Neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum veræ charitatis habeat, vt ex amore Dei pœniteat abstineátq; à peccato: ipsa apud se cogitabat, plurimos migrare ex hac vita, qui videntur pœnitere magis timore gehennæ, quàm Dei amore.* Talia voluenti Benignissimus cælestis Pater, in hunc modum, respondit: *Quando video illos agonizantes, qui mei vnquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorij operis peregerunt, in ipso mortis confinio, exhibeo eis me tam pium, amabilem, & benignum, vt ipsi ex intimis cordis medullis doleant, quòd vnquam me offenderint: ac per talem pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, & perire non possint.* Hæc vera esse, in cælo videbimus, & Iudicia Dei amore, misericordia, benignitate permista agnoscentes, clementiam diuinam æternùm cantabimus. Nunc satis est intelligere, quàm mitem etiam in hostes Dominum habeamus. Mirati sunt olim Fauorinum homines, quòd cum Imperatore simultatem gerens viueret: ô quàm multi viuunt, & æternùm viuent, qui gerunt cum Deo simultatem! sed, eo miserante, resipiscunt. Tantus amor Creatoris, tanta Numinis mise-

Ibid.

ra-

ratio. Nam si viscera sua, ipsúmque suum Vnigenitum Christum in nos effudit, cum adhuc conciliati non essemus, dicente Zacharia: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*; cur eandem misericordiam suam retraheret, postquam nos morte sua suos fecit? Nam, teste Paulo: *Commendat Deus Charitatem suam in nobis, quòd cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.* Luc. 1.8. Rom. 5. 7 8.

CAPVT VII.

Miseria non videntium, & fructus videntium Deum omnia videntem.

CVm aliquando Christus ab Hierichunte non procul abesset, cæcus, qui in via stipem collegerat, intellexerátq; ex turba Dominũ comitante, quis transiret, contentissimâ voce *clamauit, dicens: IESV Fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat.* Quasi calcar, non frænum; immò, quasi non aquam, sed oleum flammæ addidissent, ita non modò non compescuerunt clamantem, sed etiam prohibendo magis incitauerunt. Cur cæcus increpatione non passus est se emendari, cum alioqui homines à nulla non re abstineant reprehensi? Sensit nimirum, quantum sit malum in cæcitate, quantúmque bonum in vsu oculorum. Maluit igitur reprehendi, quàm cæcus manere. *Nil cæco miserius*, clamant cæci. Raphaël ad cæcum Tobiam *ingressus salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Sic cæcitas omnia facit amarescere, atq; ipsum gaudium vertit in luctum. Nil cæco lumen, nil dies, nil ipse Sol prodest. Palpat, & offendit ad omnes parietes. Vbique tenebras patitur; omnia sunt illi caligo: sit meridies licet, tamen ille noctem in oculis circumfert. Non illum in hortis flores, non virorum graminum, non purpuræ fulgor oblectat: atra, apud eum, & mæsta sunt omnia; ac quamuis sit in Paradiso, in Tænaro sibi versari videtur, & in ipso Acherunte. Quid multis? fortissimus ille tot victoriarum numerator Samson, postquam oculos amisit, I. Luc. 18. 35. Tob. 5. 11.

à puero, monstri instar, in ludibrium fuit circumductus.

II. Oculos homo cum bestijs habet communes, nec sanè paucę bestiæ præstantia visus hominem antecellunt. Nunquam ille tam acutùm cernit, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius, aut lynx, aut dorcas, aut ipsas tenebras irradians felis. At mentis acie homo omni animante est superior, ibi vis videndi atque intelligendi eum supra omnes bestias altissimè extollit. Quare multò tristius malum est, mente cæcum esse. Quod si mortales cognoscerent, ô quantis clamoribus cuperent, eâ cæcitate liberari, qua bestijs æquiparantur! Esse autem etiam quandam mentis cæcitatem, eodem loco, in ipsis Apostolis, est demonstratum, quibus postquam Dominus clarissimis verbis dixit: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget* (quis Sol verbis his clarior?) *Et* tamen *ipsi*, ait Euangelista, *nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Tantæ tenebræ in ijs, qui lux mundi erant futuri, extiterunt.

Luc. 18. 23.

III. Miramur Apostolos? miremur nosmetipsos, qui ipsi sæpius Solem non videmus. M. Tullius Solem mundi mentem & temperationem appellat; & vetustissimi illi Sacerdotes Ægyptiorum, vt diximus, moderatorem hieroglyphicè significaturi, *oculum & sceptrum* facere soliti sunt. Homericum illud ἠέλιος δ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει, secutus Maro ait:

Cic. in somnio Scip. Pier. Val. lib. 33.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Sic omnia lustrat, temperat, moderatur Deus; qui proinde meritò *Mundi oculus* & *Sol* appellatur. Quem Iacobus vocat *Patrem luminum*, cuius oculis *omnia nuda & aperta* testatur Paulus. Qua etiã de caussa oculi, in diuinis litteris Deo attribuuntur, cum, teste Eucherio, signa sint intelligentiæ, qua bonos & malos speculatur. Nec speculatur tantùm ipse, sed etiam alijs, natura duce & monstratrice, manifestissimum esse potest, eum omnia speculari, omnia moderari, omnia iustitia, misericordia & bonitate sua attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere suauiter.

Iac. 1. 17. Hebr. 4 13. Sap. 8. 1.

IV. Hunc ergo Solem tam lucidè radiantem, hunc oculum omnia videntem, & regentem, qui non vident, non credunt, non ve-

verentur, cæci sunt; & tanto cæciores, si neque necessitatem videndi agnoscunt, atque idcirco, cum ante dicto cæco, non flagitant à Christo, vt videant, cæcitatémque deponant, agnitâ præsentiâ Numinis omnia perspicuè cernentis, & recto ordine gubernaints. Hanc autem præsentiam si vident, iam non fiunt impatientes, neque offenduntur vlla re, præter opinionem, supráque captum illorum, contingente; sed quoties non capiunt, toties cum Dauide exclamant: *Iustitia tua, sicut montes Dei* (hoc est maxima, sicut maximi montes, qui in Scripturis per *montes Dei* intelliguntur) *Iudicia tua abyssus multa*, quæ non potest humanæ mentis acies penetrare. Quod autem non potest suis viribus, diuino auxilio efficit: id proinde, cum dicto cæco, quàm enixissimè est implorandum; cum præsertim, ad cauenda peccata, ad timorem, amorémque, & reuerentiam diuinæ maiestatis, ad omnem deniq; virtutem, ac religionem ipsam exercendam, præcipuum sit fundamentum, Deum credere vbique præsentem, & quidquid vbique geritur, contemplantem, moderantem, statuentem, aut permittentem. Psal. 35.7.

V.

Quare, quos maximè amat, illis oculos aperit, vt diuinum oculum, Solis instar, lucidissimum, identidem, tanquam cynosuram, intueantur, dicántque: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum, in manibus Dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Qui sic ambulat, non ambulat in tenebris; non offendit, non offenditur, etiamsi rationem non capit; satis est illi, Deum aut fecisse, aut permisisse, omnia intimè lustrantem & æquissimè gubernantem. Qui hoc videt, non est cæcus, etiamsi aliam caussam non videt. Exemplo est, qui dixit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.* Nam *media nocte* saltem hoc videbat, *confitendum* esse Deo, *super iudicia iustificationis* illius quantumuis occulta. Psal. 122.2. Psal. 118.

VI.

Imploratur & impetratur hoc beneficium, aliquando vitæ sanctitate, aliquando oratione, aliquando vltro à Deo ingeritur, vt iustitia eius fiat manifesta. Ob vitæ sanctitatem Ioseph Mariam occultè dimittere volenti *Angelus Domini apparuit in somnis dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* En quantum mysterium cognoscere meruit innocentia! Alius sic orauit: *Seruus* Matth. 1.20. Psal. 118.

tuus sum ego : da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua: Et: Iudicia tua doce me. Orauit & impetrauit. Petrus Damiani sic à parentis sui Damiani nomine vocatus, genere, religione, Cardinalatu, sanctitate, scriptis libris, & plurimis epistolis, valde nobilis, memorat, fuisse hominem virtutibus multis exornatum, sed præcipuè religione erga Deum, atque erga proximum, charitate, singulari, qui nullum sinebat abire à se, sine stipe, egenum. Ita sentiebat alienam miseriam, vti suam; cum vnumquemque, vti se alterum, æstimaret. De illius vestibus nudi tegebantur, de illius mensa saturabantur famelici; illius hospitio reficiebantur fatigati. Talis erat in hominum sermone, talis in oculis Dei. O quàm infirmæ sunt res humanæ! Nemo tam innocens est, qui non possit in noxam cadere. Et sæpe in peccatum labuntur, qui videbantur stetisse, instar columnarum. Igitur iste bonus (cuius nomen omittit author, dum crimen prodit) qui antè sua solebat alijs donare, Auernali tentatione, eò abreptus est, vt iam raperet aliena. Nam porcum abegit, aut errantem excepit, immò intercepit, atque, ne inueniretur, in abstrusissimam speluncam clanculò incluſit. Hoc agit reorum, & maximè furum conscientia, quæ lucem odit; quando erubescenda fecit, abscondendo ostendit, se peccauisse. Rarò tamen non erumpunt etiam in hominum notitiam facinora, ne dum, vt Deo occultentur. Quare etiam hîc diuinus oculus vigilauit; sed abigeus non considerabat, neque se videbat videri: vt videret, diuina misericordia fuit.

Petr. Dam. l. 8. Epist. 8.

Matth. 5.7. Quàm verè dixit Seruator : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur!* Nam & hunc misericordem noluit Deus, etiam postquam excidit gratia, sine gratia perire. Errantem igitur ouem quæsiturus bonus pastor Christus denuo induit habitum pauperis, & crine incomposito ac demisso sordidatus stipem petit, à misericorde fure. O quantum est assueuisse liberalitati in pauperes! In paupere, hospes excipitur ipse Deus; quem proinde, sub veste pannosa, etiam iste excepit pecudis abactor, more ceterorũ, in lares ductum. Nec satis fuit, excepisse domo; sicut olim Abraham peregrinis solebat lauare pedes; ita iste, qua parte sordidissimum putabat, lauare instituit. Itaque ad caput oculos adiecit. Sed antè tondendum, quàm abluendum arbitrabatur. Quod dum suis manibus facit, dum iam frontem, iam tempora, iam occiput ambit forfice, resecto capillitio, videt in auersa parte oculos emergere, propè Ianum ratus, qui antrorsum, ac retrorsum fingitur.

tur oculatus. Admirari primùm, postea obstupescere, deinde & cohorrescere cæpit; nec potuit abstinere interrogatione curiositatis. Interroganti quid hoc prodigij, vel monstri esset, respondit pannosus hospes: *Ego sum Iesus, cui nihil est absconditum. Hi oculi, pecus à te abactum, & in specum detrusum conspexerunt: his dissplices, qui anterioribus antehac placuisti: his te aspicio, quia à te auersus licet, tamen video, quidquid agis.* Cum dicto videri desijt; sed non desijt tonsorem suum instruere, tacitis cogitationibus, stimulatum. Ille enim vbi tam manifesto signo cognouit, facinus suum à diuinis oculis conspectum, erubuit, fleuit, & pœnitentiâ diluit maculam, quam habendi cupiditate collegit.

VII. Plena est hæc historia documentis; sed ego, è plurimis, pauca selegisse, contentus ero. Non deducam enim quantam Deus clementiam exbibeat clementibus, & quàm sit liberalis erga liberales; quantámue eius benignitati ianuam aperiat, qui pauperibus aperit suam domum; dicam, quantorum malorum caussa sit cæcitas animi, arbitrantis, se à Deo non videri; nec illud possum omittere, quod Christus fecit, dum oculis prodigiosis, oculos alteri vel dedit, vel aperuit, cæcitatémque ademit. Qua ademta, verè ille vidit, Deum esse oculum omnia videntem, & Solem mundi omnia illustrantem, cuius & lux, & potentia vbique est diffusa; immò (quòd in Sole hoc corporeo non est) qui ipse, secundùm suam substantiam, *vbiq; totus diffusus est*, vt S. Cyprianus ait: sicut anima hominis in corpore vbique tota est. *Nunc-quid non cælum, & terram, ego impleo? dicit Dominus*, apud Ieremiam. Et Paulus, *vnus*, ait, *Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & in omnibus nobis.* Verè ergo est *Emmanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus.* Quem nobiscum esse, cæci isti non vident; non toties percussuri, si oculos haberent, apertos.

S Cyprian. l. quòd Idola dij non sint. Ierem. 23. 24. Ephes. 4. 6.

VIII. Hæc enim cognitio cogitatióque longè est efficacissima, ad homines à peccando absterrendos, ob reuerentiam diuinæ debitam maiestati. Cur *longè à peccatoribus salus? quia iustificationes tuas nõ exquisiuerunt*, ait Propheta. Multa peccata locũ certũ exigũt, latrocinijs siluæ, adulterijs lustra, ebrietati tabernæ vinariæ, alijs vitijs alia loca eliguntur: quem locum eliget peccaturus, in quo non conspiciatur à Deo? ibit in militiam, quo mitti solent discoli? at & ibi est Dominus exercituum. Proficiscetur in alias nationes, ad Gallos, Italos, Hispanos? at & ibi est Deus. Fugiet Viennam?

Psal. 118.

at

at ibi & Cæsar, & Deus est. Quæret Garamantes & Indos? iam ante ibi est Deus. Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo*, ait Dauid, *& quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Iob. 11. 8. Assonat Iob his verbis: *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Ephes. 3. 14. Subscribit Apostolus, qui affirmat, se, *huius rei gratia*, flectere *genua sua ad Patrem Domini nostri IESV Christi*, cuius rei gratia? *Vt possitis*, inquit, *comprehendere, cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*; per quas dimensiones Dei Omnipræsentiam explicamus; immò intelligimus etiam per *Longitudinem*, Dei, pœnitentiam peccatoris per tot annos expectantis, longanimitatem & patientiam; per *Latitudinem*, eius diffusissimam charitatem, qua etiam ipsos suos complectitur inimicos; per *Sublimitatem* gloriæ celsitudinem, quam diligentibus se præparauit; per *Profundum* damnationem & miseriarum abyssum, in quam impios præcipitabit.

IX. Absentiuo hero, seruus fit audacior; cum autem ille redit domum, vela malitiæ contrahit. Quis, in præsentia Iudicis pro tribunali sedentis, & extrema supplicia minitantis, audeat eius legem transgredi, iussa negligere, immò omnia, illius ingratijs, & illi contraria perpetrare? quis, in conspectu regis amplissima præmia proponentis, mandata leuissima detrectare? Multò intolerabilior audacia est, Deo præsente, & inextinguibiles flammas intentante, easque vel iam statim potente immittere, sanctissimas eius leges præuaricari; aut sempiternæ gloriæ præmia aspernari. Siquidem & naturalis ratio, & supernaturalis fides docet, eum nobis esse præsentissimum, & coniunctissimum, nec tantum è cœlo nos prospicere & gubernare, sed etiam intimè inspicere omnes nostras cogitationes, omnia desideria, omnia vota, omnes spes & amores, omnes timores & rancores, omnes affectus, omnium renes & corda perscrutari. Si enim infinitus est in substantia, debet etiam infinitus esse in extensione & præsentia; & adeò non tantùm in cælo, sed in omni omnino loco, in omni spacio, & in omni re existente existere; vsque adeò, vt nulla res tam magna sit, quam substantia sua non impleat, nulla tam parua, in qua non totus inueniatur; neque vlla res tam nobilis

aut

aut vilis, nullus locus tam amplus aut angustus, in quo non Deus & tota substantia virtúsque illius existat. Hinc ille: *Non longè est ab vnoquoq; nostrúm: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Act. 17 28. In ipso tanquam in efficiente, tanquam in basi & vase capiente, tanquam in sede & fundo sustentante, tanquam in aëre conseruante, tanquam in domicilio protegente, & tanquam in fundamento firmissimo, teste S. Dionysio. Itaque præsentia Dei non exigit tantùm potentiam & inspectionem, sed etiam intimam cõiunctionem; quam qui agnoscit, velut clypeo se munit, quo omnes Sancti in huius vitæ militia sunt vsi. Hinc enim Apostolus ait: *Vt possitis comprehendere, cum omnibus Sanctis*; omnes enim Sancti præsentiam, & immensitatem Dei comprehenderunt. Quin & ipsi Ethnici, quòd meritò ruborem inijciat Christianis. Nam Senecæ est illud præceptum: *Sic cum Deo loquere, quasi homines audiant: sic cum hominibus, quasi Deus te audiat.* Et Thales septem Græciæ sapientum vnus dicebat: *homines sibi persuadere debere, Deos omnia cernere, Deorúmq; omnia esse plena, vt coram illis caste & sanctè viuant.* Qui etiam rogatus, num facta iniqua Deos laterent? respondit: *Ne cogitata quidem, secretis enim cogitationibus cœleste Numen adest, & interest.* S. Dionys. l. de diu. nom. c. 1. & 10. Ephes. 3. 16.

X.

Quare, qui hanc fidem habet, potest Deum debétque in omnibus rebus credere præsentem, nõ tantùm tanquam in effectu, vestigio, atq; imagine; sed etiam vt ibi reipsa latentẽ, & velut velo tectũ; cum sint omnes creaturæ veluti sipariũ & velamen Sanctasanctorum tegentia. Si quis Principem sciret, post tapetia absconditum, aut, vt olim post cortinas ac velum Iudicem, an auderet contra eum loqui? Et loquuntur homines contra Deum, post, & in omnibus creatis rebus existentem? *En ipse stat post parietem nostrũ, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*; audit omnia, videt omnia, arbitratur omnia. Iubebat Alphonsus Arragoniæ Rex, sub tentorio, consistens militem, extra tentorium de se malè loquentem, longiùs recedere, eò, vbi à rege non audiretur. An non iubet & Deus homines linguam compescere vibratam in eum, sub omni creatura, consistentem? Et quò ibit homo, vt Deus non adsit? nõ audiat? Nusquam ergo maledicendus, vbique est benedicendus; cum in omni loco, mentis intuitu eum contemplationéque, possimus cognoscere præsentem. Si quis irascentem, si blasphemantem, si digladiari, rixari, latrocinari, calumniari volentem intro- Cant. 2. 9.

duceret in templum, & id, coram venerabili Eucharistia, coram altari, dum sacra hostia populo sublimis ostenditur, facere iuberet, an nō iram & cæteros affectus temperaret? quis enim ibi ausit talia perpetrare? quis, si Eucharistiam in lingua haberet, blasphemare præsumeret? At, sicut Christus in hostia, ita Deus in lingua & quauis natura præsens est, licet non appareat oculis corporeis. Vbi autem Deus, ibi tres sunt Personæ, cum tota potentia, sapientia, bonitate, iustitia, maiestate; immò magis præsens est, quàm res ipsa sibi sit præsens ipsi. Res enim non est tota in singulis suis partibus, neque vna pars præsens est alteri, at totus Deus omnibus creaturarum omnium partibus præsens est intimè, & extimè, vt res omnes, & totus mundus in illo sit, sicut spongia in mari intimè eo penetrata, & extimè circumfusa; item sicut globus crystallinus luce Solis & perfunditur intus, & extra circumfunditur. Vsque adeò velut diligens Pœdagogus vbique occurrit Deus, nec finit suos alumnos ex oculis suis elabi: sequitur, præcedit, latus cingit, manu ducit.

XI. Hoc est magnum spiritualis vitæ fundamentum: hoc facit, vt Deus ametur, vt timeatur, vt illi nos intimè coniungamus, & à peccato resiliamus. Cum Ephrem Edessæ moraretur, Styx eum per mulierculam in vicinia habitantem oppugnauit. Cū enim ille sibi ipse prandium coqueret, illa è vicina domo & fenestra non curiosè tantùm, sed etiam meretriciè introspiciens, dixit: *Benedic Abba*, cui ille eo, quo decebat habitu, gestu & sermone; *Dominus tibi benedicat*, inquit. Tum illa rursus, cum petulanti risu: *sed quid tuo cibo deest?* Mox ille: *Tres lapides, & parum luti, vt hæc obstruatur fenestra.* Non obturatum erat os mulieris, quæ subiecit: Insolentem te fecit, quòd prior compellauit: *Ego verò volo tecum dormire.* Dubium an hæc impudentia fœminæ potiùs, quàm sancti viri prudentia sit admiranda. Nam quasi in facinus consentiret, ita cæpit de conditionibus agere. Arrectis illa auribus petit conditiones. Tum Ephræm, si ibi vis, inquit, dormire mecum, vbi tibi dixero, fieri potest, quod petis. Quærit illa locum: *Non alio*, inquit Ephræm, *loco tecum congrediar, nisi in medio ciuitatis. Sed non*, inquit illa, *pudore & rubore afficiemur à videntibus hominibus, si sic nos taceamus in medio? Capta est mulier, quæ voluit capere impatibilem animam, & inexpugnabilem, vt quæ ne hoc quidem potuerit cognoscere, quod dicit Salomon:*

Simeon Metaphr. apud Sur. 1. Febr.

mon: *Oculi Domini Altissimi, sunt innumerabilibus partibus sole splendidiores, qui intuentur omnes vias hominum. Cum statim itaq; velut ansam apprehendisset vir præclarus, contra intulit: Si ergo hominum iudicasti oculos satis esse ad pudore afficiendam animam, & à mala actione abducendam; Dei oculos, qui omnia intuentur, tam quæ clam, quàm quæ apertè fiunt, non multò magis verebimur, & extimescemus, & à re mala abstinebimus! qui semper nobiscum habitant em in nobis excitat conscientiam, & ex ea nobis reseruat tormenta, quæ fines non accipiunt? Hæc sufficerunt non solùm ad meretricem persuadendam, vt abstineret ab improba in eum libidine; sed vt priorum etiam eam malorum pœniteret, atq; adferret mutationem totius vitæ & sententiæ. Statim itaque accedens, & humi procidens, & sacros illius pedes tangens petijt veniam à ratione alienissimæ cupiditatis, impudicæq; & intemperantis propensionis. Et ne, cùm veram & germanam attulisset pœnitentiam, à via, quæ fert ad salutem, aberraret, eum ducem & magistrum voluit accipere. Ille autem (quomodo enim, cum esset ille Ephræm, non erat talibus pariturus petitionibus, & ea, quæ par erat admoniturus?) ne rursus ambularet, vt cum diuino dicam Hieremia, post cogitationes cordis sui mali, neq; contemneret, ita vt vias priores repeteret, præcipit egregiè, eamq; in mulierum includit monasterio, quæ virtutis curam gerebant: & tandem, cum eam, quæ à via recta illum volebat abducere, ipsè à via mala potiùs conuertisset, iustitiæ fructum habuit illam conuersionem.* Eccli. 23.

XII.

Vtinam, sicut Ephræm huic Sireni oculos dedit, quibus Deum videret præsentem, & à fæditate sua reuocaretur, ita & ego hodie plurimis dare possem; quàm multa, hoc tempore, peccata impedirem? quàm multas nefarias voluptates euerterem, aut saltem frænarem, vt, quod Dionysius dixit, Mel istud vix summo digito, ne dum caua manu gustandum esse arbitrarentur? *In sceleribus, Deo contemto*, ait S. Chrysostomus, *homines formidamus: &, homine præsente, nemo scortaretur, sed licet maiorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia, pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat; non modò adulterantur, non modò scortantur, verùm & alia longè grauiora & ausi sunt, & audent. Nonne hoc vel solùm satis esset, quò cælitus innumeris peteremur fulminibus? Hinc omnia orta sunt mala, quòd scilicet in rebus turpibus non Deum, sed homines timemus.* Quàm multa inhonestè fiunt, in locis clandestinis, quæ in foro, aut plateis, aut vllo S. Chrysost. in 1. Cor. cap. 4. v. 3.

alio oculo præsente, nunquam committerentur? Qui Bacchanalia viuunt, laruas induunt; laruis tecti, tota vrbe discurrunt, more Lupercorum, immò insanorum. Noui Medicum etiam penicilli colorisque magistrum, qui iuueni Studioso, Bacchi festo, insanire cupienti, cum iuberetur colorem in faciem inducere, vt in laruæ vicem pictus non agnosceretur, intincto in merissimam aquam penicillo, pingere coloribus se eum simulauit; cuius tamen totus, haud minus quàm antè, vultus inuariatus agnoscebatur. Ille autem iam tum insanus, non consulto speculo, se coloribus in dæmonem deformatum ratus, tota vrbe, veste peregrina, straminea, & ridicula indutus Mænadis ritu, vagabatur, omnium se exponens cõtemptui & cachinnis. O quàm postea ludus illi acerbus videbatur, quo se se palam stultitiam insaniamque professum resciuit, sensitque verè, extrema gaudij luctum occupare! Nunquam sic insaniisset, si sciuisset se, facie non coloribus oblita, ac mentita, sed nuda & vera nosci.

XIII. Non insanires, & tu, ô homo, si te agnosci crederes, ac agnoscit te, etiam sub larua, & sub Orci galea, Deus. Cur ergo tactus petulantes, cur gestus impudicos, cur amplexus inhonestos, palàm, ostendis? te ipsum Deo ostendis. *Cum* à Susanna *egressa essent puellæ, surrexunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus.* Addiderunt & falsò accusandæ minas: ad quas *ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ sunt mihi vndiq; : si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare IN CONSPECTV DOMINI.* Lucretia olim, quamuis Lucretia, in simili certamine constituta, cessit, quia non tàm *Conspectum Domini*, quàm Collatini mariti sui est reuerita. O quid non audetur, cum auditur: *Ecce ostia clausa sunt, & nemo nos videt!* Immò est, qui videat. i, quære angulos, sectare tenebras & latebras, in summa & ima domo, sub tecto & in stabulo, in culina & cella, in cubiculo & triclinio: vbiq; est Deus, vbiq; te videt. Quod si volueris considerare, non sines te contaminari. Quin, si vel solùm te esse putes, ibi tuus est Angelus, & quod plus est, ibi tuus est Deus: videt te, etsi tu eum non vides; similis puero, qui cum manu oculos suos tegit, arbitratur se ab alijs non conspici; ità tu, quia in tenebris nihil vides, existimas,

Dan. 13. 19.

Liu. lib. 1.

te

te quoque à Deo non videri: sed falleris, videt non videntem. Hæc seriò cogitans, libenter, cum Assyrio illo Isæo, ab illicitis aspectibus ad Philosophiam traducto diceres: *Desii laborare ab oculis.* Video vtilia, video me videri, idcirco non facio, quod, pudor sit, videri.

XIV. Tu quoque ades, simulate Catholice, qui dum in vrbe es Catholica, & inter Catholicos, prohibitis diebus carne abstines, quibus tamen vescris, quando inter hæreticos versaris. nempe tũc nullus Catholicus te videt? at Deus videt. Quin inter ipsos hæreticos tanto constantiùs, exemplo Eleazari illius, repudiatis vetitis cibis, tibi religio esset profitenda. Quid iuuat, in Bauaria, adire templa Catholica, qui alibi, sine vllo scrupulo, immò verè etiam sine religione, non fana modò, sed etiam *cænam* adis hæreticorum? Non videt te ibi Princeps, non magistratus tuus, at Deus videt; qui vnus tibi debet esse instar omnium Principum, Regum, ac Imperatorum. *Oculus Dei simul vniuersa cernentis*, ait S. Augustinus, *non abdita locorum, non parietum septa secludunt; nec solùm ea acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista vera scientia summi Iudicis, iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.* S. Augustin. serm. 2. de Temp.

XV. Tu quoque qui absentes rodere, eorúmque facta calumnijs lacerare non vereris, in te, & ad Deum tibi vbiq; præsentem reuertere. Non audit ille, de quo loqueris? si audiret, ei, verso stilo, etiam adulareris: nunc mordes & laceras absentem, & non audientem. At audit vidétque Deus; cuius tam acutus est oculus, vt etiam te videat domi ante speculum in crinibus superbientem, falsas rationes, infames libellos scribentem, in ipsa nocturna caligine, tecta aliena conscendentem, cistas refringentem, alienæ pudicitiæ insidiantem; denique in ipsum cor & affectum tuum introspicit, concupiscentias tuas sceleratas omnes spectat & numerat: scit, cum tu à tot maritis accusaris, eunuchum de adulterio non accusari. Adhúcne tam impudens eris, vt non resipiscas? Resipisces, si cæcitatem deponas, & Deum vbique præsentem sæpius certiúsque, quàm Solem istum aspicias; aspicies, si ad Christum, instar cæci Hierichuntini, quantis maximis & vocibus & affectibus clames: *Domine, vt videam*; tunc enim quid. quid, vel tibi, vel alijs, accidat, etiam cum Moyse clamabis: *Date*

Deuter. 32. *Magnificentiam Deo nostro ; Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius Iudicia.*

XVI. Vt igitur exactè præsentiam Dei intelligas, sequentia, in compendio perpende. 1. Deum omnibus rebus spiritualibus, corporalibus, in cælo, terris, orco præsentem esse. 2. Ita esse omnibus rebus præsentem, non sicut rex per hunc legatum hîc, per alium alibi est, sed vt totus, & secundùm omnes perfectiones suas, in singulis existat. 3. Sicut rupes immota, & in se eadem præsens est aquis defluentibus, & attigit præterlapsas, & venturas excipiet; ita Deum, in se immutabilem atque æternum, præsentem esse omnibus rebus, etiam præteritis & futuris. Non est enim in Deo præteritum & futurum, sed vnicum & indiuisum præsens. 4. Tribus modis Deum præsentem posse cognosci, ratione naturali, ex principijs naturæ lumine cognitis (*Nam inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur*, & vel Ethnicus dixit: *Iouis omnia plena*) ex lumine fidei supernaturali; imaginatione quadam, sed per fidem correcta, ne speciei corporeæ, nimium tribuatur. 5. Per Eucharistiam præsentem cognosci. 6. Per ipsam etiam Incarnationem, nam ideò Deus factus est homo, vt præsentiam eius meliùs conciperemus. Vnde *Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*, vocatur Messias. 7. Non sufficere, vt intellectu præsentem Deum cognoscamus, nisi illi etiam voluntatem atq; nos totos vniamus, tanquã primo principio nostro, Creatori, Conseruatori, Gubernatori, *in quo viuimus, mouemur, & sumus*; item tanquam Redemptori, Iustificatori, Iudici, & Glorificatori: quæ omnia miros motus efficiunt; sicut & si cogitemus, nos ei adesse, tanquam seruos Domino. *Sicut enim oculi seruorum in manibus Dominorum*, ita oculi nostri debent ad Deum esse. Quin velut Magistro & Doctori discipulus & Benefactori cliens semper cupit adesse, ita nos Deo. Denique Deum in se & alijs præsentem & operantem, qui cogitat, vult & ipse cum eo operari, & tanquam Cyrenæus Crucem cum Christo gestans, ei se vnit & conformat. Qui autem in studijs, negotijs, rebus aduersis, Dei obliuiscitur, suę salutis obliuiscitur, &, cæci instar, in foueã cadit perditionis. Tractat hoc argumentum piè & eleganter Antonius Gaudier Societatis nostræ Sacerdos: & passim perurget Antonius Sucquet, in Via vitæ æternæ; solidè autem, more suo, Leonardus Lessius, qui nobis magnam, in hoc argumento, meditandi materiam suppeditauit:

Rom. 1. 20.

Isa. 7. 14.

Psal. 122. 2.

Anton. Gaudier in libello de Dei præsentia.

Less. de Diuin. Perfect.

quæ

quæ sanè efficacissima est ad homines à peccato auertendos. Sancti, in cælo, quia Deum semper præsentem intuentur, amore eius exardescunt, & impeccabiles efficiuntur. In terris quoque, quò quis magis Deum præsentem videt, minùs peccat. Quin sicut cera fluit à facie ignis, sic lachryma peccatoris à facie Numinis. Ter Dominum Petrus negauerat, putasses silicem factum : at *conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi* Luc. 22. 61. *Domini, sicut dixerat: quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis: Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* Tanti refert vel videre Dominum, vel à Domino videri. *Vrget præsentia Turni*, dixit ille: magis vtiq; vrgere debet *præsentia Dei.*

CAPVT VIII.

Deum non solùm vbiq; esse, & omnia videre, ac regere, sed etiam Beneficentiam Iramq; pariter exercere, in Mundo, debere: & quis inde fructus hauriatur?

PRimus videndi & ad domicilium veritatis ascendendi gradus est, Deum vbique præsentem & omnia videntem intelligere; sed non in eo manendum est. Qui enim tantùm intelligit Deum vbique existentem omniáque intuentem, adhuc nec amat, nec metuit, nisi accedat causa amandi atque metuendi. Ad alterum igitur gradum enitendum est, qui est, non solùm perspicere animo, quòd vnus sit Deus summus, infinitus, immensus, supra omnem hominum captum sapiens; sed etiam, quòd summè Bonus & Iustus; cuius potestas ac prouidentia non solùm effecerit à principio Mundum, sed etiam in posterum gubernet. Quid enim prodest, consentire, vnum esse summum Deum, & non credere, gratificari eum cuiquam, nec irasci, sed securum & quietum immortalitatis suæ bonis perfrui? *Etenim si est Deus*, ait Lactantius, *vtiq; prouidens est, vt Deus; nec aliter ei potest diuinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura prospiciat.* Adeò vt qui prouidentiam tollit, etiam Deum neget esse; & qui Deum esse profitetur, etiam prouidentiam simul esse concedat. *Alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.* Prouidentem autem

I. Lib. de Ira Dei. c. 9.

autem esse, non est tantùm scire, quid cuique debeatur, sed ita res disponere, vt cuique eueniat, quod imperij iustitia requirit. Itaque & gratiâ beneficum esse, & iustè irasci pertinet ad gubernantem. Quare & ira tribuenda est Deo, & gratia non detrahenda. *Hæc tuenda nobis, & asserenda sententia est, in ea enim summa omnis, & cardo religionis, pietatisq; versatur. Nam neq; bonos vllus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti; nec vllus metus, si non irascitur non colenti.*

Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 6.

II. Ibid. cap. 3.

Itaque primò *illud nemo de Deo dixit vnquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moueri, est enim disconueniens Deo, vt eiusmodi sit potestate præditus, qua noceat & obsit; prodesse verò, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposita est, si malorum tantummodo auctor est Deus? Quod si sit: iam Maiestas illa venerabilis, non ad Iudicis potestatem, cui licet seruare ac liberare, sed ad tortoris & carnificis officium deducetur.* Cum autem mala sint in rebus humanis & bona, cur Deum malorum auctorem esse, & non etiam bonorum, dicemus? cur asseremus, diuinam illam potestatem, qua nihil est maius aut melius, nocere posse, prodesse non posse? Quamobrem ira Deo, sine clementia attribui non potest; aut vtraque concedenda, aut vtraque tollenda est. Epicurus & iram Deo, & gratiam negauit pariter, bis ineptus, ne dicam impius. Qui cum etiam Deo actionem omnem sustulit, vitam ademit, cum sit proprium viuentis agere, & intelligentis intelligere aliquid, & velle, atque erga alios gratia, aut ira moueri, præsertim erga eos, quos subiectos habet. *Quæ maior, & quæ dignior administratio Deo assignari potest, quàm Mundi gubernatio? quàm cura viuentium? maximeq; generis humani, cui omnia terrena subiecta sunt?* ait Lactantius. *Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm prouidentia? Sed si nihil curat, nihil prouidet, amisit omnem diuinitatem.* Quod cum dici non possit, fatendum est, eum Mundo prouidere, hoc est, & ira & miseratione moueri.

Ibid. Lact. cap. 4.

III. Idem. Lact. cap. 5.

Error fuit Stoicorum; *gratiam in Deo esse, iram non esse.* Error fuit, inquam. *Nam si Deus non irascitur impijs & iniustis, nec pios vtiq; iustosq; diligit. In rebus enim diuersis, aut in vtramq; partem moueri necesse est, aut in neutram. Itaq; qui bonos diligit, & malos odit: & qui malos non odit, nec bonos diligit, quia & diligere bonos ex odio malorum*

lorum venit: & malos odisse ex bonorum charitate descendit. Nemo est, qui amet vitam sine odio mortis; nec appetat lucem, nisi qui tenebras fugit. Adeò natura ista connexa sunt, vt alterum sine altero fieri nequeat. Si quis Dominus habens in familia seruos, bonum ac malũ, non vtiq; aut ambos odit, aut ambos beneficijs, & honore prosequitur; quod si faciet, & iniquus, & stultus est: sed bonum & alloquitur amicè, & ornat, & domi ac familiæ suisq; omnibus rebus præficit; malum verò maledictis, verberibus, nuditate, fame, siti, compedibus punit; vt & hic exemplo ceteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum; vt alios metus coerceat, alios honor prouocet. Qui ergo diligit, & odit; qui odit & diligit; sunt enim qui diligi debeant; sunt qui odio haberi. Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit; ita qui odit; irrogat mala iis, quos odio habet. Constat ergo, Deum nec solùm irasci, nec solùm beneficum esse, nec vtroq; affectu carere. Quid igitur restat, nisi vt alijs irascatur, erga alios gratia moueatur? & sic Mundum, tanquam maximus Paterfamilias, vtraq; virtute iustitiæ & misericordiæ gubernet? hos foueat, illos plectat, aut etiam immerentes exerceat, prout summæ illius placuerit Maiestati, & prout vnicuique optimum esse iudicârit. Quod si homines vigilantissima fide crediderint, in omni fortuna constituti, & amabunt eum, & metuent, *& benè patientes erunt, vt annuncient: Quoniam rectus* Psal. 91. 16. *Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.*

Hac iustitiæ misericordiæque mixtura duo hominum genera erudiuntur. Sunt enim molles quidam, qui optarent, Deum ita bonum esse, vt nullum vnquam puniret, sed omnia conniueret; sic enim præmia tantum speranda, nulla supplicia mortalibus essent metuenda. Nimirũ hi scelerum sunt patroni, nõ innocentiæ fautores. Si enim iam tot inueniuntur, qui flagitiosè viuunt, quid fieret, si sine metu essent, & impunitate? Pyrrho Eliensis, in tempestate, conspiciens ceteros esse animo deiectiores, cum ipse nihil moueretur, ostendit porcellum, in naui, securè edentem, dicens: oportere sapientem eam animantis imitari securitatem. Egregius sanè Philosophus, qui sapientiam voluit docere exemplo porci, cui anima pro sale est, & quo nihil insipientius potest reperiri. Hoc ipso enim hoc animal stolidum est, quia præsentissimum periculum non formidat. Homini autem Deus & natura non indidit tantùm sensum voluptatis, vt bonis frueretur, sed etiam futuri mali metum, vt discrimina caueret. Quare & ipse debuit iusti- IV.

tiæ suæ rigorem proponere, cuius formidine mali à malo peccandique libidine abstinerent.

S. Ambros. lib. de Fuga seculi. c. 2.

Eleganter D. Ambrosius: *Tertius*, inquit, *est ordo regalis potestatis contemplatio, vt bene subijciamur regi, si non deferimus tanquam parenti. Metu enim præsidentis plerumq; fit obediens potestati, qui est saluti ingratus, vt necessitatem, sobrietatis agnoscat, qui noluit ac nequiuit gratiam pietatis agnoscere. Corrigit ergo necessitas, quem pietas prouocare debuerat.* Quod iumento frenum, hoc homini metus. Hinc *euidens*, ait idem S. Pater, *generalisq; ratio, quia omni improbo mala & adsunt, & adfutura sunt. Quæ adsunt, tristitiam operantur: quæ futura, formidinem. Sed improbum plus præsentia, quam futura solicitant.* Et infra. *Angustæ mentis homo, præsentem mortem veretur, perpetuam negligit: & diuinum Iudicium non reformidat: interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui Legis diuinæ viam violauerat: nec præsumere de subiectis animalibus ceteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente.* Esse ergo metum, qui impios vrgeat, docuit Cain. Quin &

Idem lib. 2. de Cain. c. 9.

Horat. lib. 1. serm. satyr. 3

Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis euoluere mundi.

V.

Non omnes amor virtutis trahit. Sunt & seruiles animæ, quæ nihil faciunt, nisi scuticæ habenis tremefactæ. Si laus abstinentiæ non incitat, *diuinæ potestatis formido, te sobrium faciat, inflectat metus.* Et, quia *nihil deest timentibus eum*, Dauid ait: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Vtiq; timor Dei de numero virtutum est*, ait idem S. Antistes, *quia initium sapientiæ est timor Domini, per quem addiscitur piæ formæ doctrinæ.* Et tantùm valet iste timor, vt elidat timorem tyrannorum. Ita enim S. Ambrosius, alio loco scribit: *Bona ergo trepidatio à verbis Dei, si exultationem generat. Qui enim trepidat à verbis Dei, postea exultat in Dei verbis. Ergo qui habet in aula sua, corde videlicet suo, verba Dei, excludit sermones principum à corde suo: excludit timor timorem. Si enim quis ingressus balneas, solis deponit æstus, & calor excludit calorem: quanto magis diuini Iudicij terror hunc terrorem excludit humanum, feruorem gratiæ secularis, gratiæ feruor æternæ?* Ob has talésque caus-

S. Ambros. lib. de Fuga seculi cap. 2. Idem. lib. de Iacob. & vit. beat. c. 3.

S. Ambros. lib. super Beati imac.

sas,

sas, præstat vtique esse in Mundo metum à diuina Iustitia venientem; & his erudiuntur molles illi, qui optarent, Deum ita esse bonum, vt nullum vnquam plecteret. Optant enim isti scelerum impunitatem.

VI. Sed & aliud est genus hominum, qui cum Carpo efferuescunt, & illico volunt omnes fulminari peccatores. Quippe ni tales reperiantur, cum & Apostoli nimio zelo ebullientes dixerint: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Luc. 9. 54. sed rectè Christus *conuersus increpauit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* ℣. 56. Nempe, vt olim vna gladium, altera librum gerenti dictum est; *Ex vtroq; Cæsar*: ita Deo dici debet, prouidentiam eius ac gubernationem constare operibus misericordiæ & iustitiæ scelera vindicantis. Quo sensu dicitur: *Omnes viæ Domini misericordia & veritas,* Psal. 24. 10. seu iustitia, vt adeò iustitia dimidiam quoddammodo, & benignitas Dei alteram dimidiam diuinæ prouidentiæ gubernationisque partem occupet. Sic nemo præsumere, nemo potest rectè credens desperare; nemo nimiam vel indulgentiam, vel inclementiam Numinis accusare.

VII. Zeno Eleates, cum ascenderet in theatrum, cithara canente Amœbeo, versus ad discipulos dixit: Eamus, vt pernoscamus, quam vocem, quemq; concentum edant intestina, nerui, lingua, & ossa, quibus adest ratio, numerus & ordo. Si in rebus inanimis tantum valent illa, quanto plus valebunt, si in omni hominis vita seruentur? Hæc ratio, numerus & ordo multò magis seruandus est, in hoc Vniuerso. Pulcherrimè concinunt, Iustitia & Misericordia; Timor & Amor; ille pro freno est, iste pro calcari. Terribilis & metuendus est Iudex Deus; sed, ne quis desperet, amabilis est & desiderabilis animæ sponsus. Itaque non tantùm terret, non tantùm punit; sed etiam mulcet & protegit. *Quoniam, secundùm altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Psal. 102. *Confirmauit Dominus misericordiam suam*, ait S. Augustinus, *super timentes se. Secundùm quid? secundùm altitudinem cœli à terra. Quid dixit? si aliquando potest cœlum abscedere à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende: cœlum vbiq; atq; vndiq; protegit terram, & nulla pars terræ est, quæ non cœlo protegatur. Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, cœlo tamen proteguntur. Inde lux ad o-* S. Augustin. in eund. Psal.

culos, inde aër, inde ſpiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis miſericordia à cœlo. Tolle auxilium cœli à terra, ſtatim deficiet. Sicut ergo protectio cœli permanet ſuper terram, ſic protectio Dei permanet ſuper timentes eum. Times Deum? ſupra te eſt protectio ipſius. Sed fortè flagellaris? & putas, quia deſeruit te Deus? ſi deſeruit protectio cœli terram. Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra confirmauit miſericordiam ſuam Dominus timentibus eum. Iam ſæuiat, quantum vult, pater eſt. ſed afflixit nos, ſed contriuit nos? pater eſt. Quid filius in patre tam amante, poteſt iniuſtum iudicare? Immò quid poteſt iudicare, niſi paternum? Etiam, cum punit, pater eſt. At, ſi vel Chremetem Terentianum audias,

Terent. in Andria. act. 3. ſcen. 3.

Pro peccato magno, paulum ſupplicij ſatis eſt Patri.

CAPVT IX.

Exempla prouidentiſſimæ, in homines, diuinæ Bonitatis.

I. HAEc Dei vel parcentis, vel iraſcentis adminiſtratio, etiam exemplis poteſt demonſtrari; quæ tam ampla eſt, vt etiam gratiam in peccantes diffundat, tam profunda, vt etiam amicis aduerſa immittat. Quod ſi homines ſeriò perpenderent, longè parciùs aut in ſic amantem, aut in ſic benefacientem peccarent. Quàm multi enim diuinæ diffidunt Bonitati? quàm multi, pro ventre & ſagina, nimis ſolliciti dicunt? *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo cooperiemur? quæ omnia gentes inquirunt.* Hinc vt canis pane, & auis eſca capitur, ſic diabolus multos capit ſolicitudine ciborum. Prou. 6. 26. *Precium ſcorti, vix eſt vnius panis*; vſque adeò fruſtum panis ſequitur non equa modò, ſed etiam lupa. Quis docuit Pſittacum ſuum χαῖρε? *Magiſter artis, ingenij largitor Venter.* Itaq; non gentes tantùm, ſed etiam beſtiæ, & impudicæ mulieres, beſtijs abiectiores, nihil non faciunt, vt panem acquirant. *Græculus eſuriens, in cœlum iuſſeris, ibit*; quid dico in cœlum? multi quotidie, menſæ cauſſa, in ipſum eunt Acherontem. Meritò igitur ait Dominus: *Nolite ſoliciti eſſe: ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Itaque cum Stygius hoſtis mul-

Matth. 6. 31.

tos

tos aggreditur alimentorum curâ; cum iam hunc, iam illum alloquitur: *Dic vt lapides isti panes fiant*; cum iubet omnem lapidem moueri, vt venter impleatur; cum varias artes docet pecuniæ, panis, vini parandi; cum denique à se vult disci, quomodo liberi, vxor, familia, humana vita sit sustentanda, & cum sexcenta hoc genus insanit; gladio aptiore non potest repelli, quàm diuinæ Prouidentiæ Bonitatisque protestatione; quæ clarissimè indicatur illis verbis: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quam artem etiam docuit Dauid, cum esurienti dixit: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ne puta eum tui oblitum, & ne dicas: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suũ, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Matth. 4. 3. Matth. 4. 4. Deut. 8. 3. Psal. 54. 23. Isa. 49. 14.

II.

Exemplorum affatim diuinæ paginæ subministrant. An non enim primum hominem in admodum fructifero horto collocauit? An non Patriarchæ Iacob filijsque eius, in summa annonæ caritate, per Ioseph um Ægypti saluatorem, alimenta prouidit? An non in ipsa solitudine fontem de petra, panem de nubibus eiecit? & quidem panem sapidissimum? Nam *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* An non, tempore tam diuturnæ famis, Eliæ *corui deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente?* An non eidem postea, per piam viduam, in Sarephta Sidoniorum, de mensa prospexit? An non, quando ipse Christus diabolum à se reiecit esuriens, qui eum lapides comesse volebat, *Angeli accesserunt, & ministrabant ei?* An non vel solorum virorum quinque millia quinque panibus hordaceis & duobus piscibus satiauit, idem Dominus, in loco deserto, vbi neque furnus erat, neque pistor? Hæc aliáque complura diuinæ litteræ prodiderunt. Sed quia exempla, cum delectatione, docent, age, alia ex alijs quoque historijs adducamus.

Ps. 77. 24. 3. Reg. 17. 6. Matth. 4. 11. Ioan. 6. 10.

III.

Heribertus Rosvveydus vir eruditus, & ab historijs SS. Patrum clarus, ex D. Hieronymo alijsque antiquæ fidei & sinceritatis Scriptoribus, inter varias Seniorum vitas, refert, S. Frontonium, quem Martyrologium Romanum 14. April. Vsuardus & Ado, Frontonem (non illum S. Petri discipulum, Episcopum Petragoricum, sed Alexandriæ Abbatem) nominant, sub Antonino Imperatore, anno tertio decimo Imperij eius, in Ægypto, cum Mundum, tanquam Diomedeum hospitium, execratus in solitudinem

Rosvveid. lib. 1. de vita & verbis Seniorum. 14. Apr. pag. 238.

profugere vellet, instar diuini magnetis cuiusdam, septuaginta adeò fratres secum traxisse: quibus persuasit, vt nihil secum, præter minuta olerum semina, & palas sarculósque deferrent, vsus illis verbis Domini: *Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Quærite*
Matth. 6. 31. *primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Teneamus promissum, & inueniemus in nobis opus Domini conseruatum.* Hac oratione, diuinæque Prouidentiæ & Bonitatis sponsione, incensi septuaginta viri, instructum ab omnibus rebus necessarijs, monasterium, commoditates maximas, liberales piorum hominum manus, & obuia auxilia, vno verbo, cellam & culinam, penum & focum deseruerunt; & loca inculta, deserta, aspera, vix ipsis feris habitanda adierunt. Ibi, vt omne principium feruet, vigilijs, precibus, ieiunijs, laboribus varijs Deo cupidè seruierunt, tantò cælo viciniores, quantò remotiores à mundo. Angelos dixisses. Sed quò non penetrat, seu tentator, seu tentatio? Multos inclaustris frangit asperitas, multos fatigat diuturnitas: & non rarò primi spiritus religionis, cum tempore, intepescunt, aut omnino cadunt. Quin Sathan Tartareus ipse quoque cibum electum affectat, & Cerbero, si bolum adipiscatur non quotidianum, optatò accidit. Sed omnium periculosissima pugna est, cum hostis simulat amicum; qui & Christū in deserto aggressus, amicis in speciem verbis, inimicissimè voluit præcipitare. Tametsi enim non vult Deus otiosis nobis coturnices assatas in os immittere, sed iubet nos sedulò orare: *Panem*
Matth. 6. 11. Luc. 11. 3. *nostrum supersubstantialem*, vel, vt est apud Lucam, *quotidianum, da nobis hodie*; immò vult nos ad aratrum manum applicare, vt *in*
Genes. 3. 19. *sudore vultûs* nostri, vescamur pane nostro, vt impleatur illud: *maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ:* non vult tamen nos totos esse, in pastu quærendo, more pecudum nonnullarum. Quin sacratiores seruos suos, extra petitionem memoratam, non vult cogitare aut dicere: *Quid man-*
Matth. 6. 31. *ducabimus, aut bibemus, aut quo cooperiemur?*

Per hanc ergo ipsam etiam machinam tam sancto cœtui
IV. expugnando variæ vndique & vndique, ex Orco, ad signa cohortes confluxerunt. Inopia submisit famem, inedia imbecillitatem, caro tristitiam. Dæmon, postquam Christi athletas vidit famelicos, & esuriones factos, quasi in inclinatam aciem, ita saxa locutus

iden-

identidem immisit *lapides* : nempe, nimis duram esse, ac velut saxeam vitam Eremitarum: tolerari hanc austeritatem non posse: humanam illis naturam esse, non Angelorum: nec vtique vno sudore hauriendum esse hunc laborem; duraturum vsque ad mortem; quam ipsam hoc genus vitæ, non sine homicidij crimine, sit procuratura. Hæc cogitantibus ostendit *omnia regna Mundi, & gloriam eorum*; obiecit dapes; depinxit spumantes pateras; exposuit quidquid est deliciarum. Facilè in ruinam impelluntur, qui iam antè claudicant. Itaque esuritione tristes & sui impatientes subijt pœnitentia, & postliminiò ad cæpas atque allia respexêre. Iámque in apertas murmurationes cæperunt erumpere, atque inter se mussitare: Cur Frontonius nos huc miseriarum è portu in scopulos duxit? Cur non mansimus in securo? Quin redimus ad communem hominum vitam? An non & illi, qui in vrbibus & arcibus degunt, boni esse possunt? An non & illi, licet fame se se non enecent, possunt salutem æternam consequi? *Quis poterit cibo viuere Angelorum*? Palleſcit vultus; genua labant; ob inediam, pedes corpus non ferunt; nec oculi caligantes officio suo funguntur; denique fame morimur. Et quid mors nostra Numini proderit ieiunio accelerata? diu qui viuit, diu Deum laudat. Hæc illi.

V.

Audiens Frontonius eorum murmur antè, quàm ad eum conuenirent dicentes aliquid, ipse præueniens eos ait: Quousq; irritatis Deum murmurantes in cordibus vestris, & dicentes: Nuncquid qui eremum inhabitant, hi tantùm sunt Dei serui? & quis ex cibo poterit viuere Angelorum? Conueniamus ad Abbatem, & loquamur ad eum: vt habitemus in ciuitate: quia si qui nos illic viderint, opportunè nobis, iuxta Dei votum, dirigunt escas, prout cuiq; Dominus dederit facere. Illud autem scitote, quia non necabit Dominus fame animam iusti. Ecce oculi Domini super timentes eum, vt alat eos in fame. Psal. 32. *Et illud non memoramini scriptum, quod ait Apostolus: In fame & siti?* 2. Cor. 11. *sed vobis quoq; in eremo nunquam defuerunt radices herbarum, nec manssistis aliquando ieiuni. Recordamini autem, quia antea locutus sum vobis: Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc* Matth. 6. *enim omnia gentes mundi quærunt. Nouit Dominus cibum dare timentibus se. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Si enim Dominus volatilia pascit, & coruos non deserit: quomodo nos derelinquere poterit, ipsum iugiter in mente habentes,*

tes, eumq; assiduè orantes ? si fame defecerimus in eremo , nos Dominum accusemus, & improperemus ei , cum ad ipsum venerimus , dicentes : Credidimus Euangelio tuo, vbi dixisti: quod vniuersos in te credentes, cœli pabulo pasces : fecimus cuncta quæ præcepisti , sperauimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti , hîc magis , vt probes veritatem , redde , quod promisisti. Nolite ergò murmurare aduersus Deum, ne murmurantes, sicut Patres nostri in deserto , à serpentibus pereatis. Quod si expectaueritis Dominum, quando voluerit , dabit bona timentibus se. Quo dicto siluerunt paululum à murmuratione sua : erant tamen in mœrore positi. Huc vsque Frontonius, apud dictum authorem.

V I. Nondum tamen hic finis historiæ : sed interponendum est aliquid priùs, quàm illam totam percensеam. Cur enim in mœrore positi isti, Abbas autem, plenus spe & fiducia, in gaudio fuit? Nimirum illi Deum quidem crediderunt vbique præsentem , sed de Dei Bonitate non satis bene senserunt , sed fiducia Dei caruerunt ; Abbas autem , cum sciret tam bonum Mundi Gubernatorem, tam potentem Conseruatorem, tam pium Patrem, filijs suis vbique adesse, persuasissimum habuit , immò, vt certum fidei articulum tenuit , neminem sibi, absque eius voluntate, nocere, nihil necessariarum rerum deesse posse. Nam *qui habitat in adiutorio Altissimi , in protectione Dei cœli commorabitur.* Et si, eo volente, cibus aliquando deficit , *non in solo pane viuit homo , sed in omni verbo , quod procedit de ore Dei.* Sic S. Catharina Senensis , *aliquando à die cinerum, vsq; ad Ascensionem Domini , sine cibo , perduravit , sola Eucharistiæ communione contenta.* Quod & in Nicolao, apud Heluetios , per multos annos, videre fuit. Potest etiam fieri, vt Deus aliquos fame sinat extremè affligi. Quod si fiat , vtique de manu id Domini est accipiendum , qui potestatem habet vitæ necisque nostræ. Frontonius sciebat Bonitatem diuinam esse tantam , vt de ea nulli sit diffidendum. Quod vtinam scirent omnes ; non tam multi malis se artibus alerent, non furtis digitos, non rapinis manus contaminarent ; non fraudibus, non mendacijs, non periurijs pecuniam facerent ; non se turpi quæstu alerent ; non venderent pudicitiam , non interuerterent testamenta; non spoliarent in siluis & crumena, & vita viatores ; non traderent Iudæis, conuulnerandam , non ipsi cacodæmoni porrigerent contumelijs fædandam SS. Eucharistiam : non tantopere laborarent,

Psal. 90. 1.

Matth. 4.

Ludouicus Blos. in. Appendice Monilis spirit.

rent, in impetrandis schedulis & facultate carnibus vescendi, tempore quadragesimæ; quippe alimentum à Deo sperarent, putaréntque, cum tribus illis sanctis pueris, ipsa se abstinentia forciores pinguioresque. Nouit ille dare necessaria, nouit vires confirmare suorum: qui diuitibus, &, cuticulæ caussa, nimis solicitis, delicatéque ventrem implentibus, longè plures morbos immittit. Semper enim laborant catarrhis; semper de capite, aut dente queruntur; semper cordolium, calculum, stomachi cruditates, podagras & chiragras accusant, cũ seipsos accusare deberent; sua sibi intemperantia talia accersentes; semper poscunt sumúntque medicinas; vt multi plus accipiant à pharmacopola, quam è culina. Hæc iusto Dei Iudicio, vtrisque contingunt; vt & appareat, *non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* dum mucido pane victitantes valetudine sunt meliore; & prudẽtia carnis, velut Tantalus in vndis, ipsa abundantia sua puniatur.

VII. Vt ergo homines in exemplo doceret, diffidentésque fratres emendaret, & pariter Frontonij fidem etiam in nos diffunderet Numen, illo ipso tempore, quo de victu nimium quantum soliciti erant, Angelum de cœlo misit ad copiosum quendam hominem, quadridui itinere à Monachis distantem, ad obsonandum. Intẽpesta nocte, diues lecto suo accubans dormiénsq; nihil minùs, quàm de liberalitate somniabat. Aurum plenis manibus comprehendere, Philippæos asperos sibi videbatur numerare, & Iouialibus cœnis interesse. Hunc Angelus, alia repentè oblata imagine, ita compellauit: Nempe tu ille splendidus es epulo, qui ventrem saburra imples, & plus solus degulas, quàm alij decem; semper satiatus, nunquam famelicus; amphora, gurges, helluo, & vnus de genere Apiciorum; solúmque natus, vt fruges absumas: at serui mei, in dura solitudine, in labore aspero, neque panem habent, quo sustentur? Ad quid tibi diuitias dedit diuina liberalitas? nisi vt possis esse liberalis? An, vt te cibis occideres? vel, vt pauperes illius in vita seruares? Expergiscere, miser, &, ni malum vis, audi, quid mandet Deus: Quàm primùm diluculabit, seruis illius, ex omnibus, quæ tibi data sunt, sportulam transmitte. Neque graue hoc tibi videatur. Magnum beneficium præstat vniuersi Dominus, si quem gregis sui facit procuratorem. Doni loco ab eo accipit, quæ ipse donauit. Qui ergo te semper pauit, vult nunc à te ipse pasci. Nam placuit illi, ex elee-

mosyna tua, reficere pauperes suos; & quidem eos, qui se se illi in locis solis totos consecrauerunt. Hæc exequere. Si neglexeris, scito, te superos iratos, si feceris debitores habiturum.

VIII. Terruerunt eum hæc verba, & somnos ruperunt. Nec enim potuit diutiùs dormire à cœlo tam robustis vocibus excitatus. Itaque multò, quàm consueuerunt isti, citiùs stratum deserens, de toto negotio seriò cogitauit. Cum autem nesciret Eremitarum locum, non illico se se excusatum censuit; non sua solùm nixus est prudentia, neque sibi ipse senatus esse voluit; sed necessarijs, amicis, officijs seruisque vndique conuocatis somniúmne dicam, an visum nocturnum? ordine narrauit; & se parere monitis promptissimum ostendit. Ceterùm, quia ipse ignorârat, vbínam locorum serui illi Numinis morarentur, consilium viámque sedulò rogauit; æquè auidus itineris noscendi, atque exequendi mandati. Adhuc in eum diem Frontonius, cum suis, latebat, in abditissimo montis loco; quem ipsum, ne dum ipsos, præter ipsos nemo nouerat. Quare neque experti, neque qui senectâ erant ætate, consilium viæ exigenti potuerunt respondere. Et tamen (ô Iudicia Dei!) nondum satis egit, qui consilium non inuenientibus, aut in longum differentibus, sat se egisse arbitrabatur. Quis non putaret, talem excusatum? quis non somnium inane fuisse, interpretaretur? Nesciebat locum, non nouerat homines; post accuratam inquisitionem, ne diuinare quidem potuit, vbi inuenirentur. Et facilè fortasse etiam erat diuiti, ventis tradere mandatũ liberalitatis.

IX. Itaque, curâ eleemosynæ largiendæ omni sepositâ, securus sui, nocte altera quieuit. Sed non quieuit Deus, qui sæpe angustijs plagísque homines adigit ad bene agendum. Adest ergo iterum Angelus, nec iam mitibus atque amicis, sed sæuis, indignantibus, & minantibus verbis vrget torpentem ad seriam mandati executionem; ac, ne denuò somnium esse existimet, addit verbis acribus grauia verbera, & ictibus confirmat sermonem. Tũ verò ille se è plumis actutum proripit, rursúmque, & familia omni, & vicinis vndique citatis, consilium non iam rogat, sed flagitat, iubétque, per alios quoscunque, sedulò inquiri in habitationem Eremitarum, si ipsi nesciant. Verbis vim lachrymæ addiderunt; lachrymas autem non de nihilo cadere, ostendebant nondum obductæ cicatrices, ab Angelo percutiente, relictæ. Multùm agitata est quæstio. Nescientibus cunctis, nec viam consulendi inuenien

ti-

tibus, vnus diuina luce perfusus in hæc verba est locutus. Etsi mihi & viri illi, & eorum sedes incognita est, fortasse tamen consilium suggeram haud insalubre. Sunt tibi cameli septuaginta: his onera impone, & quicquid ad vitam seruorum Dei sustentandam necessarium est, è clitellis suspende: tum id facito, quod olim Philisthæi, iuxta consilium suorum Sacerdotum; nam *tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosq; earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.* Pari pacto tu cibarijs camelos onera, solósque, & duce destitutos, viæ committe. Quod si diuina hæc est voluntas, vt tuis opibus Ascetæ isti alantur, camelos tibi incolumes, eodem numero, remittet. Sin ab Orco tibi horum animalium iactura imminet, satiùs est iumenta perdere, quàm vitam... Qui enim te flagellauit, vt moneret duntaxat; vt puniat, penitus occidet. Dixit, & persuasit. Nec opulento tantùm illi, sed omnibus pariter, qui aderant, sententia probata est. 1. Reg. 6 10.

X.

Nullâ morâ interposita, educuntur è stabulis septuaginta cameli clitellati, horum quinque fæno & auenâ in dorsum alligatâ, ceteris sexaginta quinque humanus varij generis cibus est superiectus; ita non solùm Dei seruis, sed ipsis etiam bestijs, qui illis seruierant, esca est suppeditata. Sic instructos septuaginta camelos, atque in via constitutos, non sine singultu fletúque, cœlesti custodiæ ac tutelæ solicitus paterfamilias eommendauit, &, sine duce, sine comite, quocumque ferrentur, liberè sibi abire permisit. Nullus homo bestias regebat; sed non etiam nullus Angelorum. Rectissimis enim lineis, per inuia & auia, tendebant ad cænobium Eremicolarum. Quarto die, labore & inedia patientissimè toleratis, eò peruenerunt, atque ante fores, præ lassitudine, non iam steterunt, sed procubuerunt. Primo camelo, sicut & apud nos iumentis per pascua vagantibus, tintinnabulum ad collum erat appensum, vt ad eius sonitum ceteri colligerentur. Sed tum, monachis, hora nona, hymnos psallentibus, tintinnabuli pulsus non audiebatur. Cantu nec dum absoluto, Frontonius Abbas, non procul ab ostio clausstri degens, idem simul & Ianitor, & Antistes, occulto monitu, de fenestra prospexit, vi-

dítq; diuinæ prouidentiæ liberalitatem: nec tamen hoc tantum diuinæ Bonitatis gaudium antè fratribus ſuis indicauit, quàm Numini debitas laudes abſoluiſſent. Redeuntes è choro ad ſe vocauit, monſtratísque ordine camelis, ac oneribus ſarcinísque eorum, dixit: Vbi ſunt diffidentiæ, vbi murmurationes veſtræ? En præſentem nobis Dominum! en Patrem, Bonitate ſua, nobis incredulitatis vitium exprobrantem! Adeſte, iumenta oneribus liberate, laſſáque reficite.

XI. Dici non poteſt, quantis lætitijs inceſſerint, quantis gaudijs ſint inundati, in quantas Dei laudes effuſi? Tum & ipſi, & cameli ſunt cibis recreati. Quoniam autem plus attulerant, quàm neceſſe erat modico viuere aſſuetis, noluit S. Frontonius occaſionem dare cupiditati habendi. Nec enim ex illa hominum claſſe fuit, quæ nunquam poteſt ſatiari, aut dicere, ſufficit. Quare, die inſecuto, camelos iterum media parte omnium rerum, quas apportarant, oneratos, & cum ijs auaritiam pariter à ſe ablegauit; Eulogias ad proprium Dominum remittens. Minus erat octo dierum, cum is expectauit, horis iam etiam ſingulis in digitos miſſis, reditum camelorum: nec ſine metu fuit triſtitiáque amiſſorum. Vt quid enim beſtiæ tam diu impaſtæ? An non leonum aliarúmque belluarum famem potiùs, quàm Eremicolarum hominum ſatiauiſſe erant exiſtimandæ? ſine via, ſine duce mittere, quæ prudentia? iámque conſilium in quod priùs omnes pedibus iuerant, paſſim damnabant, pœnitebátque, rectè feciſſe. Dies erat poſterus & octauus, quo vicini amicíque omnes ad Diuitem confluxerant, vt eius dolorem ſolantibus verbis lenirent, paritérque diuinam clementiam exorarent, ne tanta ſeptuaginta camelorum iactura largiſſimæ eleemoſynæ meritum compenſaret. Ita mœſtis & ieiunis omnibus vnà confidentibus, repentè cæpit aura ſpirare: cum auræ ſonitu, tintinnabuli ſonitus, ſed ſubobſcurus, vni eorum ad aures allabebatur. Preſſit vocem, & attentior videbatur ſibi percipere ſonum ſemper propinquiorem, de montibus, aduenientem. Exclamat, Euangelium, Euangelium bono nuncio date: redeunt cameli. Exſurgunt omnes propere, quà cuique proximum eſt, currunt, volant; vident, eodem agmine, ordine, numero, itinere, cunctos ſaluè redeuntes. Fit ingens clamor, &, in triſtitiæ locum, gaudia immenſa ſuccedunt: gloria Deo laudésque dantur. Hæc primus aſpectus effecit. Aſt vbi propiùs ventum, tum lætitiæ

tiæ longè magis creuerunt. Neque enim solùm cameli, qui iam perditi putabantur, recepti; sed nulla macie infecti, nullo tristi vultu luridi, insuper & media parte missorum munerum diuites inuenti. O quis tum omnibus sensus! ô quanta gratulatio! quę exultatio Domini! quæ lætitia seruorum, qui applausus amicorum, ac vicinorum! præsertim, cum, redditis camelis, nobilissimũ conuiuium & illis omnibus præsentibus, & quàm plurimis insuper aliunde pauperibus inuitatis apparauisset; Eulogiásque sibi remissas, inter eos, lætissimè distribuisset. Nec stetit hîc lætitia: ex illo enim deinde anno, quotannis, vsque ad mortem S. Frontonij, tempore, quo camelos primùm miserat, diligentissimè annotato, diues ille semper ad D. Frontonij monasterium, eosdem, sine duce, misit, tantò certiùs redituros, quantò sæpius eandem viam recalcare didicerunt; quantóque ducibus Angelis, quàm hominibus, viæ sunt notiores.

XII.

Videtis, quo modo Vniuersorum Dominus, aut quid diuitibus imperet? opes vult eos suas cum pauperibus habere communes. Videtis, quantam habeat curam suorum? Angelos mittit: somno sopitos excitat; vigilantes instigat; brutas animantes ipsas, per desertas solitudines, agit, vt illis cibum afferant, in tempore opportuno. Quid putatis tunc Eremitas fecisse? an non omnem solicitudinem abiecerunt temporalium rerum? an non murmurare, & querelas spargere desierunt? an non, post illa, Domino in lætitia seruierunt? Idem & nos facturi sumus, si spem in Deo, non in Mundo, non in aulis, non in nostris industrijs, figamus; si à cælo, non ab Orco auxilium flagitemus: si in partes assis nostri veniat, non quod prudentia carnis suggessit, sed quod virtus suppeditauit: si existimemus, *hominem non in solo pane viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Tunc enim non iam ebulliet murmuratio; non erumpet querimonia, non metus futuri alimenti quatiet; quia fiducia in Mundi Gubernatorem concepta, hæc omnia abstergit. Fiduciam autem inducit firmátque diuinæ præsentiæ, scientiæ, potentiæ, misericordiæ, non nuda & frigida cognitio, sed assidua & practica meditatio. Sicut enim cibus visu aspectúque cognitus nihil iuuat; sed cum in ore teritur, cum in stomacho digeritur, tum demum vires roborat; ita parum prodest diuina scire, ad curiositatem; nisi etiam sciantur ad pietatem. Sciuntur autem, si meditatè atq; ad vsum cogno-

Matth. 4. 4.

scuntur: quod fit, quando lecta, vel intellecta vitæ nostræ actionibus accommodantur. Si ergo Deus vbique est, si tam bonus est, vt à gratia velit innotescere, si à misericordia nomen sibi facere; si in eo sumus toti, & ille totus in nobis existit; quantæ spei, quantæque lætitiæ causa est, tantæ scientiæ, potentiæ, clementiæ thesauros, intra nos, hoc est, in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animæ viribus, in intellectu, in voluntate, in omnibus membris, in omnibus corporis particulis contineri? Cum ergo & omnes illius adsint opes, & nos capaces simus earum, & ipse proniſſima voluntate diuitias suas diffundat in eos, qui ad illum confugiunt; longéque facillimè, qui ex nihilo omnia producit, possit, non solùm in anima gratiam creare, sed etiam corpori necessaria omnia aliunde adducere; cum possit commouere parcos ad largitatem, immites ad misericordiam, auaros ad liberalitatem; aut, euocatis locupletioribus ex hac vita, hæreditates opulentas in egenos deriuare; immò, sicut tres pueros, oluscvlis pinguiores facere, quàm alij Iouialibus cœnis & regum delicijs efficiantur; cum camelos ipsos sine ductore regere, sine pastu, pluscvlos dies, conseruare; *quid timidi estis, modicæ fidei*? quid contra Dominum murmuratis? quid indignè fertis? quid ad artes malas confugitis? quid iugum illius detrectatis? in simplicitate cordis, rem vestram agite, & aget suam Deus: seruite illi, & seruiet illevobis, supra consuetudinem aliorum dominorum.

XIII. Neque verò Religiosis duntaxat ista dicuntur, qui omnem harum rerum curam Superioribus debent relinquere, & non culinæ, sed toti cœlestibus vacare; verùm multò maximè occinenda sunt ijs etiam, qui vitam omnem diurnis nocturnisque laboribus impendunt; qui iam timent, ne morbis debilitati, inidonei efficiantur, ad panem quærendum; iam, ne filij multiplicentur supra facultates: iam, ne hostis irrumpat, & longis curis parta auferat, & mille talia, quæ inquietos reddunt. Seruiant illi Deo, & Deus alet seruos suos. Impendant, in quadragesima, operibus pœnitentiæ, quantum in Bacchanalibus luxui impenderunt; extenuent ventrem ieiunijs, quem distenderunt epulis; emacient faciem inedia, tegant genas pallore, quas antea laruis deformarunt, & dæmonibus similes reddiderunt: induant tunicam cilicio vtiliter molestam, habitumque seipsos flagellantium, qui ridiculis stultorum vestimentis tecti, per plateas, Mænadum, aut thyr-

sos

sos vibrantium Baccharum instar, insaniuerunt: denique qui hostem peccatis suis meruerunt nobis adducere, virtutibus suis eundem propellant. Gerit enim se Deus erga nos, quemadmodum nos ipsi nos gerimus erga Deum. *Nulla creatura est*, ait S. Augustinus, *quæ non, velit, nolit, diuinæ prouidentiæ seruiat. Facit enim cum ea, quæ ex animo seruit, quod bonum est: de illa verò, quæ hoc non vult, fit, quod iustum est.* S. Auguſt. in epiſt. ad Galat.

CAPVT X.

Aliunde maximè relictos, à Deo maximè curari, ostenditur exemplis veteris Testamenti.

I. Max. serm. de Prouid.

QVaculi suffragio sapientissimus Socrates solebat dicere: *Si quid cura potest, illud cures: at si Deus ipse te curat, cur tu solicitus tibi sis?* Duo monuit, ne negligentes simus, vbi Deus nos vult labore nostro aliquid emere; & ne, vbi opera nostra inutilis est, diffidamus Deo nos curanti. Ob primum, ait S. Augustinus: *Cum viderimus, aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus, eum de crastino solicitum esse: nam & ipse Dominus, propter exemplum, loculus habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est: Ea quæ ad vitam sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem.* S. Aug. lib. de serm. Domini in monte. Ob secundum, præter suprarecitatam S. Frontonij historiam, multa nobis alia paternæ suæ curæ exempla Dominus reliquit, quæ meritò possint spem fiduciámque nostram accendere.

II. Petr. Ribad. in vita S. Ignat. l. 5. c. 9.

Et quanquam, vt in prouerbio est, manus cum Deo mouendæ sunt, Sanctus tamen Ignatius noster egregiè docuit, semper pluris faciendam Dei opem, quàm omnia mortalium auxilia. *Adijt aliquando Ignatius ad salutandum Principem virum nostri studiosum, à quo minùs officiosè, quàm par erat, exceptus est. Caussam Ignatius arbitratus est, quod minùs eius opera, ad res Societatis, atq; patrocinio vteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis nostræ percupidus, molesteq; forsitan ferebat, quòd alios, ad nostram defensionem, se prætermisso, potiùs adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, dicam, (inquit) illi, & apertè dicam, me ante 30. annos à Deo didicisse, vt in ijs efficiendis,*

dis, quæ Dei sunt, omnia auxilia conquiram: sed ita, vt non in externis adiumentis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectore constitutam putem. Quod si, inter hæc subsidia efficiendiq; instrumenta, se vnum esse vult, libenter eo vtemur: sed ita demum, si intelligat, nos ab vno Deo pendere, Deo non hominibus niti. Id vt faciamus omnes, multa nos exempla docent: è quibus pauca seligam.

III. S. Ioan. Damascen. l. de Vita Barlaam & Ioasaphat. Iacobo Billio Prunæo interprete.

Atque in primis illud, quod D. Damascenus, ad Conseruatoris agnitionem, egregiè explicat. *Nam cum nauis, remoto Gubernatore, consistere nequeat, verùm statim pessum eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus stare possit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat, quo nam tandem pacto mundus, opus vsq; adeò ingens, atq; ita præclarum & admirandum, sine eximia aliqua, & ingenti atq; admiranda gubernatione, sapientissimáque prouidentia, tam diuturno temporis spatio, constitisset? Ecce enim quantum iam temporis fluxit, ex quo cœlum est, nec tamen obscuritatem contraxit; nec terræ vis tam diu pariens elanguit; nec fontes, ex quò orti sunt, scaturire destiterunt; nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit; nec solis ac lunæ cursus immutationem vllam subierunt; nec diei ac noctis ordines inuersi sunt.* Quod si Deus elementis adest, si terræ prouidet, si maria curat, si totam Mundi domum tam diu, tam accuratè sustentat, Mundo ipso nec sentiente, nec pro se solicito; quid sperare poterit homo, cuius caussa & elementa, & totus hic orbis est creatus? Qui sepem curat, an hortum negliget? Qui sementi vigilat, num dormiet messi? aut pilum quàm pellem pluris faciet?

IV. Photius biblioth. cod. CXCVIII. Rosvveid. lib. 5. citat.

Cùm autem tanquam cõmunis parens omnibus prouideat, maximè tamen curam gerit eorum, qui aliunde deseruntur. Laudat Photius Patriarcha Constantinopolitanus, *Sanctorum virorũ librum*, Græco authore incerto conscriptum, in cuius libri septimi fine, apud Rosvveidum, senem iunior interrogat: *Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & nõ habuero, cui me cõmittam, & indicem passionem animi mei, quid facio?* Cui senex respondet: *Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum & gratiam suam, & ipse tibi est consolatio, si in charitate rogaueris eum.* Quibus verbis addidit, audiuisse se, in Scithi, aliquando ciúsce rei hoc exemplum contigisse. Ibi enim Ascetam multis vexatum tentationibus, cum non haberet, cui vel animi tumultum aperiret, sedandúmque præberet; vel apud quem peccata confiteretur, sub noctem, iam cæpisse parare

rare sibi melotem suam, vt, orto die, statione deserta, migraret. Sed nocte media Gratiam Dei, habitu exquisitissimæ virginis, ei apparuisse, vetuisséque, ne inde latum vnguem discederet; sed secum, eodem loco, perseueraret: nihil enim illi mali euenturum: si desint homines, non deesse Deum. Perseuerauit, & illico mentem tranquillam accepit; non accepturus, si alibi quæsiuisset. Nempe cum illo sentire oportet, qui dixit: *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laborauí: non ego autem, sed Gratia Dei mecum:* quæ tantò plus operatur, quantò plus momenti habere creditur: credit autem is magis, qui humanis viribus fidit minùs. 1. Cor. 15. 10.

V.

Appositè hîc recenseri potest, quod lepidè gestum idoneus author scribit, de Aleyde prudentissima *Vallis-Ducis* Abbatissa. Clarissimus Brabantiæ Dux Henricus huius nominis secundus, filiæ suæ Margaritæ, in Brabantia, nobile cœnobium *Vallis-Ducis* dictum exædificârat, ordiníque Cistertiensi sacrum esse voluerat. Ei cœnobio prima præfuit Aleydis prisci & integri moris, vt & stemmatis, femina, cui neque ingenium defuit, neque virtus, neque linguæ gratia, aut lepos loquendi. Hoc cœnobium, vt de more visitaret Guilielmus Villariensis, postea Clareuallensis Abbas, friuolas Monialium, contra eam, & planè muliebres de nihilo querelas excepit. Querelarum grandissima erat, quòd Antistita fratribus Dominicanæ & Franciscanæ familiæ hospitio acceptis vinum atque pisces apponeret; tunicas quieturis mundulè lotas præberet, pedésque eorum calida iuberet ablui: quæ tamen *omnia non faceret Monachis sui ordinis, cum venirent*; quibus vtique par esset, liberaliorem curam impendere. Audijt hanc sui accusationem prudens & ingeniosa mulier, atque modestè subridens licentiam petijt respondendi. Qua obtenta: Vera, inquit, sunt, de quibus accusor, negare non possum; possum tamen excusare, si causam rationémque volunt audire sorores meæ. Prædicatoribus & Minoribus fratribus, vinum & pisces, cum possum, largior: siquidem illi pecunia destituti talia sibi emere nequeunt: *vestris autem Monachis id ipsum non facio, quia egredientibus, vt confido, & scio, datur pecunia, vnde possunt emere & habere.* Fratribus, qui pedibus conficiunt iter, cœnóque lutati ac lassitudine pleni, apud me diuertunt, tunicas, vestésque linteas non obsoletas suppedito, vt nocte commodiùs quiescant: *Monachi autem nostri equites vadunt.* Thom. Cantipratanus l. Apum. 2. c. 10. §. 8.

& in manticis suis tunicas & vestes portant, quas cum voluerint, potuerunt immutare. Fratribus illis aqua pedes curo recreari, quia eos sudoribus & luto sordidos afferunt: *Monachis autem vestris idem non facio, quia equis altioribus insidentes ab immunditys talibus possunt conseruari.* Hoc responsum vbi Abbas, vbi Monachi, vbi Moniales audiuerunt, risu leporem, silentio & admiratione tacita sapientiam Antistitæ approbârunt.

VI. Ad eundem modum diuina Prouidentia iudicat iuuandos, qui aliunde destituuntur; aliunde autem sibi nimis attentè anxiéque prouidentes censet ope destituendos. Nudus erat Adam, nec dum sartor fuit in terris, qui eum Melitensi veste tegeret: & ecce
Gen. 3. 21. nõ dedignatus est Orbis Conditor officiũ subire pellionis: nam *fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Qui etiam hodie multos induit, quos milites exuunt spoliántque. Cur enim nudos esse sineret homines, qui aues plumis, pisces squamis, quadrupedes corijs pilisque tegit? Ingressus erat in Arcam, cum
Gen. 7. 16. animantibus, Noë, *sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis.* Ecce quia nemo fuit, qui ostium foris obseraret aut obliniaret, Deus ipse Noëticæ familiæ voluit esse ianitor. Agar ancilla,
Gen. 16. 7. *affligente eam Sarai, fugam iniit.* Fugit homines affligentes, inuenit
Gen. 21. 14. Angelos consolantes. Et rursum, alia vice, cum filio eiecta *errabat in solitudine Bersabee. Cumq; consumta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant. Et* (relicto eo) *abijt, sedítq; è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit.* Sic ab ipsa matre sua destituti *exaudiuit Deus vocem pueri: vocauitq; Angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est.* Sic filio matri
Gen. 22. 10. puteus & aqua à Deo est data. Alter quoque filius Abrahæ Isaac, non iam à matre destitutus, sed à patre lignis & aræ impositus, atque in victimam ligatus, cum eò deuenisset, vt ictum expectaret & ferrum ceruice reciperet (iam enim *Abraham extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum*) ab omni alio auxilio desertus, de cœlo subsidium accepit. Siquidem *Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham: Qui respondit: Adsum. Dixitq; ei: Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam.* Ad hoc auxilium Deus iam tum respexit, cum

Isaac

Isaac iussit victimari, de quo tamen Abrahæ longam spopondit posteritatem.

VII. Actum fuisset de Iacob, quando Laban, *assumtis fratribus suis, persecutus est eum, diebus septem: & comprehendit eum, in monte Galaad*; nisi vidisset Laban *in somnis sibi dicentem Deum: caue, ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* Longè fortior tunc erat Laban, & ad internecionem potuisset extinguere Iacobum; sed deserto, ab ope humana, diuina succurrit manus. Qua de causa dixit Laban: *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue, ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Igitur, nesciente Iacob, caussam Iacob egit Deus: quem, vt amicum, sic habuit & protectorem, etiam tunc, cum Esau in patriam reuertenti *properauit in occursum, cum quadringentis viris.* Nam timens Iacob, & se iterum multitudine inferiorem, rémque humanitus desperatam videns, ad cæleste auxilium confugiens, dixit: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam &c. Erue me de manibus fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem, cum filijs.* Sic orauit, & Angelum impetrauit luctatorem, immò consolatorem ac dicentem: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis?* Quia ergo, in periculis *fratrum quoq; gratia rara*, immò quia ab ipsis fratribus sæpe periculum maximum existit, potuit Iacob haud absonè illud vsurpare: *Frater non redimit, redimet homo?* quid in meis famulis spei ponam, si frater ipse mihi est metuendus? Ergo confugiam ad Deum & dicam: *Erue me de manibus fratris mei.* Quod & fecit Deus, nam, Esau illi occurrente, succurrit.

Gen. 31. 23.

Gen. 32. 6.

Gen. 32. 9.

Psal. 48. 8.

VIII. Non contra vnum fratrem, sed contra multos eum occidere statuentes, adfuit Iosepho quoque benignus Dominus; cui & adfuit in ipso carcere, nec enim *in vinculis dereliquit eum*, cum ab omnibus hominibus derelinqueretur. O quàm sæpe homini homo est lupus, quem non solùm in fluctibus deserit, sed etiam mergit! Quàm sæpe frater sit fratri, quod Romulus fuit Remo, quod Cain Abelo? Vtinam tunc crederetur, in cœlo superesse, qui brachium suum manúmque auxiliatricem porrigere vult in terram, dummodo sit, qui respiciat eam, nec frustra sinat extendi.

Gen. 37.

Gen. 41.

IX. Mirabile exemplum est in Israëlitis ex Ægyto egressis vsque ad mare rubrum. Ibi cum hinc montibus clauderentur, inde

truculentum æquor obstaret, à tergo autem infesto exercitu Pharao eos premeret; illi verò etiam hosti armis impares essent, neq; nauibus traijcere pelagus possent, neque alas haberent, quibus trans montes possent euolare, quid aliud, clamare, humano iudicio, poterat populus, tot diuinorum prodigiorum oblitus, quàm:

Catull. de Nupt. Pelei & Thetidos.

Siccine me Pharijs *abductum, perfide, ab oris,*
Perfide, deserto liquisti in littore, Moyses?
Nam quò me referam, quali spe perditus vtar?
Non *patet egressus pelagi cingentibus vndis.*
Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta:
Omnia sunt deserta: ostentant omnia lethum.

Exod. 14. 3.

Nam ferè adhunc modum locutus est & Pharao de Israëlitis, & Israëlitæ de Pharaone. Ille dixit: *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Cumq; persequerentur Ægyptij vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelesephon. Cumq; appropinquasset Pharao, leuantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valde: clamaueruntq; ad Dominum* (non eo, quo opportebat modo) *& dixeruut ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine, quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te, in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs? multò enim melius erat, seruire eis, quàm mori in solitudine?* Ad quem planè modum, in angustias redacti multi Deo parum fidentes, sed humanis duntaxat consilijs & auxilijs apparentibus nixi loquuntur. Cùm enim ipsi modum non vident euadendi, neque Deo modum esse credunt. Itaque, re desperata, malè cum Deo contenti, quasi se vindicaturi, ita fidem illi datam, religionémque omnem seponunt; ita fidem perfidis adhibent; ita toties decepti decipi ampliùs volunt; immò ita virtuti honestatíque aurum & arces ruituras anteponunt; ita scopus illis omnis est vtile; ita, cum iratâ Iunone, Acheronta mouere, quàm Superos flectere malunt. Quasi non Deus sit verus auxiliator, tempore pacis; aut, in ipsa belli tempestate *Dominus Exercituum*, & dator victoriarum; quo offenso, nemo vnquam vicit; placato, nemo victus est. Isti ergo præposterè, vt vincant, Deum blasphemant, & contra pios, tanquam Israëlitæ contra Moysen, murmurant,

rans, qui pacem reducere, atque eos ex Ægyptiaca seruitute educere, & Pharaonica Tyrannide liberare voluerunt. Si quem enim Moysen nacti sunt, dicentem, *Ibi incipiunt auxilia diuina, vbi deficiunt humana*, illico aiunt: *Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs.* Ad hos igitur tales ait Moyses: *Nolite timere: state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Nouit Dominus ipsum mare diuidere, nouit tollere montes, nouit submergere equos & quadrigas, & totos fluctibus exercitus sepelire. Nam etiã miraculis succurrit suis, quando necesse est. Nec prima vice id fit, quando Deus id facit. Quanquam is, ita est sapiens ac potens, vt etiam sine miraculis, extemplo possit omnia humana consilia disturbare, & inde, vnde minimè putatur, rebus desperatis remedium inuenire; modò nos, id eũ posse crederemus. Nõ est necesse miracula expectare; ad Deum recurramus; non est nostrũ, vt pro Deo soliciti simus aut omnipotenti Domino modum præscribamus. Nostrum est, sperare, illius iuuare. Quantũ nos ab illo recedimus, tantũ & ille recedit à nobis.

X.

Enimuerò sæpe aliunde quærere solatia humana, fuit perdere diuina. Israëlitæ ijdem in Galgalis, & Campestribus Iericho fecerunt Phase, *& comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes & polentam eiusdem anni.* In eum vsque diem Manna illis de cœlo cecidit: ast, vbi ad terram, & terrenos cibos, solatiáque conuersi sunt, licet sancto prætextu azymorum, quid factum est? Clarè aperit Scriptura inquiens: *Defecitq; manna, postquam comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.* Deficiunt itaque cælestia, vbi dominantur terrena; sicut vbi desinit auxilium terrenum, ibi cœleste succurrit. Hoc experiuntur, qui, dum, agnita sua calamitate, dicere coguntur: *circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me,* etiam illud didicerunt pronunciare: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus: & sperabo in eum. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.* Sequitur enim: *Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam.* Darius Xerxis pater aiebat, *se in prælijs & periculis euadere prudentiorem.* Idem contingit electis, cum in summa discrimina incurrunt, fiunt prudentiores; quando enim vident, actum esse de subsidio mortalium, non despondent animum, sed ad asylum maius confugiunt, cum

Iosue. 5. 11.

Psal. 7. 15.

Ibid. ℣. 1.

Plutarch. in Apoponth.

Psal. 17.4. hac voce: *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Nescio quale nunc sit seculum,

Terra malos homines nunc educat atq; pusillos,

quos scilicet non prudentiores, sed amentiores faciunt pericula; neque enim, orta tempestate, nauem in portum, sed in scopulum inferunt, quia non fugiunt ad Deum, sed Deum relinquunt. Hinc tot naufragia patiuntur, nec tabula illis relinquitur, quia anchoram abiecerunt, qua vsi procellas omnes sustinuissent.

XI. Iudith. 7.2. Sine numero sunt exempla, in libris Iosue, Iudicum, Regum, quæ, briuitatis causa, transeo. Illud non possum prætermittere, quod in historia Iudith fortissimæ heroidis offertur. Terribile fuit nomen Holofernis: exercitus ingens: apparatus armorum formidandus. *Erant* enim *pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouincijs & vrbibus vniuersæ iuuentutis. Omnes parauerunt se pariter ad pugnandum, contra filios Israël.* Quem non percellat tanta multitudo? Accessit aquæ penuria. Nam Holofernes *incidi præcepit aquæ-ductum illorum.* Et quia fuerant *non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potiùs, quàm ad potandum, & c. constituit per gyrum centenarios, per singulos fontes. Cumq; ista custodia, per dies viginti, fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset mura ciuitatem, vnde satiarentur, vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæq;, iuuenes & pueruli, omnes simul vna voce dixerunt: Iudicet Deus inter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, NOLENS LOQVI PACIFICE CVM ASSYRIIS, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum: Et ideò non est, qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna. Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt, vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. Melius est enim, vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quàm moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori, ante oculos nostros.* Sic populus loquebatur, qui, cum humanam opem nullam sciret, proximum habuit, vt desperaret. Necid adeò mirum; mobile est vulgus, neque ita longè prospicit. Illud mirum, immo mirissimum, ipsum Oziam passum

passum esse, se in hanc sententiam flecti, neque spem supra vulgus extendisse. Nam etsi dixerit: *Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam* (quibus verbis ostendit, bene se nosse, ad quem, tanquam ad sacram anchoram, in vltimis rebus, sit confugiendum) tamen *cum cognouisset Deum*, Rom. 1. 21.
non sicut Deum glorificauit, sed terminum illi fixit, inquiens: *Si autē*, Iudith. 27. 5
transactis quinq; diebus, non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis. O miserandi Præsules, qui non vobis legem scientibus populum, sed vos populi erroribus accommodatis! Quid præestis, si subestis? Quales Duces vocabo, si vos duci finitis? Diu durauit obsidio; diu bellum; ferre amplius non potestis: actū est: extrema consilia sunt circumspicienda; hosti omnia annuenda. sic arma quiescent. sic pax dabitur, inquitis; cuius conficiendæ alia nulla supereſt via. At Deus supereſt. Non me, sed virilis animi feminam audite, ad Oziam Principem Iuda, & ad presbyteros Chabri & Charmi sic perorantem: *Quod est hoc verbum*, in- Iudith. 8. 10.
quit, *in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei*, &c. *Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes gentes, quæcunq; insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster. Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri, vt probarentur, si verè colerent Deum suum.* Quod vbi exemplis confirmauit, hunc, nostris quoq; desperatoribus, & *Domini causſam* deserentibus, appositissimum epilogum adiecit: *Et nos ergo non vlciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram, cuenisse credamus.* Si iam Politicorum nostrorum suffragia colligere mihi liceret, an non plures, cum populo, cum Principe Ozia, cum presbyteris sentire quàm cum Iuditha, deprehenderem? At *non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Non ponamus ergo *tempus miserationis Domini, & in arbitrium nostrum, diem* Ib. 7. 20.

consti-

constituamus Deo; sed *expectemus humiles consolationem eius.* Si viri desint, si desint heroës, etiamsi nullus adsit Achilles, nullus Aiax, nullus Priamus, (quod non dixerim) si tamen Deus auxiliari nobis voluerit, vel per feminam nos liberabit. Quò desperatiores sunt res nostræ, eò luculentiùs est auxilium diuinum; sicut & medico glorioſius est, si pellat morbos, qui incurabiles videbantur.

XII. Tale periculum etiam Iudæis impendebat, per omnia Assueri regna, cum Aman (cui supercilium vastum erat, & tantum, quantum barba) totius gentis interitum, decem millibus talentorum, vellet mercari. Iam consenserat Assuerus, *vocatiq; sunt scribæ regis, mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis: & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarumq; gentium, vt quæq; gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atq; delerent omnes Iudæos, à puero vsq; ad senem, paruulos & mulieres, vno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.* Atque vt videamus, rem in extrema tegula stetisse, iam *in Susan pependit edictum*; iam cuncti Iudæi, cum Mardochæo, in luctu & lachrymis erant; quin & *Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsq; ad fores palatij gradiens. In omnibus quoq; prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat, apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis, pro strato, vtentibus.* An non hoc periculum erat capitale? Sed vt & summum fuisse intelligamus, reginæ Esther, in cuius ope sola spes omnis erat sita, via ad regem fuit intercisa. *Omnes serui regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, norunt prouinciæ,* ait Esther, *quòd siue vir, siue mulier, non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absq; vlla cunctatione statim interficiatur: nisi fortè rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, atq; ita possit viuere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?* Huc vsq; periculum vidimus; sed, vt vel M. Tullius dixit: *discriminũ periculorumq; comites dij:* quare neque hîc defuit Dei auxilium. Itaque sicut, per Iudith, Bethuliæ dedit libertatem, ita &, per Estherem, Iudæis vniuersis

Esther. 3. 8.

Esther. 4. 1.

Cic. l. 2. de Nat. Deor.

uersis illius ampliſſimi regni, incolumitatem conſeruauit, perſpicuâ & vaticinante figurâ, ſic olim etiam, per Dei Matrem & cœli Reginam, in deploratiſſimis hominum rebus, auxilium à Filio eius impetrandum. Vnde & Filius, & Mater eſt *Spes noſtra.* 1.Tim.1.1. Filium ſic vocat Paulus, quia eſt cauſſa noſtræ ſpei, & *obiectiua*; ſperamus enim Chriſti viſionem: & *effectiua* ac meritoria; quia non per Moyſen, aut cæremonias legis, ſed *per Chriſtum Dominũ noſtrum*, eius ſcilicet meritum & auxilium gratiámque, ſperamus periculorum malorúmque omnium tolerantiam aut liberationem, ipſámque etiam æternam beatitudinem: & *finalis* denique; ille enim eſt ſpei & patientiæ, & omnis virtutis noſtræ finis. Matrem autem Chriſti etiam *ſpem noſtram* vocat Eccleſia, non quaſi illa, per ſe & immediatè, ſit *ſpes noſtra*, ſed quia per illam mediatè ſperamus, nempe precibus illius, bona, quæ petimus, nos, apud Chriſtum, impetraturos; ſicut Mardochæo & Iudæis, apud regem Aſſuerum, gratiſſima & hinc potentiſſima regina Eſther impetrauit. Hoc fuit conſilium Dei. Dum Eſtherem euexit, iam, deſtinatione ſua, protexit Iudæos. Quod conſilium illi Mardochæus ante oculos poſuit, vt eam moueret, ad cauſam populi ſui, apud regem, agendam. *Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris*, aiebat, *vt in tali tempore parareris?* Eſther.4.14. Talis *ſpes noſtra* eſt & Maria, ſuper omnes choros Angelorum exaltata, vt, *in tali tempore* tribulationis, tanquam mediatrix noſtra, pararetur; per quam, cum iam actum eſſet de nobis, Chriſtum primariam ſpem noſtram accepimus. De quo beneficio itidem eſt aliquid à nobis memorandum. Nam omnia veteris Teſtamenti, in hoc argumentum exempla afferre, immenſum eſſet opus.

CAPVT XI.

Aliunde relictorum Deo maiorem curam esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Passionis, & missionis S. Spiritus mysterio ostenditur.

I. CYrus potentissimus, & quondam nobilissimus Persarum rex, præstans ingenio atque imperij gloria, cum Persæ, vt refert Plutarchus, cuperent, pro suâ montanâ & asperâ, planam & mollem regionem occupare, non permisit, quòd diceret: *Vt plantarum semina, sic hominum vitas regionibus similes fieri.* Ita mihi videtur etiam diuina sapientia iudicasse: iudicauit enim præstare, vt non omnia sint in mundo plana; & adeò censuit, meliùs esse de malis bona elicere, quàm mala, in Mundo, non permittere. Inter summa autem mala est peccatum, fons & radix omnis mali. Ante Mundi creationem, homo, æternùm retro, nihil erat. Ex eo nihilo, velut è tenebris in lucem, ita in suam naturam & vitam productus est, forma, specie, proprietatibus, & omnibus ornamentis naturalibus dotatus. Inter quas dotes, cum & ratio esset atque intellectus, quibus ad similitudinem & imaginem Dei accessit, statuit eum diuina bonitas sibi etiam similiorem reddere, & ad statum supernaturalem extollere. Quare naturæ illius gratiam, velut auro gemmam, superaddidit, vt eum ad altiorem ordinem, statumque diuinum eleuaret; in quo, naturalibus donis instructo etiam bona diuina communicarentur. Itaque, præter infusam naturalium rerum cognitionem, etiam fide illum diuina ornauit, qua Deum, tanquam finem quoq; supernaturalem supremámque beatitudinem suam obiectiuam, cognosceret: spe eum instruxit, vt ex Elysijs illis campis, & amabili, sed terreno Paradiso, ad maiora cœlestiáque gaudia, meliore flamma incensus anhelaret: charitate diuinâ inflammauit, vt cor illius, siderei ignis vi, sursum ferretur: iustitia originali decorauit, vt omnes illicitos motus haberet in potestate; denique, ne vllum decus deesset, nulla illi virtus defuit. His tantis auxilijs firmatus æternam vitam, planissima via, erat aditurus, si voluisset.

II. Quia verò nihil coactum est gloriosum, libertas arbitrij est illi relicta. In æquilibrio positus, quò libuit, potuit se sponte incli-

inclinare. Hinc vel laus, vel vituperatio omnis. Arbitrio vtenti vel præmium, vel pœna decernitur. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino*, ideò bona promissa semper duratura. Hac de caussa *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum, in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris*, inquiens, *mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Igitur arbitrij libertas homini à Conditore est data, non solùm, vt etiam hac imaginem & similitudinem Dei præ se ferret; sed etiam, vt præclarior esset gloria, quam mereretur, & non coactis laboribus partam acciperet. Bestias, etiam si sudent, & plus, quàm vlli homines, laborent, nemo censet honore dignas; carent enim libertate, qua laudem honoremue mereantur. Quapropter *multa sapientia Dei* fuit, in homine creando, quem tantum non fecisset, si liberum non fecisset; etiamsi fecisset sempiternæ beatitudinis capacem. Posuisset enim eum in cœlo, sine suo merito, &, sine spontaneæ seruitutis gloria, fecisset glorioſum; sicut si truncus, qui pedibus ire non potest, alienis manibus, in regio palatio collocaretur; quem nemo laudat, quòd eò se ipsum promôrit. Eccli. 31. 10. Eccli. 15. 14.

III. Hunc ergo talem tantúmque hominem, diaboli inuidia atque fallacia euertit, &, per peccatum, è supernaturali statu, in exitium præcipitauit. Hoc enim casu, in quantum malum non deuenit? Amisit diuinam charitatem; perdidit cœlestem gratiam; iustitiam originalem exuit; induit maledictionem & animi & corporis, *sicut diploidem*: omnium virtutum (excepta fide & spe, vt resipiscere posset) fecit iacturam: denique æternæ salutis naufragium passus in Oceanum cecidit omnium calamitatum. Vnde & singularis illa Dei protectio directióque illi subtracta est: & appetitus cæpit recalcitrare, frænóque rationis excusso, tanta fuit ad malum procliuitas, vt iam nihil propemodum, nisi peccare posset; tanta vis & lubido cupiditatis ad delinquendum, vt à nullo, nisi solo Deo, posset sisti & coërceri; tanta imbecillitas ad ipsas etiam naturæ leges obseruandas, vt, sine cœlesti auxilio gratis suppeditato, obseruare eas non posset. Itaque & iure cœlestis gloriæ excidera-

Ps. 103. 29.

 cidera-

ciderat, & naturam suam ita debilitauerat, vt illa sibi relicta, instar plumbi, suopte pondere & impetu, deorsum caderet, & de peccato in peccatum lapsa, profundiorem semper Infernum, atrocioráque supplicia æterna commereretur. Sic homo creatus, vt in cœlo, beatus & Deo fruens regnaret, peccati seruus, cacodæmonis mancipium & Auernalium flammarum futurum pabulum factus, nonne in profundum venit? nonne lapsus est in ipsum pelagus miseriarum? nonne dicere potuit? *Veni in altum, tempestas demersit me:* Ex nihilo conditus, *ad nihilum redactus sum.*

Psal. 68. 3.
Psal. 72. 22.

I V.

Quis eum inde potuit eripere? Ionam, cum in mare proiectus esset, & iam *in ventre piscis tribus diebus, & noctibus*, densam noctem pateretur & atrum carcerem, nemo potuit liberare, nisi ille ipse, qui ventum & mare, & procellas concitauit. Sic neque hominem, peccato, in tanta mala, se iacientem, quisquam alius retrahere potuisset, nisi qui hominem hæc mala meritum, ijs, velut supplicij tempestate, inuoluit; vt illum idem, qui fecerat, reficeret; & qui creârat ex nihilo, recrearet. Magna opera magnos exigunt magistros; & extremi morbi extremis indigent medicinis. Igitur, ob protoplasti nostri delictum, malum hominis tam atrox, támque inolitum fuit, vt à nulla, nisi diuina manu, posset eradicari. Quæ enim persona, nisi diuina, hominem, in diuinum ac supernaturalem statum, reposuisset? Nomina quidquid naturale est, infra est. Iacebat homo, lethaliter ictus seipsum erigere non poterat. Sed neque Angelus poterat, cuius non est gratiam diuinam, hoc est, spiritualem animæ vitam infundere. Vndiq; ergò erat homo destitutus: seipsum iuuare nō poterat Deo mortuus; neque ab alio aut homine, aut Angelo, multóque minùs à bestia poterat iuuari. Solus supererat Deus, solus iuuit Deus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus. Is ergo, cum alia remedia omnia deessent, intimis misericordiæ visceribus commotus, humano generi succurrit. Quod etsi solus potuit, multis tamen modis potuisset. Sed quia nullus fuit conuenientior, aut nobis vtilior modus, quàm vt pro præteritis hominum peccatis æquiualens iustitiæ diuinæ satisfactio fieret, & pro futuris, remedium perenne compararetur; Deus ipse de cœlo descendit, *vt quæreret, & saluum faceret, quod perierat.* Nulla enim pura creatura, hoc est, nullus homo, aut Angelus, qui non idem esset Deus, potuisset satisfactionem tantæ offensæ æquiualentem præstare,

Ion. 2. 2.

S. Thom 3. p q. 2. a. 2.

S. Bonauen. 3. sent. dist. 20. art. 3.

præstare, cum tanta sit vnius mortiferi peccati malitia, & in infinitam Numinis maiestatem iniuria, vt omnibus omnium & hominum & Angelorum fidei, misericordiæ, charitatis, aut pœnitentiæ operibus, omnibus religionis actibus, omnibus orationibus, omnibus sacrificijs, ad iustam æqualitatem, non possit compensari. *Non dabit Deo placationem suam* (homo) *& precium Redemtionis animæ suæ*, inquit Dauid. In quæ verba S. Basilius ita scribit: *Neq; igitur fratrem quære in redemtionem; sed Deum, qui excedit naturam tuam. Neq; hominem nudum; sed hominem Deum IESVM Christum, qui etiam solus placationem dare potest, pro omnibus nobis.* Et Athanasius: *Cuius*, inquit, *opera, ad recuperandam istam gratiam, requirebatur, nisi solius Verbi? Eius etiam fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus, id, quod æquum, rationiq; consentaneum erat, Patri præstare.* Denique S. Leo ait: *Talis Natiuitas decuit Dei virtutem & Dei sapientiã Christum, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus, non adferret remedium*; (quia non adferret ꝓ iniuria Deo illata aliquid æquiualens, neq; constitueret perennem & inexhaustum reconciliationis fontem, quo peccata, in quæ quotidie incidimus, delerentur) *nisi esset homo verus, non præberet exemplum*: non haberet meritum, non offerret satisfactionẽ.

Psal. 48. 8. S. Basil. in Psal. 48. S. Athanas. l. de Incarn. S. Leo serm. 1. de Natiu.

V.

Quoniam ergo extinguendæ iræ diuinæ atque æterni ignis euadendi, recuperandíque iuris ad cœlestem hæreditatem, nullum, neque in terris, neque in cœlo, neque apud homines, neque apud Angelos, neque apud vllam aliam creaturam remedium inueniebatur; atque ita vel diuinæ iustitiæ satisdari non potuisset, vel homo æternùm debuisset perire; fecit Deus immensum & infinita sua misericordia dignum opus, opus omnibus seculis inauditum, omnibus gentibus admirandum, ipsi cœlo obstupescendum, ipsis Angelis ineffabile & incomprehensibile, cum illud nunquam satis laudatum, nunquam satis perpensum Incarnationis consilium excogitauit, & Christum, sapientiam increatam, per quam creata sunt omnia, *proposuit propitiationem, per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei.* Qui, cum cum Mundus odisset, & partim, ob primi hominis peccatum, partim, ob aliorum hominum innumerabilia fornicationum, adulteriorum, incestuum, Sodomiarum, furtorum, rapinarum; cædium, homicidiorum,

Rom. 3. 25.

parricidiorum, idololatriarum, veneficiorum aliarúmque detestandarum abominantionum crimina, non iam Mundus, sed planè immundus dicere illud Mimi, apud Gellium, posset: *Similis sepulchris nil nisi nomen retineo*, atque vicissim Dei odio, immo Orco, dignissimus esset; tamen & tunc *Sic dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis fur patibulo adiudicatus à rege auderet petere filium regium, suo loco, in furcam agendum? *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, pro nobis, in infami ligno suspendendum. Explicari satis non potest hæc bonitas; excedit omnem humanæ cogitationis mensuram. Miris igitur modis *commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira, per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Vix legimus, aliquem Dominum, pro seruo, mortuum, sed seruos pro Dominis duntaxat. *vix etiam, pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori?* vix pro benefactoribus aliqui vitam suam obtulerunt; maximique fiunt martyres, qui pro Redemtore suo mortui sunt. At tanta est Dei misericordia, vt Dominus, pro seruis, iustus pro iniustis & in peccato mortuis, bonus pro impijs, benefactor maximus, pro maximis malefactoribus & peccatoribus, quibus nihil obligatus erat, vitam, animámque posuerit. Nonne hoc fuit, omnem omnium hominum superare charitatem? immò & cogitationem transcendere? Tales autem fuisse homines, pro quibus Seruator mortem oppetijt, si non omnes historiæ testarentur, vel Oseas abunde ostenderet illis verbis: *Audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quid hæc scelera, apud diuinum tribunal, commeruêre? Mox subiungit: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Propter hoc pestes, bella, & totos fulminum milliones, atque æterna, in Tartaro, incendia Mundus meruisset. Siquidem *eramus natura filij iræ. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chri-*

Io. 3. 16.

Rom. 5. 8.

Osee. 4. 1.

Ibid. ℣. 3.

Ephes. 2. 4.

in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus, in Christo IESV: vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate, super nos, in Christo Iesu.

VI.

Titus Vespasianus, ob eximias animi dotes, olim dictus est, *Amor & deliciæ generis humani*: Christo hoc elogium debetur, cui longè rectiùs dicitur: *Diligam te Domine, fortitudo mea*: Amor meus, deliciæ meæ, qui diligis etiam odientes te. Nam qui hinc nõ discit admirari iudicia, amare bonitatem, & sperare misericordiam imẽsam omnipotentis Dei, nusquã discet. Quis non obstupescat iudiciũ Numinis peccatores amantis, & in tantũ amantis? Bonum est, quod amare solemus: quod pulchrum, quod formosum, quod eruditum, quod precioſum, quod nobile, quod iucundum; in summa, quod bonum est, amamus. Quid, in homine tunc deformissimo, pulchrum? quid, in fœdissimo peccatore, formosum? quid, in tantis ignorantiæ tenebris & vmbra mortis sedente, eruditum? quid sapiens? quid, in vilissimo diaboli mancipio, precioſum? quid, in titione Inferni, nobile? quid, in tanta animi amaritudine, iucundum inueniebatur, quod Deus amaret? Peccato contaminati, iusto iudicio, in protoplasto, damnati, cæci, miseri, abiecti eramus; & tamen etiam tunc *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Non capit hoc ratio humana, excedit tam grande mysterium mortalium intelligentiam; sed non excedit increatam bonitatem. Quidquid in Deo est, immensum est, ergo & immensam decet esse charitatem. Rursúsque immensæ charitati conuenientissima est immensa misericordia, & immensa sui communicatio, quæ, in Dei Verbo, pro homine, humanam naturam induente, nobis est manifestata. Dederat Agesilaus rex ingens donum cuidam plebeo, quod cum ille verecundè recusaret, dicens: *Hoc esse nimis magnum pro se*, respondit rex: *At non est magnum nimis, pro Agesilao.* Ad eundem modum, *Deus, qui diues est, in misericordia, propter NIMIAM* (id est, valde magnam, aut NIMIAM respectu hominum tam miserorum & indignorum, non autem respectu Dei immensè boni) *charitatem suam, qua dilexit nos, &, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos, in Christo.* Itaque turpes amauit, vt pulchros efficeret: deformes amauit, vt faceret formosos; insipientes amauit, vt redderet sapientes: viles amauit, vt precio sanguinis sui efficeret precioſos: mancipia amauit, vt reponeret in libertatem: inopes amauit, vt diui-

Sueton. in Vespasian. c. 9.

Psal. 17. 1.

Io. 3. 16.

Ephes. 2. 4.

tijs

tijs & thesauris cœlestibus locupletaret : miseros & miserabiles amauit, vt ad æternam gloriam, felicitatémque perduceret. Nemo igitur, cum hanc charitatem cogitat, amorem humanum cogitet, qui fundum habet ac terminos, & si hîc comparetur, velut fumi vmbra est. Alia enim est amoris diuini profunditas, alia celsitudo, alia nobilitas, alia excellentia, qua omnem creatam charitatem infinities transcendit. Homo amat id, quod est bonum, atque ita hominis amor fundatur in obiecto, quod reperit; Deus obiectum amando creat, amando enim facit bonum; vt adeò ratio amandi, non in obiecto amato necesse habeat fundari, sed sæpe in solo Deo amante existat. Siquidē, vt scribit S. Dionysius, idcirco Deus amat, vt sua bona malis communicet, amorémque suum in ipsos hostes transfundat, atque ita ex inimicis amicos, ex aduersarijs filios hæredésque faciat. Quod, quo quisq; maiores fecit in charitate progressus, amorémque habet ardentiorem, eò impensiùs imitatur, diligítque & ipse inimicos suos; non quia boni, sed quia ipse bonus, communicata bonitate sua, è malis, vult bonos facere, cósque sibi assimilare. Etsi autem conatum maximum adhibeat, infinito tamen adhuc, à Dei amantis charitate, distabit interuallo: adeò, vt etiam de Seraphico aliquo amore, & eo, qui Dei est, dici possit;

S. Dionysius lib. de diuin. Nomin.

Proximus huic, longo sed proximus interuallo.

Et tamen mandatum est, vt, etiam in hac tam ardua virtute, Deum imitemur. Nam antè, quàm Christus diceret: *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est*; præmisit, in quo perfecti esse debeamus, adeóque in qua re cœlestis pater à nobis imitandus, perfectus sit, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Aliter Pater vester cœlestis, cuius perfectio vobis imitanda proponitur, fecit; ille ita bonus est, vt etiam malos amet, nec filium tantùm diligat morigerum; sed prodigum quoque, qui omnia sua cum meretricibus dissipauit, amplectatur peregrè redeuntem. Hoc, inquam, argumento, qui non

Matth. 5. 48.

Luc. 15. 20.

discit

discit amare ac imitari diuinam bonitatem, nullo discet. Sed & sperare discunt vel sceleratissimi peccatores. Sint homicidæ, sint parricidæ, sint Sodomitæ, sint sacrilegi, sint mille diabolis proprij sanguinis chirographo obstricti, ac mancipati; sit, qui tot flagitijs tantísque solus, quot & quantis à condito orbe, per omnes vel Angelos, vel homines sceleratos, sunt perpetrata, cooperiatur, tamen diuina bonitas maior, charitas grandior, misericordia efficacior est, quia infinita. Quare, sicut scintillam extinguit Oceanus, ita hæc omnia crimina delere potest diuinæ bonitatis, misericordiæ & charitatis, nulla vnquam malitiæ aut magnitudine, aut multitudine, exhauriendus thesaurus. Vt quid ergo vllus est peccator, qui de venia desperet? vt quid adeò vllus mortaliũ est excors, vt non vtatur, per pœnitentiam, thesauro tantæ bonitatis, misericordiæ, & charitatis? Planè qui hæc rectè credit, non desperat; & quisquis desperat, non rectè credit.

VII. Spei fiduciæq; huic addit ingens incitamentum S. Spiritus missio, tot secum dona è cœlo trahens. Magnum quid esset, si is in Dei Matrem, si in Apostolos, si in simplices, & idiotas, ac piscatores duntaxat missus, à Deo Patre & Christo, esset: longè tamen admirabilius est, eum missum esse & mitti quotidie in eos, qui participes fuerunt crucifixionis ac mortis Christi; aut qui inter barbaras gentes, idola adorauerunt, aliósque maximos peccatores, si modò ad eum recipiendum, per ipsiusmet gratiam, se disponant. Quo in opere, & Pater misericordiarum, & Filius diuinæ sapientiæ thesaurus; & Spiritus S. æternus amor, & tota denique Trinitas infinitam quandam liberalitatis suæ bonitatem declarauit. Dominus vineæ, ob filium suum extra vineam eiectum occisúmq;, communi calculo, *malos* aglricolas *malè perdidit*. Quid Deo Patri erat agendum, ob Filium suum extra Ierusalem eiectum atque in infami arbore suspensum, eiectúmque etiam è vita? Nuncquid, sicut Elias quondam, ignem de cœlo deuocare debuisset, qui Christicidas momento deuoraret? Enimuerò ignem de cœlo misit, quando *linguis igneis* immistum misit S. Spiritum; sed ignem qualis olim rubum illustrauit, non cremauit, quíque corda, non corpora, inflammaret. Sic, pro odio, amorem reposuit. Sic, *cum inimici essemus, dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum*, Verbum intellectus sui; & Spiritum S. voluntatis suæ Amorem, adeoque, quidquid ab ipso procedebat, *daret*. Sic, vindictæ loco, Matth. 21. 37. Actor. 2.

Iacob. 1, 17. *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Qui, si sic diligit Mundum inimicum, quid gratiæ amicis est facturus! Sed & illud nullis satis verbis potest explicari, Filium Dei, postquam *in propria venit, & sui eum non receperunt*, immò postquam tam dirè ab hominibus tractatus est, non modò, inter ipsos cruciatus, dixisse: *Pater, dimitte illis*; sed etiam, illos ipsos pro eis cruciatus ac mortē obtulisse; & rediuiuum, atque in cœlestem gloriam ingressum, Spiritum S. qui à Patre Filióque procedit, insuper misisse. Qua de caussa & Dauidi mirabilis visus est *ascendens in altum, & dans dona hominibus.* So. cratem mirati sunt veteres, discipulos suos iubentem persoluere mercedem ijs, à quibus læderentur; mirentur potiùs Christum dona dantem, & quidem maxima, illis, à quibus sputis fædatus, flagris laceratus, spinis, clauis, lanceis confossus erat. Quid hoc aliud est, quàm euidentissimum infinitæ bonitatis argumentum? Filij hominum peregrè grauia passi, de malo lædentibus dando cogitant, cum domum reuertuntur: Filius Dei, innumeris contumelijs, iniurijs, plagis affectus, ad astra *reuersus, vnde venerat*, dona mortalibus est largitus, qualia nemo, nisi Deus, dare potuisset. Nimirum vt arbores quædam sectæ vulneranti dant balsamum, sic bonus Deus adeò est bonus, vt bona reddat, à quibus mala accepit; quare per omnia Christi vulnera toti beneficiorum torrentes proruperunt. Quis talem Dominum non amaret? Sed & illud obstupescendum est, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam Spiritum sanctum, postquam secunda persona Dei Filius tam barbarè est ab hominibus acceptus, nihilominus ad homines descendere voluisse. Columba, cum non inueniret *extra arcam, vbi requieſceret pes eius*, ad arcam reuolauit; noluit enim, in eodem luto, cum coruo hærere. S. Spiritus, columbæ forma & indutus & expressus, à Christo secundo Noë, è cœlo, missus, ah quæ non pectora inuenit, quàm sordida? quàm scelerata? quàm in ipsum S. Spiritum blasphema? Et tamen neq; illa horruit. Quantos enim non adduxit, ad pœnitentiam, peccatores? quæ non exciuit flumina lachrymarum? Nimirum, vt Noto flante, cadunt imbres, sic *flabit Spiritus S. & fluent aquæ*, ex oculis delicta sua detestantium. Hic nimirum est abyssus diuinæ bonitatis, hæc totius Trinitatis immensa liberalitas, nullū ab hoc dono excludit, quantumuis fuerit nefarius; modò, per gratiam

Pſal. 67. 19. Epheſ. 4. 8.

Gen. 8. 9.

Pſal. 147. 18

exci-

excitantem, pulsante S. Spiritu, se disponat, ad donum istud recipiendum. Quia *non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente,* Act. 10. 34. *qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi,* accipitque S. Spiritum. Qui per excellentiam appellatur, *Donum Dei altissimi*; est enim omnium donorum maximum, & eorum fons & origo, vt D. Thomas tradit: est *fluuius aquæ vitæ, splendidus tanquam crystallus, procedens de sede Dei & Agni, in medio plateæ eius,* eam irrigans. S. Th. 1. p. q. 38. Apoc. 22. De quo Christus dixit: *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam:* est lignum vitæ, afferens fructus 12. *per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium:* affert enim 12. fructus, *Charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem.* Hæc omnia paratus est hostibus suis largiri cœlestis Pater, *qui pluit super iustos & iniustos,* dummodo velint acceptare. Nam *qui pro nobis tradidit Filium suum, quo modo non etiam, cum illo, omnia nobis donauit?* Dixit olim iratus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* At passione Filij placandus dixit: *Effundam Spiritũ meum super omnem carnem.* Si locutus fuisset de sola carne Christi, quæ est diuinæ personæ vnita, nihil esset mirabile: sed nunc ait: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem,* Spiritum adeò precioſum, in tam vilia vasa iræ: hæc bonitas exuperat omnem sensum. Io. 4. 14. Gal. 5. 22. Rom. 8. 32. Gen. 6. 3. Ioel. 2. 28.

CAPVT XII.

Alijs noui Testamenti exemplis, ante oculos ponitur, mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit.

EX supra explicata immensa Numinis misericordia & bonitate, satis potest supérque intelligi, quasi morem Dei esse, vt, deficientibus vndique humanis auxilijs, auxilia faciat ipse diuina. Quod Christus totâ vitâ suâ, demonstrauit. Deipara à Iosepho, præter expectationem, *inuenta est habens in vtero:* id à se non esse sciebat Iosephus, *de Spiritu sancto* esse, nesciebat. Iámque, *cum esset iustus, & nollet eam traducere,* seu accusare, & publico exemplo puniendam offerre, cœpit aliam dimittendi rationem longè honorabiliorem cogitare, ob magnam, qua præditus erat, charitatem. Ge- S. Augustin. Epist. 95. I.

mini hîc scopuli: videbatur & Ioseph, & Maria inter sacrum & saxum hærere. Nam siue, vt S. Chrysostomus, & S. Augustinus putant, Ioseph ideò Mariam dimittere voluit, quòd adulteram suspicaretur; siue dubitauit duntaxat, vnde, aut quo modo, concepisset, in magna anxietate, & inter fluctus extitit. Quis autem tunc Virgini animus, quis sensus fuit, cum & humilitatis amor eam non sineret mysterij tanti gloriam patefacere, & tamen amor honestatis, non sine cura, innocentiam pateretur esse suspectam. Sed nimirum, quia homines defuerunt, qui caussam eius perorarent, vsa est eiuscemodi verbis: *Ad Dominum, cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Item: *Et factus est protector meus.* Adeste omnes anxij, adeste, quotquot in ambiguo iactamini; adeste quoscunque alij sinistris suspicionibus flagellant, & perpendite, quis innocentium, in dubijs casibus, sit adiutor. *Hæc, eo cogitante,* ait Euangelista, *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Videtis auxilium de cœlo? Si homines desunt, Angeli veniunt, & vno sermone vtrique succurritur. Sic extincta est suspicio, & defensa Virgo.

S. Chrysost. homil. de S. Susanna.
S. Aug. ep. 64.
Psal. 119. 1.
Psal. 17. 21.
Matth. 1. 20.

II. Magi ex prophetia Balaam dicentis: *Orietur stella ex Iacob,* cognouerant, Christo nascente, stellam orituram, vt Origenes, Epiphanius, & Basilius scribunt; aut certè, siue inspiratione interna, vt vult S. Leo; siue per Angelos bonos, vt existimat D. Augustinus; siue etiam per dæmones, vt vult D. Hieronymus, vel inuitis vocibus, vt aliquando coram Iudæis, confiteri coactos, natum esse regem Iudæorum, eúmque noua hac stella significari, didicerant. Nec contenti didicisse, volebant etiam cum muneribus venire ad eum adorandum. Sed nesciebant, *vbi* esset, *qui natus* erat *rex Iudæorum*? Id quoque, postquam Hierosolymis intellexerunt, tamen viæ ignari (inhumano Herode nec ducem eis adiungente) sine filo, sine Ariadna in terris succurrente, iter cæperunt prosequi, *& ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsq; dum veniens staret supra, vbi erat puer.* Nec tunc tantùm antecedere cæpit, sed ab Oriente vsque Hierosolymam. Additur quidem: *Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde,* è quibus verbis nonnulli colligunt, stellam Magis non fuisse totius viæ ducem, atqui si id rectè colligerent, colligerent etiã, ne visam quidem illis antea fuisse, quòd ita nunc, quasi antea nõ vidissent,

Num. 24. 17.
Orig. hom. 13. in Num.
Epiph. in epitome.
Basilius homil. de human. Christi gener.
Leo serm. 1. de Epiph.
Hieron. in 19. Isa.
Matth. 2. 9.

ea

ea visa lætentur. Illud ergo potiùs colligo, antea quoque stellam illis præuiam extitisse, sed, ad tempus, cum Magi Ierosolymis essent, & ab hominibus consilium peterent, disparuisse; postquam autem cum Herode consultare desierunt, iterum se eis videndam præbuisse. Ex quo perspicuè cognoscitur, ibi auxilia diuina incipere, vbi humana desinunt; & sæpe auxilia diuina ibi desinere, vbi, illis relictis, cõuertimur ad humana. Cęterùm hic locus, & hæc stella anteambulatrix, quemadmodum illa *columna ignea*, velut quædam cœlestis laterna Israëlitis prælucens, idcirco mihi etiam cõmemorari videntur, quòd existimare nos velit S. Spiritus, opem de cœlo mitti ijs, qui in terris auxilium omne amiserunt. Exod. 13. 21.

III.

Quod ipsum etiam ex historia mox adiuncta potest doceri. *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundũ tempus, quod exquisierat à Magis.* Matth. 2. 16. Credibile est, iam prope adfuisse carnifices, qui puerum quærebant, alioquin enim, non, intempesta nocte, fuisset Iosepho fugiendum. Itaque nihil sciebat Ioseph, nihil Maria, de Herodis inuidia, nihil de sanguinario consilio, securè dormiebant. Fortasse oppressissent eos armati antè, quàm quiescere desijssent. Non erant, qui præcurrerent, & de militum aduentu præmonerent. Non excubabat, ante domum, satelles. Non erat Iosepho hasta, non framea, non vmbo, non arcus, non lorica, non galea: totum armamentarium constabat runcina, dolabella, lima, cuneo, terebra, scalpro. His *argutæ lamina ferræ*, ascia, bipennis similiáque accedebant asseribus & arborum, non hominum truncis secandis assueta. Iam ipsa imbellis Virgo, & puer infans quid fecissent? Christus potentiam habebat, sed nondum erat tempus eam exerendi; quod ætas exegerat, fecit, aliorum hominum more, susceptа fragilitate. Iam quid vicini opis afferre quiuissent? *conciliant* quidem *homines mala*, sed tunc illi se ipsos non poterant iuuare, cum eorum pueruli occiderentur; qua ratione igitur Iosepho succurrissent? Instabat itaque non iam Atticus aduena, ferox, & violentus, sed Herodiani carnifices è proximo imminebant, & recesserant iam Magi aduenæ Orientales, quorum authoritas pro clypeo esse potuisset; cum *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.* Ita, Angelo monente, Aristot. 1. Rhetor. Matth. 2. 13.

expergefactus, de nocte fugit. Quod etiam de S. Petro legimus,
Actor. 12.6. *quando* ab alio Herode *seruabatur in carcere. Cum* enim *productu-rus eum esset Herodes, in ipsa nocte, erat Petrus dormiens, inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Quis eum è catenis, è carcere, è militum custodia euasurum putasset? Sed tamen euasit ille. *Nam ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussóq; latere Petri excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam* (adeò arctè tenebatur) *venerunt ad portam ferream* (tam dura erat custodia ac firma) *quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* In Iosepho igitur, ac Petro Deus ostendit, cum alia omnia humana præsidia desiunt, se, de cœlo, opitulari: nec illud tantùm ostendit, sed insuper demonstrauit, quanti à nobis Angeli sint faciendi, qui nobis dormientibus, solent vigilare, & pro nobis excubare, multáque, nobis nihil sentientibus, à capite nostro pericula amoliuntur. At nos ingrati, rarò hanc & Dei prouidentiam, & Angeli curam agnoscimus, aut vndecunque agnitam, sæpe nonpluris, quàm somnium (vt initio Petrus) aut nebulam, in pariete, æstimamus.

IV. Quid, quòd non solùm, homine dormiente, Deus pro eo vigilet, sed vigilet etiam tum, quando homini aut dormire videtur, aut dormitare? Quod sanè, sicut ostendit, quando iustitiæ
Psal. 77. 65. suæ iram ostendit, *& excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos*; ita etiam patefecit, quando, in summo rerum cardine, homines versabantur. In lacu, seu stagno Genesareth, ob magnitudinem, maris nomen sortito, non triremem, sed exiguam atque piscatoriam cymbam nacti discipuli cum Christo vehebantur. Ibi Christus, non simulato, vt quidam putant, sed vero naturalíque, quamuis, credibiliter, voluntario & procurato somno dormiebat. *Et ecce mo-*
Matth. 8. 24. Luc. 8. 22.

tus

motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Crediderim etiam, non casu, aut natura, sed consilio prouidentiáque Christi, tempestatem exortam, vt Apostolis, & diffidentia sua innotescerent, & Magistri dormientis quoque cognita fieret vigilantia. Sæuiente igitur vento, & procellis in nauim insilientibus, bene madidi vectores *accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine salua nos, perimus.* Deserti vndiq; meritò, vt saluarentur, confugerunt ad Saluatorem: nulla enim alia est tam sacra anchora. Et tamen eos increpans ait: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Ita legimus Iulium Cæsarem naui vectum, cum nautam videret metuentem, dixisse: *Cæsarem vehis, & times?* quasi Cæsari, in vndis, nihil posset aduersi contingere. Non Cæsar, sed Christus erat vndarum Dominus, qui discipulos suos non reprehendit, quòd ad eum, in extremo discrimine, confugerent, sed quòd, eo præsente, licet dormiente, timidi essent, ac trepidarent, & non potiùs crederent, eum dormientem vigilare atque, non secus, ac si apertis, leonis more, oculis foret, omnia intueri. Vt tamen discerent, quantum opis sit situm in illo, ijs, qui ad eum clamant, vel iam iam perituri: *Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Nullus vnquam fingitur à Poëtis Neptunus cœlum tempestatésque tam potenter imperando serenauisse. Nam etsi nec venti audiant, nec mare, nec morbi; tamen ita obediunt ei, ac si audirent, imperiúmque eius intelligerent: quo pacto etiam surdi, & mortui vocem eius audierunt. Certè tempestates atque morbi sæpe per malos spiritus immittuntur, quos Dauid vocat, *immissiones per angelos malos*; igitur increpat ventos Christus, ijsque imperat, ac si malis spiritibus loqueretur. Sunt enim Aquilones, & pestes, & dæmones, in eius potestate. Psal. 77. 49.

Nihil proinde nobis, præsente Christo, est metuendum. Etsi absens videatur, adest; vti S. Catharinæ Senensi tentatæ & interroganti: *Vbi eras?* respondit, se cum illa fuisse, & pugnam victoriámque illius spectauisse. Libet verbatim referre vtilissima tentatis documenta, quæ in vita illius ponit Raimundus ista: *Cum virgo Catharina Senensis, multas, à dæmonum infectatione, molestias, pro nomine Saluatoris, pateretur, illis fugatis, lux cœlitus illapsa est cubiculo, & in ea luce Christus crucifixus ei apparuit dicens: Filia mea Catharina, vides, quæ ego, tua causa, perpessus sim? non igitur dubites* V.

Raimund. in vita S. Catharinæ apud Sur. t. 2. 29. April.

dubites tu quoq;, propter me, aliquid perpeti. Deinde sub alia specie magis propinquans, blandè ei gratulabatur, de triumpho iam obtento. At illa, vbi, inquit, fuisti, mi Domine, cum esset cor meum tot spurcitijs divexatum? & ille, in corde tuo, inquit. Rursus Virgo: at qui fieri potuit, bone IESV, vt tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? Respondit Dominus: cogitationes illæ, quid in tuo efficiebant animo? gaudiúmne, an mœrorem? Immò verò, inquit illa, non nisi summum dolorem. Hoc igitur, Christus ait, ego mea præsentia efficiebam: quia si tu ea destituta fuisses, illis spurcitijs delectata esses; iam vero cum eas profligare velles, nec posses, inde mœror oriebatur: sed me autore & effectore, qui eram intus in corde tuo, & tuebar illud, interim te intus sinens oppugnari, quantum videbatur expedire tibi; sed quando illustrata radio lucis meæ te ipsam sponte obtulisti ad tolerandas eas infestationes, mox eas abscedere iussi: neq; enim pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autẽ, filia mea, quando non tua, sed mea virtute certasti viriliter, maiorem à me gratiam consequeris, & deinceps crebriùs atq; familiariùs me ipsum tibi exhibebo. Itaque, etiam cum videtur abesse Christus, adest; & tum maximè vigilat, quando eum dormire maximè existimamus. Nam, etsi videatur dormire, tamen *cor* illius *vigilat. Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Quæ diligenter animo imprimere debent, quos paulo diutiùs aduersis probat orbis Moderator. Sinit flare ventos, turbari maria, furere tempestates; veniri ad extrema, vt & homines ad eum veniant. Neque statim procellas tranquillat; quin neque statim semper inuocantes exaudit, sed audire se dissimulat, vt incitet ad fortiùs clamandum. Quare ijs, qui *timidi* sunt & *modicæ fidei*, dormire videtur, cum intentissimè vigilat; & adesse, cum abesse putatur, sicut adfuit discipulis etiam aliàs, & Petro ambulanti super aquam, *cum cœpisset mergi.* Stulti igitur sunt, & tardi ad credendum, qui se à Deo, cum non statim adest, deseri autumant, & alium quærunt ex Orco opitulatorem. Reprehensus est ab Aristide & Diogene Plato quondam, quòd relictis Athenis, Siracusas in Siciliam, ad Dionysium nauigasset tyrannum. Qua reprehensione digni erunt, qui Deo relicto, currunt ad veratores, ad magos, ad ipsum cacodæmonem maximum omnium tyrannorum, & capitalem humani generis inimicum? Nimirum, qui ex patre diabolo sunt, ad diaboli

Cant. 5. 2.
Psal. 120. 4.
Matth. 14. 30.
Aristid. in orat. contra Platonem
Laert. in Diog.

boli opem anhelant, sicut in prouerbio dicitur: *Bos alienus subinde foras prospectat.* Plutarh. in Symp. de cad. 8.

VI.

Non sic fecit *mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis*; quæ, vt Marcus, signatissimè addit, *fuerat multa perpessa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Atque, vt Lucas ait, *quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suã, nec ab vllo potuit curari.* Quid ergo à medicis desperata fecit? Credidit, Christum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progressa, vt videretur, sed *accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.* Obseruat S. Augustinus, non omnes, qui sequuntur Christum, & eum tangunt, verè tangere, sed potiùs comprimere: illos verè tangere, qui fide ad Christum accedunt. *Fide tangitur Christus*, ait S. Ambrosius. Hoc ergo fecit mulier, quam idem D. Ambrosius alibi Martham Lazari sororem fuisse opinatur; at Eusebius, & Sozomenus, probabilius scribunt, ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ postea Saluatori suo statuam, ante ædes, posuerit æternum accepti beneficij monumentum. Quid ergo huic mulieri, quæ à nullo medico *potuit curari*, fecit Christus? *Conuersus, & iam etiam corporeis oculis videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Sic curat Christus, quos nemo potest curare, immò, qui *multa perpetiuntur à compluribus medicis, & erogauerunt omnia sua, nec quidquam profecerunt, sed magis deterius habebant.*

Matth. 9. 20. Marc. 5. 26. Luc. 8. 43.

S. Ambros. lib. 6. in Luc.

S. Ambros. lib. de Salomone, c. 5.

VII.

Et fieret hoc frequentiùs, si mulierem hanc plures imitarentur, ac, saltem, postquam satis experti sunt, in filijs hominum non esse salutem, ad Deum confugerent; aut, si, more huius mulieris, siue humilitate, siue pudore, non audent ipsum Christum compellare, vel retro accederent, & *fimbriam vestimenti eius* tangerent; hoc est, illius, vel Sanctorum reliquias venerarentur, de quibus, non minùs, quàm olim, sæpe etiam hodie virtus sanitatis exit, vt, vbi medicæ manus deficiunt, in cœlo adhuc auxilium esse sciatur. Qua de caussa Catholici semper reliquias magni fecêre, quas hæretici, qui nec sanctos, nec sancta amant, peiu. cane & angue oderunt. Caluinus certè mulierem hanc, *indiscreto zelo*, ait, Christi fimbriam tetigisse, & aliquid in ea fuisse *superstitionis*. Addit, quamuis tactu fimbrię sit sanata, factum tamen fuisse singu-

lare, quod non debeat valere ad exempli imitationem; vt idcirco & nos ex reliquijs petamus sanitatem. Ita *indiscretus* Caluino *zelus* est, quod omnes Euangelistæ commendauerunt, dum summa diligentia addiderunt hanc eius laudabilem cogitationem: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero*: immo quod ipse Christus, non solùm miraculo, sed etiam verbis approbauit dicens: *fides tua te saluam fecit*, id Caluinus audet *superstitionem* appellare. Sic nempe cum Euangelistis concordat, sic consentit cum Christo; vt quod Euangelistæ album vocant, illi sit nigrum; & quod Christus tanquam egregiam & saluificam fidem laudat, ille, velut superstitiosum traducat. Quid aget? num etiam illos incilabit, tanquam superstitiosos, de quibus scribitur: *Magis*
Act. 5. 14. *autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.* Ex quo signo hoc augmentum *credentium* intelligebatur? an ex opere superstitioso? *siquidem subiungitur: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autẽ & multitudo vicinarum ciuitatũ Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.*
Act. 19. 11. Pari pacto Ephesi *virtutes nõ quaslibet faciebat Deus, per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Interrogo hîc Caluinum, an hi omnes *indiscreti zeli* & *superstitionis* sint accusandi? interrogo, cur eos Euangelistæ prædicauerint? cur à fide laudauerint? cur sanitas illis miraculo sit conciliata? Indiscretio superstitio, iniuria Christo illata, miraculum non meretur. Cur ergo miraculosè sanati sunt, qui non immediatè Christum ipsum, sed fimbriam Christi, sed Petrum, immo Petri vmbram; sed Paulum, immo Pauli *sudaria* & *semicinctia*, cum morbis suis, adierunt? Nimirum Catholici fuerunt, non Caluinistæ. Quod si, sine Christi iniuria, vtiliter & laudabiliter
Act. 5. 16. *concurrebat multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis*, ad vmbram Petri, cur non idem hodiéque liceat facere, ad Petri tumbam & ossa, ad limina Apostolorum Romæ? aut etiam Ierosolymis, vbi non iam Christi fimbria, sed vestigia sanguine illius signata & purpurata reperiuntur? Hoc Euangelio conforme est, hoc exemplo mulieris & reliquorum, quos laudant Euangelistæ. Quare Euangelium

ipsum

ipsum tollat necesse est, qui tollit cultum reliquiarum; ne in illud incurrat: *Stultus est, qui patre cæso liberis pepercit*, cædem patriam vindicaturis. Nemo igitur animũ despondeat: sæpe, vbi nulla amplius vis in herbis, aut Podalirijs, vbi nulla amplius ars in Galenis, ibi inuenitur, in Sanctorũ reliquijs. Sic vult Sanctos suos honorare, vt, quemadmodum, *virtutes non quaslibet faciebat Deus, per MANVM Pauli*, ita etiam faciat per manum Petri, Sanctorúmque aliorum. Nam *tanta* erat quoque *Iacobi* Apostoli *vitæ sanctitas, vt fimbriam vestimenti eius certatim homines cuperent attingere*; vtique non sine corporis, vel animi, vel vtriusque eximio emolumento. Act. 19. 11. In Breuiario Rom. 1. Maij lect. 6.

VIII.

Ac, ne fuisse ista tantùm existimentur; neque nostris adhuc seculis hic fons miraculorum siccatus est. Passim & agminatim exempla occeurrunt. Vnum, pro mille, sed non absimile, dabo. *Retulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri*, inquit Cæsarius, *de quodam Monacho, cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius, multi sanarentur. Sæpe, si tamen adhuc viuit, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cum quodam tempore eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretiùs allocutus est: Dic mihi, fili mi, quæ est caussa tantorum miraculorum? Respondit ille: Nescio, Domine; non plus fratribus meis oro; non plus vigilo; non plus ieiuno; non plus laboro: sed vnum scio, quòd me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas, siue de persona mea sit, siue aliorum. Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, quòd miles nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non; totum enim Deo commisi. Si medicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas, quòd caussa tantæ virtutis esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum.* Esse igitur etiam nostro æuo cœlestes medicos, hac historia docemur. Ex qua etiam discimus, apud quos potissimùm, desperatis alijs remedijs, quærenda sit hæc medicina, nempe, apud eos, de quibus dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: qui *glorificantes* se etiam miraculis *glorificat*, quod & prædixit: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet.* Quare non carpenda, sed laudanda est eorum fiducia, qui, postquam, in quærendis humanis auxilijs, vbique oleum & operam perdiderunt, ad *Montem sanctum, Oetingam veterem, Lauretum, Romam*, atque ad alia Diuis sacrata Cæsarius Heisterbac. lib. 10. c. 6. Miraculor. Ps. 138. 16. Ioan. 14. 11.

sacrata loca peregrinantur. Non enim quotidiana tantùm exempla ostendunt, plurimos inibi salutem aut corporis, aut animæ reperire, quam alibi nusquam reperissent; sed etiam hæc ipsa est
Act. 19. 11. fiducia in Deum, qui, sicut *virtutes non quasi bet faciebat, per manum Pauli*, ita & per manum Petri, per manum Matris suæ, per manum Stephani, aliorúmque & Apostolorum & Martyrum, & Confessorum, & Virginum facere consueuit. Neque hac re honor illius minuitur, sed augetur. Nam quidquid per Sanctos petitur, ab illo petitur; & quidquid à Sanctis patratur, ab illo patratur. Quippe quòd quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Et honor seruis exhibitus, est honor dominorum.

IX. Si omnia reliqua, desperatissimis in morbis, à Christo allata remedia velim percensere, excrescet vel hoc libri caput, in volumen. Cæcum quis vnquam Machaon illuminauit? Illuminauit Christus, illuminauerunt Sancti. Dæmonem, quis, virtute naturali, ex hominibus expulit? Expulit Christus, expulerunt Christi virtute Sancti. Omitto alios quàm plurimos incurabiles morbos ab ipso curatos. Erat *Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida*, (hoc est, *domus misericordiæ*) *quinq; porticus habens*, vbi ægroti (exclusis muro pecoribus & iumentis, ne accedere, & turbare aut profanare aquam possent) aquæ motum expectantes considerent. Igitur *in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium*, non Hippocratem aut Chironem aliquem, non *Panàces*, quod *ipso nomine omnium morborum remedia promittit: numerosum, & diis inuentoribus ad scriptum*; vt Plinius refert; sed diuinitus factum *aquæ motũ*. Etenim, D. Ambrosio teste, *vt esset indicium, quia descenderat Angelus, aqua mouebatur*; & instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat nisi à principe caussa motum. *Angelus enim Domini*, vtique bonus (cum non soleat Deus, ad procurandam hominum salutem malos Angelos mittere) siue Raphaël, cuius nomen medicum sonat, siue alius Angelus, cuius officium fuit, sanare, *descendebat secundùm tempus*, siue Paschæ, siue Pentecostes, siue præcipuorum, apud Iudæos, festorum, siue, vt probabilius est, *secundùm tempus* hominibus incertum, alioqui non toto anno inibi expectaturis, certum autem Deo. *Descendebat* autem *secundùm tempus* hoc *in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat ù quacunq; detinebatur in-*

Ioan. 5. 2.

Plin. lib. 25. c. 3.

S. Ambros. lib. de ijs, qui mysteriis initiantur. c. 4.

firmi-

firmitate. Sanabatur autem tantùm vnus, vt appareret, non esse illam vim sanandi naturalem, sed diuinitus, ad momentum temporis aquis impressam. Si enim natura aquæ id fecisset, semper fecisset. Siquidem ea, quæ natura fiunt, semper fiunt; vt ignis semper vrit; & acidulæ semper sunt acidulæ; thermæque semper fouent & calefaciunt. Accedit, aquæ vim illam datam, vt quamcunque etiam desperatissimam inualetudinem restauraret. Sic ibi, diuino dono, inueniebatur, quod nusquam alibi, vel in Atticis fontibus Calliroë, vel in Bœotia Hippocrene, vel ipsa Acidalia scaturigo, in qua Gratiæ lauabantur, aliæue salubres vndæ dederunt. *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, HOMINEM NON HABEO, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Ipse se iuuare non poterat, & HOMINEM NON HABEBAT. Ecce vt omni auxilio humano destitutus, diuinum sensit. Nam homo quidem, sed homo Deus ei succurrit. Dixit enim ei IESVS: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Multa hominum millia in vijs, in desertis, in mapalibus, in pagis medico carent, & tamen non carent morbo; vt dicere iure possint: *Hominem non habeo*; sed Deum habent, quo solo auxiliante possunt corporis vires recuperare. Et verò sæpissime, sine vllo medico recuperant: quod tamen, cum toties contingat, pauci mirantur; multi etiam penitus non animaduertunt. Ah multi neque animæ habent medicum, quia Parocho destituuntur; vtinam scirent, se Deum habere, &, quando copia non est peccata confitendi, saltem contritione, & Deo super omnia amato, nossent culpas diluere! Noscent autem, si sciant, humano auxilio deficiente, nõ deficere diuinum, cui nulla mali diuturnitas potest obsistere; nulla vehementia aut difficultas obicem ponere. Lazarum quatriduanum ex ipso sepulchro euocat; hæmorrhoissam, per duodecim annos, ægrotam sanat; & alteram mulierem, quæ spiritum infirmitatis, annos duodeuiginti habuit, morbo liberat; hunc denique, triginta octo annos, in porticu & paralysi iacentem, post tot hyemes, erigit. Sed erigit, tanto tempore, patientissima spe, perseuerantem; & erigit extemplò; nam dictum factum, quippe

Ioan. 11. 39.
Luc. 8. 43.

statim sanus factus est homo ille. Enimuerò adeò sanus factus est, vt illico sustulerit ipse *grabatum suum*, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumeratis exemplis clarum fit, quàm diuersa sint diuina iudicia ab humanis; cùm toties Deus iudicet manum porrigendam ijs, quos homines esse deserendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandam, nec vnquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri prouerbio dicitur: *Deus de machina:* stat enim ille pro nobis inuocatus, cum nos etiam in extrema tegula stamus.

CAPVT XIII.

Deum, tum in omni, tum etiam in pecuniaria necessitate egentibus mirabiliter subuenire.

I. PRofanorum hominum iudicio; *Nummus est humanæ potentiæ compendium*; rectiùs dicerent: *Deus est humanæ potentiæ compendium.* Siquidem *omnia ex Deo, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis.* Ille fons est omnis boni; ille Oceanus misericordiarum; ille asylum; ille scutum; ille portus; ille spes prima & vltima miserorum. Vt proinde stolidè erret, qui, fonte deserto, cisternas sibi fodit, *quæ continere non valent aquas*; aut fluuium, immo riuulum existimat Oceano pleniorem; vel qui, cum vidit, se ab omnibus deseri, etiam à Deo desertum arbitratur; quasi exhausta sit illius potentia & bonitas, aut fons misericordiæ exsiccatus. Non nouit Deum, quisquis, in rebus ambiguis, non consulit Deum. Non credit Mundi gubernatorem Mundo esse superiorem, quicunque se abstrahi sinit, per vllam rem Mundi. O quàm vilis spes est, quæ nititur Mundi potentia! quàm fugax Principum custodia! quàm fallax fiducia creaturæ! Fascinatio, error, cæcitas, insania est, quærere vbique vel solatia, vel auxilia, & ignorare, aut obliuisci eum, in quo sunt omnia, immo etiam à quo sunt omnia, qui & est omnia in omnibus.

2. Cor. 5. 18. Ephes. 3. 20.

Ierem. 2. 13.

II. De Protheo, versipelle falsóque Deo, quem alij Vertumnum appellauerunt, Propertius ita cecinit:

Oppor-

Opportuna mea est cunctis natura figuris. Propert. lib. 4. eleg.
In quamcunq; voles, verte, decorus ero.

Multò veriùs hæc de vero Deo canas: in omnibus periculis, in omni necessitate est opportunus. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Hebr. 4. 16. Amemus vbique pulchrum. Pulcher est in pulchro Mundo, quem condidit; pulcher in potentia; pulcher in misericordia; pulcher in æquitate; pulcher in cœlo; pulcher in terra; decorus in Virginis vtero; decorus in iumentorum stabulo; decorus in cunis; decorus in templis; decorus in spinis; decorus in clauis; decorus in ipsa crucis deformitate: potens verbo, potens facto. Pete ab eo, quidquid à Deo peti potest, & (si quidem tibi proderit) scito, te impetraturum. Accusant te homines? premunt aduersarij? ad illum recurre, & audies: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Psal. 90. 14. Sic sperantes Apostolos à calumnijs Pharisæorum liberauit, quando *esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare,* & *Pharisæi videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis:* Matth. 12. 1. Tunc enim *dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid: quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes.* 1. Reg. 21. 4. Eodem pacto protexit illos, quando *accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant.* Matth. 15. 1. Nimirum sic Deus iudicat, vt malè iudicantes damnet; & cum nemo est, qui defendat innocentes, ille patrocinium eorum suscipit. Quod qui credit vndique linguis appetitus, libenter ad illum recurrens dicit: *Redime me à calumnijs hominum.* Psal. 118.

III.

Quid, quòd ab ipsis etiam amicis, cognatis, fratribus ac parentibus deserti à Deo non deseruntur? Neque enim vana est laus illa: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26. 10. Nonne amici Iob tales erant, vt eis meritò diceret: Iob. 16. 2.

consola-

consolatores oneroſi omnes vos eſtis? Ipſa eius vxor, tanquam Lyciſca, ante eum ſtabat, & latrabat: ipſi filij & filiæ mœrore ingenti eum affecerunt: deſeruerunt eum opes; deſeruerunt vires; denique, velut catharma, in ſterquilinio iacebat, *Dominus autem aſſumpſit eum: Et addidit omnia, quæcunq; fuerant Iob, duplicia, & benedixit nouiſſimis Iob, magis, quàm principio eius.* A fratribus deſertus erat Ioſeph, ſed *Dominus aſſumpſit eum.* A patre deſertus erat, qui dixerat: *Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Sed Dominus aſſumpſit eum* inquiens: *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Neque mater potuit filium iuuare, quem, ante portas vrbis Naim, loculi tactu ſurgere iuſſit Chriſtus; potuit ergo iuuare Chriſtus; & potuit dicere adoleſcens: *mater mea dereliquit me, Dominus autem aſſumpſit me.*

Iob. 42. 10.

Luc. 9. 59.

Luc. 7. 13.

IV. Paſtos eſſe ab eodem Seruatore, qui, quod manducarent, non habuêre, ſupra meminimus. Sed & opifices necquidquam ſudantes, ſi ei neceſſitatem ſuam aperiant, nequaquam deſeruntur. *Præceptor, tota nocte, laborantes nihil cepimus*, ait *bonus* alioqui *cymbæ liniq; magiſter.* Qua arte aliquid capere potuit? *In verbo autem tuo laxabo rete*, ait. *Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* O opifices, quibus nihil ex voto ſuccedit, quid totos dies, totásque noctes fruſtra fatigamini? quid oleum & operam perditis? verum eſt, ſudatis: verum eſt, vigilatis: verum eſt, ſuendo, ſecando, fabricando, piſcando vos rumpitis: verum eſt, precium duplum laboris exigitis, & captatis: & nihil hæc omnia proficiunt: figuli opes colligitis: ſemper egetis, ſemper idem inopiæ ſaxum voluitis; omnia lucra in ſacculum pertuſum mittitis: quidquid influit, effluit; quaſi ad Danaidum dolia damnatiin caſſum laboratis. Vultis cauſſam noſſe? non eſt vobiſcum Deus: non offertis Creatori veſtro manè diem, veſpere noctem: non præcedit laborem veſtrum oratio: non ſumitis à cruce præmiſſa benedictionem. Dicite cum Petro, ad Chriſtum: *In verbo tuo laxabo rete: Vſq; modò non petiſtis quidquam in nomine* illius: *Petite, & accipietis.*

Luc. 5. 5.

Luc. 5. 5.

Ioan. 16. 24.

V. Quin, etiamſi regnum illius non ſit de hoc mundo, nec venerit ad dandas caducas, ſed æternas atque cœleſtes opes; tamen, ſi ita profuerit, etiam pecunias prouidebit. *Acceſſerunt, qui didrachma accipiebant* (publicani) *ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter ſoluit didrachma?* id eſt, duo drachma) *Et ait: Etiam,*

Matth. 17. 24.

Quod

Quod de facto, non de iure, Christum soluisse, semper viderat, vel hoc ipso postea falsò accusatum, quasi tributa Cæsari solui prohibuisset. *Et cum intrasset in domum,* Petrus, *prævenit eum IESVS, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributũ, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Matth.17. 24. Stater enim, seu siclus, erat tetradrachmum, id est duo didrachma, vnum pro Christo, alterum pro Petro; quia vnusquisque didrachmum, seu dimidium sicli pendere debebat. Expende hîc iudicium Christi, & in caussa, & in miraculo. Caussam ipse indicans ait: *Vt non scandalizemus eos. Scandalum* id fuisset, non *datum*, sed *acceptum*, vt vocant Theologi, ex quorum sententia non *acceptum* sed *datum* duntaxat *scandalum* est necessariò vitandum. Ea tamen erat bonitas Christi, vt, qui alibi *scandalum acceptum* contemnendum censuerat dicens: *sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, hoc tamen loco, vel grandi miraculo interueniente, voluerit vitare. Nam miraculum multis de caussis fuit magnum. Etsi enim Theophylacto daremus, staterem illum, non pecuniam fuisse, sed margaritam; vnde sciuit Christus, piscem primò trahendum margaritam habiturum, si non, spiritu Prophetico, absentia vidit? sed incredibile est, fuisse margaritam, cum margaritæ non in ore, sed in ventre; non in piscibus, sed in conchis soleant inueniri. Fuit ergo verus siclus, & miraculum inde maius, quòd Christus absens sciret, quis fuerit ille piscis, qui in ore staterem esset gesturus; & quòd sciret, illum primò ascensurum; immo quòd potiùs fecerit, vt ille primus ascenderet; aut quòd in ore ascendentis staterem ipse creârit aut formârit; nisi enim ibi primùm eum feciisset, non in ore, sed in ventre piscis stater repertus fuisset: deglutiunt enim pisces, quod ore rapiunt. Quo ex facto apparet, quantis miraculis, vel pecuniam quoque suppeditet indigentibus benignus Deus. Quod & per Matrem suam legitur fecisse. Matth.15.14

VI.

Monasterium est valde magnum in Hierusalem, non modicã habens congregationem in quodam loco, inquit Gregorius Turonensis, *Deuotio populi sæpe plurima confert. Veruntamen Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem, quodam tempore, vt, præ penuria egestatis, valde eis victus necessaria deficerent. Congregatio* S Gregorius Turon. lib. 1. de glor. Martyr. §. 11

itaq; garrula Monachorum, cum, vna atq; alia die refectionis, alimoniam non caperet, vociferantur ad Abbatem dicentes: Largire cibos, aut permitte discedere vnumquemq; in locum, quo vitam propagare possit; alioqui, nec te consulto, discedimus, ne pereamus fame. Hæc, ijs dicentibus, ait Abbas: Oremus fratres dilectissimi, & Dominus ministrabit nobis cibos: nec enim potest fieri, vt deficiat triticũ in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit Mundo. Quibus vigilantibus, nocte tota, ac psallentibus, mane orto, ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, vt vix vel reserari ostium posset. Accepto autem cibo, gratias egerunt Deo. Post multos verò annos, iterum deficiẽte cibo, clamauerunt Monachi ad Abbatem, qui ait: Vigilemus, ac deprecemur Dominum, & forsitan transmittere dignabitur alimenta. Denig; prosternuntur ad pauimentum templi. Vigilantes itaq; noctem in Psalmis hymnisq; & Canticis spiritualibus, cũ se, post matutinas, somno dedidissent, venit Angelus Domini, & posuit, super altare, multitudinem innumeram auri. Erant enim ostia ædis obserata. Exurgente autem manè Abbate cum Monachis, ad celebrandum cursum, viderunt multitudinem auri super altare. Et ait Abbas Custodi ædituo: Quis Præfectorum huc ingressus est? qui hæc detulit? Respondit: Post egressum vestrum, nullus hic hominum accessum habuit, sed ostij clauem munitam retinui, & mecum habui, donec surgeres ad commouendum signũ. Tunc stupens Abbas cum Monachis, munus cœleste intellexit, gratiasq; Deo agens, collegit; comparatisq; victui necessarijs plebem creditam affluenter refecit. Nec mirum, si B. Virgo, sine labore, suis protulit victũ, quæ sine coitu viri concipiens, virgo permansit & post partum. Hæc S. viri verba sunt, quibus ego aliud adiungam, verbis meis.

VII. *Hermannus*, postea, ab ipsa Deipara, cum duobus Angelis, ei se spectabilem præbente *Iosephi* sibi nomen adscisce iussus (cuius Beatificationem Ferdinandus II. Imperator Diuis affectissimus Romæ à Sede Apostolica petiuit) antè, quàm, in Steinfeldensi cœnobio, sub S. Norberti vexillo, in Præmonstratensium ordine, stipendia faceret, cum adhuc septennis, Coloniæ, scholas frequentaret, ceteris condiscipulis, festis ac Dominicis diebus, in platea pueriliter lusitantibus, solebat se subducere, atque in B. Virginis monasterio, ad quandam, diuinę Matris Filium Deum brachio gestantis, se se imaginem illatebrare. Ibi, haud secus ac si statuæ viuerent, ita iam cum Matre verba faciebat: iam cum Filio eius suauissimè, & tanquam cum æquali, familiarissimè sermocinabatur.

Surius 5. April. in vita eius, & F. Io. Chrysost. de Stôrre in vita edita Antuerpiæ Anno 1627.

tur. Si panem nactus erat, aut si pomulum habebat, Matri Filióque eius lubens, gaudénsque sportulam attulit ac porrexit. Et verò acceptum id sibi munus esse, cœlestis Virgo perspicuè ostendit: quippe quæ extento, quantumis ligneo brachio, munus acceptauit. Quin & locuta est cum Hermanno elinguis imago, iussitque eum cum Puerulo suo colludere. Quod ad vespertinum vsq; tempus factum: vt verè dicere posset diuina Sapientia: *ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Prou. 8. 31. Parentes illi erant pauperes, quibus non suppetebant sumtus, ad illum ritè vestiendum. Quare aspera ac frigida hyeme, moris sui seruans, ad castæ Matris statuam in templum venit. Vsque adeò cœlesti flamma æstuantem rigens bruma non impediuit. Ibi Imago rursus verba fundens interrogauit, cur, tempore tam frigido, nudis incederet pedibus? cui ille respondit: *Calceis careo.* Mox illa, lapidem, inquit, illum vides? (& digito lapidem monstrabat) sub eo quatuor denarios reperies, eos tolle, & calceos eme. Adit lapidem, inuenit pecuniam, & exultante animo ad gratiæ tantæq; liberalitatis Matrem recurrit, eique gaudibundus nummos ostendit. At illa, quoties, posthac calceis, tabellis, aliáque scholastica supellectili indigebis, eum lapidem adi, semper inuenies monetam. Quid puerilis ætas, quid mulier, tacitum secretúmue seruat? Igitur neque potuit ista res vel Hermanno puero, vel ab Hermanni matre femina diu cælari. Vulgata est. Rescientes reliqui etiam pueri & ipsi eundem lapidem adierunt, mouerunt, sed nihil reperierunt: quia non itidem, vt Hermannus, coluerant thesauri monstraticem. Tanti refert, vnde quis non opem solùm, sed opes etiã petat.

VIII.

Fabulæ Fortunatum quendam fingunt, in silua, Deam obuiam habuisse, quam Fortunam vocant, à qua marsupium dono acceperit, eius virtutis, vt quoties vellet, ex eo aureos nummos posset educere, tanquam è fonte quodam perenni, aut potiùs fluuio & Pactolo auri. Fingunt hæc. Somnia sunt Parnassi. Felicior Hermannus fuit Fortunato. Sub lapide semper pecuniam reperit, quoties quæsiuit. Docuit ergo nõ à Fortuna, sed à Maria eiúsque inprimis Filio, opes sustentationi necessarias esse flagitandas. Neque Midas Phrygiæ rex aurum quæsiuit, vbi debuit; quæsiuit apud Deum, sed falsum, & qui ad dilapidandas, non cumulandas diuitias est opitulator. De vera in verum Deum fiducia à S. nostro

Ouid. lib. 11. Metam.

ſtro Ignatio diſcenda, infra memorabo: hîc pecuniæ inſperatò ſuppeditatæ exempla è vita illius appono.

IX. Petr. Ribadeneir. lib. 5. vitæ S. Ignatij cap. 9.

Romæ Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus propter obitum Pauli III. Pont. Max. in noui Pontificis electione occupatis, inopia noſtri premebantur: quibus extremam etiam famem metuebant multi, humana ratione rem æſtimantes. Ignatius verò eo ipſo tempore familiam ſuam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis Candidatos in Societatem admiſit: multis eius animum admirantibus, quibus, quod conſecutũ eſt, admiratione noua admirationem ademit. Nã hoc ipſo tempore cum aliquando Ioan. Crucius, domeſticus obſonator, homo ſimpliciſſimus, & feruens ſpiritu ex D. Ioannis Lateranenſis templo veſperi domum reuerteretur, ad amphitheatrum, quod vulgo Coloſſeum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos ſilentio tradidit. Eius aſpectu plurimùm Ioannes commotus eſt, & horrore quodam perfuſus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis ſubitò euanuit.

X. *Alias etiam, dum idem Ioannes ſummo manè obſonatum it, obuiam illi factus eſt quidam, qui marſupium aureis nummis plenum in manũ dedit. Et quòd nondum planè illuxiſſet, quis eſſet, agnoſci non potuit. Obſonator certè noſter Dæmonem ſuſpicatus, eiusq; timens inſidias, in templum D. Mariæ ſupra Mineruam, quod proximum erat, ſe repentè coniecit, precatusq; Deum eſt, vt ſe dolo, & fraude omni liberaret. Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli ſuſpicabantur, & a Diabolo, vt nobis imponeret, præſtigijs quibuſdam adumbratam. Sed tamen vera, & recens, & aurea fuit: eaq; debita ſoluta ſunt. Eodem penè tempore, in alia noſtris difficultate verſantibus, dum, in propatulo loco, apertam arculam tomento & ſcrutis viliſſimis refertam, P. Ioannes Polancus domi perſcrutatur, & ſcripta quædam diligentiùs inquirit, recentes nummos aureos fulgentesq; in ea caſu reperit, quibus ſubuentum præſenti neceſſitati eſt. Nam illud diuinæ quidem prouidentiæ ſignum, minùs tamen mirandum eſt, in ſummis rei familiaris angustijs fuiſſe, qui noſtræ neceſſitatis inſcij, pecuniam vltro offerrent, vel etiã benignè domum deferrent: qua ratione noſtrã ſæpe inopiam ſubleuarent.*

XI. Io. Iunior in ſcala cœli. Leon. Mayr. 21. Maij in ſtemmate Mariano.

Perſimile, & aliquantò etiam prodigioſius eſt, quod à Ioanne Iuniore aliisque memoratur, de Nobili quidem, & pia, ſed paupercula matrona, quæ, cum non eſſet, quod alendis geminis filiabus ſufficeret, adduxit eas in templum, ad ſtatuam Matris Dei, ibi manus filiarum, in manus Mariæ tranſponens: *Has meas filias,* inquiebat, *quas, ob inopiam, ſuſtentare non poſſum, tibi, ô Dei parens,*

in manu

in manus trado, iure meo materno omni tibi resignato, vt tu illas pariter in vita, & virginea illibataq; castitate cõserues. Oratione, in hunc modũ, peracta, domũ regrediuntur. Redeuntibus incognitus iuuenis sacculum 100. talentorum offert, hoc se aiens patri earum adhuc debuisse. Hac pecunia mater filias decentiùs vestitas reliquis etiam rebus necessarijs instruit. Sed adsunt illico oculi maligni, & linguæ Theoninæ, quæ spargunt, inhonesto quæstu filiabus peculium obuenisse. Doluit castissimis puellis magis infamia, quàm inopia. Quò confugerent virgines, nisi ad Virginem, & filiæ, nisi ad Matrem? Eunt comprecatum; queruntur, apud Deiparam, de publica infamia, in publico loco. Extemplo ostensum est, Superos audire mortalium preces. Nam nullâ mora, in conspectu totius ciuitatis, duo pulcherrimæ iuuentutis Angeli è cœlo aduenêre, manibúsque elegantissimas coronas ferentes dicebant: *Hæc serta vobis, in testimonium illibatæ vestræ virginitatis mittit Maria IESV & vestra Mater.* Cum dicto serta obtulerunt, atq; etiam oculis moralium se subducentes magnam & Deiparæ, & ambarum virginum opinionem, in spectantium animis, reliquerunt. Quippe duo cœnobia extemplo exædificata sunt, in quibus duæ tãtæ cœli gemmæ conderentur. Ita dotare nouit Dei Mater filias sibi commendatas. Bonæ sunt artes, quæ diuinis auxilijs nituntur. Malis artibus homines plus amittunt, quàm acquirunt.

XII. Æsop. fol. 373.

Quod vel Phryx ille voluit indicare, cuius hæc sunt. *Valde exercitatus fur, egregiam & quæstuosam operam quadam nocte nauârat, compilatis aliquot diuitum arculis. Itaq; auro argentoq; refertum sacculum portans etiam in pauperis ædes deuenit: quas scrutans cum nihil inueniret rerum pretiosarum, in farinarium tandem vasculũ incidit. Ne vacuus autem, contra disciplinam suam, discederet, ponit sacculum, in illum congesturus farinam. At pater familias strepitu excitatus de somno, & timens victui suo, in furem telo arrepto, cum clamoribus irruit. Ille territus ex ædibus, sacculo relicto fuga euadit. At pater familiàs, excusso igne & lumine illato, magnas, præter spem, opes reperit.* Sic *ille qui farinam* pauperi *relinquere noluisset, auro & argento caruit.* Nimirũ sæpe ex insperato succurritur innocentibus; & malè parta, malè dilabuntur, longéq; maius lucrũ reportat, qui lucrum Dei caussa negligit. Cuius rei insignem habemus, in messore, doctrinam, à probatæ fidei authore, enimuerò ab oculatis testibus relatam. Miles, in Germania, dives agri, messores conduxerat,

Thom. Cantiprat. lib. 2. c. 53. §. 9.

qui, secto gramine, fœnum facerent. Illi in opus strenuè incumbebant, vt diurni laboris mensuram quisque impleret. Erat fortè peruigilium Sancti cuiusdam, cum sub vesperam, vndique, in pagorum turribus, campanum æs cœpit compulsari, signúmque dari ad Vesperas. Eo sonitu audito, *Desistamus*, inquit vnus è messoribus, *falcemq; seponamus, tempus est Vesperarum.* Pia monitio, apud crudos animos, non habuit locum. Quin dicterijs insuper asperserunt ceteri monitorem. Ille tamen nullis sarcasmis absterritus, falce & opere relicto, ad preces cantúsque Vespertinos se contulit, reliquis porrò gramen cædentibus. Tertio inde die, in pratum veniens, & longo, post reliquos, interuallo laborem incipiens pro deridiculo habitus est. Tulit cachinnos patienter: sed non diu fuit, cum irrisores se ipsos sensserunt cachinno dignos. Vix enim ille manu falcem vibrare cæperat, cum ex eminentiore graminis surculo auream quandam miræ & visendæ magnitudinis monetam pendentem conspexit. Quid illo lætius? Cadit illico in genua, &, præ gaudio, lachrymans in diuini Largitoris laudes effunditur. Concurrunt ad clamorem socij, concurrit & prati dominus miles: vident nummum non vulgari modo, sed prodigiosè inscriptum. Miles, qui olim aliquot annos, inter scholas, haud magno sanè operæ precio contriuerat, litteratam tamen monetam, voce patria, legit, & hunc ferè sensum inuenit: *Manus Dei me compegit; & in donum me redegit pauperi; qui non infregit diem Sancto celebrem.* Numum hunc vxor militis tanti fecit, vt magna pecuniæ summa eum emtum multis postea, in rei gestæ testimonium memoriámque commonstrârit.

XIII. Narrabo hîc, quòd à viro diligente atque industrio in eandem rem narratum habeo. Duo vnà iter faciebant, quorum vnus in perpeti metu de victu comparando versabatur, alter verò de Dei Prouidentiâ certus ac sui securus plenus lætitijs pergebat. Hoc mirari ille, & è socio quærere; quænam res ei tantam animi tranquillitatem adferret? Nam ego, inquiebat, curis conficior, & quando de futura vitæ sustentatione cogito, intemperijs agitor. Ast ego, inquit alter, dudum hæc examussim cogitaui, curámque omnem in eum conieci, *Per quem nec ales esurit.* Quanquam neque otiosè vitam agere decreui, sed statui, manum cum Deo mouere. Quia igitur immobili adhæreo, ideò quietus sum. *Quid verò est, manum cum Deo mouere?* rogat iste, Cui alter *Fideliter*

liter, inquit, *artem quam didici, exercebo: cætera Deo permittã.* Dictum hoc impio risu excepit anxius ille, dicens: *Vidisse se multos Deo fretos deceptos esse.* Mox ergo relapsus ad suas dubitationes, & deliberationes cœpit, inter alia, pcelli metu cęcitatis; *Et quid*, inquit, *te futurũ esset, si cæcus fieres?* In hac formidine, incipit tentare, quomodo cæcus factus progredi posset? Itaque oculos claudit, cautéque manu prætenta, magno spacio nouus andabata progreditur. Verùm ita sponte cæcus marsupium auro grauidum, in viâ iacens, præterit, quod ponè subsequens socius conspectum illico sustulit; dicens, solicitudine nimia excæcatos diuinæ Prouidentiæ largitatem non videre. Quia igitur in hunc modum *adiuuit pauperem de inopia*: venite & *timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Huc ergo, *qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite emite absq; argento.* Ps. 106. 41. Psal. 33. 10. Isa. 55. 1.

XIV.

Absq; argento emit, qui spe & fiducia in Deum emit: *absq; argento emit*, qui non confidit in multitudine diuitiarum: *absq; argento emit*, qui argentum dispergit & dat pauperibus; nam centuplum accipit, etiam in hac vita. Luculentam rem recensẽt Ioannes Moscus cognomento Euiratus, his verbis: *Cum in Samo insulà essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria Mater Domini, Pauli candidati, dicens: cum essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quodam ait vir vxori suæ: Demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor ait viro, si placet ea fœnerari, veni, demus illa sub fœnore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius. Et vbi est Deus Christianorũ, vt demus ei? ait illa: ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet & capitale duplum reddet. Qui ait: Eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinq; magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes dicens: istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata capit erogare pauperibus. Reuersiq; sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil, vt video, nobis daturus est* Io. Moscus Euiratus in prato spirit. cap. 185.

Deus

Deus Christianorum, ex debito illo; & nunc angustamur inopiâ. Respondit mulier & ait illi: Profectò dabit. Vade, vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate.

XV. Quo audito, ille currens abijt in sanctam Ecclesiam. Veniensq; in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circuiens totam Ecclesiam neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret à seipso, cui diceret aliquid, aut à quo exigeret, aspexit, ante pedes suos, in marmore iacere numisma vnum de illis, quæ pauperibus ipse erogârat, inclinansq; se & accipiens illud abijt in domum suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiam, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorũ non vidi, vt dixisti, nullusq; mihi aliquid dedit, nisi quod hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego primi erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit. Ille enim, inuisibili potestate suâ, disponit hunc Mundum. Sed vade, Domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rursusq; ipse prouidebit nobis. Abijt ille & emit sibi panem & vinum & piscem, & veniens domum dedit vxori. Quæ accipiens piscem cœpit ipsum purgare, exenteransq; illum, inuenit in visceribus eius lapidem valdè mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen sciebat, quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen quid esset. Cùm autem comedisset, ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum, si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neq; enim, vt dixi, nouerat & ipse quid esset, vtpote simplex & rudis. Tulit itaq; lapidem & abijt ad Trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere, inuenitq; illum, iam clausis omnibus, egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? ait autem ille: da quidquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinq; numismata. Putans autem venditor, quia illuderet sibi, dicit ei: Et quantum vis pro illo persoluere? Existimans Trapezita, quod ita ille, per ironiam, loqueretur, ait ipsi: Accipe decem, pro eo, numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi Trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret, cœpit ille amplius lapidem æstimare. Paulatim verò emptor ascendens vsq; ad trecenta

numismata

numismata peruenit, deditq; illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad vxorem suam gaudens. Quæ cum videret illum exultantem, dixit: Quanto illum vendidisti? Putabat autem quod illum quinq; aut decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens dedit illa vxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans dixit ei: Ecce DEVS Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm dives! Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti, sed paucis diebus tibi sexcuplicata restituit? Agnosce igitur, quia non est DEVS alius, neq; in terrâ, neq; in cœlo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cũ experimento didicisset & ipse veritatẽ, effectus repentè Christianus, glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ vxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

Verè bona vxor magnum est bonum mariti. Hæc docuit XVI.
virum suum sanctam vsuram; neque solùm diuitem fecit, sed etiã Christianum. Vtinam haberet multas imitatrices! Aliæ vxores, vt earum superbiæ satisfiat, coniuges suos, ad fraudes, ad rapinas, ad mille dolos adigunt; furta eorum occultant, distrahunt, dissipant; neque conantur bonis artibus ditescere. Enimuerò blanditijs, aut nequitijs suis corda virorum euertunt, & ad hæreses, aut alios errores, nec rarò ad idola pertrahunt, quod ipsi contigit Salomoni. Non est hoc bonæ vxoris, de qua dicitur, *sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem:* quod de S. Cæcilia legimus, quæ maritum suum Valerianum; de Theodora, quæ Sisinnium; de Clotilde, quæ Clodouæum; de Natalia, quæ Adrianum, per preces, per verba, per bona opera, per exempla sancta, conuertit. At maritum habes fidelem? si non potes illum conuertere ad fidem, in qua iam est, conuerte ad iustitiam, conuerte ad misericordiam, conuerte ad charitatem; doce eum dare eleemosynas, nec ei manum injice dare cupienti, quod multas, prô dolor, auariſſimas Orci Nymphas audiuimus factitare. 1. Cor. 7. 14.

Discite hîc & vos pecuniæ sititores, non pluris facere in- XVII.
dustriam vestram, quàm gratiam diuinam: non magis confidere, in vestro labore, quàm in Dei ope. *Vanum est vobis, ante lucem surgere*; vanum, *tota nocte, laborantes* vigilare, & *facere operationem* in fluminum nauigandorum, aut sudorum *aquis multis*; nihil capietis, si Christus non sit vobiscum. *Nisi Dominus ædificauerit domum*, Psal. 126. 2.

mum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Hic messor plus cessando messuit, quàm alij, vsque ad occasum solem, se defatigando. Discite, mortales, inter vera & vana auxilia, discrimen facere. Nolite vobis promittere à mandragoris pecunias; non fert ea radix nummos. Nolite effodere thesauros, quos atri custodiunt canes. Cerberus, non Deus; Gryphes, non Cœlites, habitant in illis hypogæis. Nolite animam vestram vendere tribus Philippæis, Christum triginta argenteis. Non dat Orcus opes, quibus ditescatis. Cum putaueritis vos habere crumenam ære grauem, carbones thesaurus erunt; & sæpius stercora, quàm nummismata colligetis. Denique, quando nihil acceperitis, cum Pluto, Plutonem estis adoraturi. Deum colite, ille aurum creauit. Ille, cum nemo iuuerit, ditabit. Ille & diuinam virgulam, & auream, sed castam, pluuiam potest è cœlo mittere. Ab illo, tanquam sponsæ, arrham accepistis, quidquid habetis. Caue, homo, ne de tua anima sit illa querela: *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal,* quasi dæmonis, non Numinis dona; ab Inferis, non à Superis impetranda. Si qua re indiges, Patrem adi, non hostem, apud quem, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Hinc tam multi, ob amissam vnicam vaccam, aut leue damnum, seipsos suspendunt: verè enim in laqueum diaboli incidunt, quem illis tetondit.

Osee. 2. 8.

1. Tim. 6. 9.

CAPVT XIV.

Diuinæ bonitatis iudicia, in Sacramento Baptismi & Confirmationis gratiaq; diuina, mirabiliter suppeditatis.

I. Vòd si, iudicio Dei, à pecunijs alijsq; terrenis boni homines desertissimi tantam habent compensationem, vt vel diuinitus pecuniâ iuuentur, vel alia accipiant bona pecunijs longè præstantiora: quid egenti non erit sperandum de cœlestibus thesauris? Inter quos est diuina à Christo promanans gratia, quæ minimè opinantibus atque etiam haud merentibus sæpe affulget & datur; diuináque Sacramenta, quæ mirabili prouidentia instituta, mirabili-

biliore modo nonnunquam hominibus offeruntur. Nempe non minùs menti, quàm corpori mortalium iudicat prospiciendum Deus; qui sæpe illa occasione aut ratione adest, qua minimè putauisses. Ita ex Saulo Paulum fecit, quando eum Ecclesiam discipulósque Christi flagrantissimè persequentem, ipsa cæcitate oculorum, illuminauit. Ibat *spirans minarum & cædis in discipulos Domini: & subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Ita *vir Æthiops Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum*, à Philippo, in fide, eruditur insperatò. Mittitur ab Angelo Philippus *ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam*, & nec dum ipse scit, cur mittatur. Mittitur & ad currum, in quo sedebat Eunuchus. Occurrit locus opportunissimus Isaiæ, de Christi Passione, prophetantis: occurrit & aqua: denique & ipsi Eunucho occurrit, vt diceret: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ad hunc modum lauit Æthiopem, sed vtiliter, Deus, nihil minùs, quàm de hoc lauacro cogitantem, cum domo exijsset. Sed tamen Saulus, quando in mala via iter faciebat; Æthiops, cum Deum quæsiuit, conuersus est. Vnde admiranda Dei iudicia se se aperiunt, qui & sequentibus, & persequentibus venit obuius ad auxiliandum.

Act. 9 1.
Act. 8. 27.

II.

Id autem quod Eunucho baptizato, Paulóque conuerso euenit, in omnibus Sacramentis contigisse, potest ostendi. Nam in primis de aqua etiam diuinitus ad baptismum oblata, illud refert Baronius. Cum An. Christi sexagesimo octauo S. Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum missus à Processo & Martiniano militibus asseruaretur, ipsos suos hos custodes ad Christi fidem adduxit. Iam crediderant, sed defuit aqua baptismo necessaria. Non defuit ergo Deus. Extemplò, quasi saxo vena esset secta, ita, in vicem sanguinis, fons erupit: qua aqua Processum & Martinianum tinxit Petrus. Nemo loco diffidat, qui Deo fidit. Nusquam & nunquam illi deest, quod prodest: quosque mortalium iudicia sæpe abiectissimos ne pistrino quidem dignos censent, eos diuinus oculus ex persecutoribus Apostolos, ex lictoribus martyres, denique ex nigris candidos facit atque cœli candidatos.

Baron. t. 1. An. 68. & Thom. Boz. lib. 1. de sig. Eccles. c. 16.

III.

Stupendum eiusce modi Dei iudicium fit manifestum, etiam ex alia, commemoratione, digna historia, quam, sub Paulo Episcopo Alexandrino, circa annum Domini quingentesimum trigesimũ septimum contigisse, in Prato spirituali, his verbis legimus. *Narrauit nobis* (inquit Ioannes Moschus cognomento Euiratus) *Abbas*

Prato spirit. cap. 207.

Theonas & Theodorus, quòd Alexandriæ, sub Paulo Patriarcha, puella quædam relicta fuerat pupilla, à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in media ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi: dic mihi causam, & fortassis iuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valde suffocor à creditoribus, elegiq; potiùs vitam semel finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia, quæ habeo, & redde: tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille reddidit omnia. Puella ergo angustari cœpit non habens, qui sibi curam gereret. Itaq;, destitua parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti: Quis nouit ista, nisi solus DEVS? quomodo scilicet permittatur anima, propter causam aliquam ipsi soli cognitam, ad tempus derelinqui? Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa compuncta est, orauitq; Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cum verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus, in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid re verâ istud cupis? Respondit illa: Vtiq;, Domine, & deprecor te, vt hoc mihi impetres. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos & ipsos Sanctos Angelos, duxeruntq; illam in Ecclesiam. Rursumq; se ipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas ex ordine Augustalium, vocant Clericos, Presbyterum scilicet, & Diaconum, qui in hoc ipsi constituti erant. Dicunt eis Clerici. Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem responderunt: Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt: & albis indutam rursus ab eis subuecta est. Quã cum deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam albis indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutiq; sunt Clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad eam: Qui sunt illi? cum verò non posset dicere, qui essent illi, abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his, qui ad baptizandum constituti erant. Vos illam baptizastis? Et confessi sunt, se illam baptizasse exoratos ab illo & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex

Prato-

Prætorio his, quos Clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fidei iussistis? Qui dixerunt: Neq; nouimus, neq; conscij nobis sumus, hoc feciſſe. Tunc verò iam cognouit Episcopus, DEI hoc opus esse. Conuocansq; illam dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait: Meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihilne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quòd videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, datâ illi omni substantiâ meâ, liberaui illum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Hoc baptismo vel meretrici, ante mortem, diuinitus procurato; non tantùm mirabilia & arcana Dei iudicia illustrantur; sed etiam erudiuntur illi, qui, quæ olim piè gesserunt, frustra esse gesta existimant. Bonus est Deus, etiam illorum operum non obliuiscitur, quæ mortali delicto extincta sunt. Illis enim etsi cœlum non debeatur: enimuerò etsi de condigno nihil omnino debeatur, tanquam Dei inimicis, nisi pœna; congruum tamen existimat Deus, vt aut bona *recipiant in vita sua*, cum Epulone illo, aut vt illis aliunde via ad cœlum aperiatur. *Et quis inennarrabilem bonitatem illius dignè admirari, quis pro ea dignè gratias agere queat?* ait Blosius. *Nam cum nemo ad salutem perueniat, qui non vel tantillum charitatis habeat, vt ex amore Dei, saltem in extremo vitæ positus, pœnitentiam agat, auersetur q; peccata: ecce ipse misericordissimus hominum q; amantissimus Deus, sæpe se vsq; adeò benignum & amabilem etiam desperatissimis peccatoribus (quos alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit) sub mortem exhibet, vt illi ex intimis præcordijs doleant, quòd offenderint tam pium Conditorem atq; Redemptorem. Per quam nimirum pœnitentiam, apti redduntur ad salutem consequendam; & peracta tali peccatorum purgatione, qualem diuina iustitia quæsierit, in æternum cœlestis regni gaudium introducuntur. Profectò in altissimo secretissimo q; profundo latet fons ille inexhaustus, vnde tanta pietas ad nos dimanat, vnde tanta misericordia super nos effunditur: de qua quì desperat, Deum bonum & veracem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus est.* Hæc ille.

IV. Luc. 16. 25.

Ludou. Blosius In Canone vit. spirit. cap. 2.

At ne, qui vel eleemosynæ, vel alterius cuiusdã boni sibi operis conscius est, temerariè præsumat, sibiq; certò Numinis gratiã promittat, etiamsi in grauia scelera prolabatur; sciat multos, immo plurimos in Inferno ardere, qui vel antè, quàm se flagitijs inuoluc-

V.

uoluerent, vel in ipsa sceleſta vita, sanctiſſima quædam opera præſtiterunt. Nouit Deus illa temporali aliqua felicitate compensare; ad quod ipsum etiam, vi iuſtitiæ non aſtringitur; quamuis id præ bonitate ſua, faciat. Multa vtique laude & honore digna fecit Aman, quem tamen Aſſuerus iuſtè ſuſpendit, quia ille, quidquid, præmio dignum egit, crudelitate ſua euertit. Hunc morem paſſim Principes obſeruant; gladio addicunt rebelles, qui ante chariſſimi extiterunt. Ioab quantus fuit, apud Dauidem? non ille etiam per æſtates hibernando, ſed vel in ſummis frigoribus, aut aſperrima tempeſtate, manus ſtrenuè conſerendo, bellauit; non, velut malus Fabij imitator, ociosè cunctando, ſed pugnando aſſiduè, rem reſtituit. Quot non victorias retulit? quot non hoſtes interemit? quantas non ſedauit rebelliones? & tamen, quando, *appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur, præcepit*, inter cetera, *Salomoni filio ſuo, dicens: Tu quoq; noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſraël, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem prælij, in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta ſapientiã tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Cur non idem faciat Deus? Enimuerò ſæpè etiam facit. Quamobrem Saul *regem ſic compellauit Samuel: Nonne, cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es? vnxitq; te Dominus in regem ſuper Iſrael? Et rurſum: Pro eo, quòd abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis rex.* Nec tantùm ſolio, ſed etiam vita (& vtinam non etiam vita æterna!) illum excidere paſſus eſt. Nemo ergo temerè peccet, etiam virtutis ſibi conſcius. Tantali hortus ſunt virtutum opera vitijs, velut ſpinis, ſuffocata. Nemo etiam deſperet, immò tantò promptiùs liberalitatem clementiam, aliáque pietatis opera exerceat, quia ſperare poteſt, ſi non præſidenter ac præſumptuosè, ſed caſu, aut imbecillitate quadam labatur, Deum ea ipſa opera aſpecturum, apud quem *miſericordes miſericordiam conſequuntur.* Quod congruum eſſe dixi, conueniénsque diuinæ bonitati, atque ex recitata hiſtoria conſtat.

Eſther. 7. 9.

3. Reg. 2. 1.

1. Reg. 15. 17.

Matth. 5.

VI.

Et cur animum deſpondeant iſti? cum nihil penitus vnquam merentes non rarò reſpiciat Deus. Geneſius, tempore Diocletiani, Romæ, mimus & thymelicæ artis magiſter, in publico theatro, de Chriſtianorum myſterijs, Imperatori, per ludibrium, deli-

Martyrolog. Roman. V. ſuardi 25. Auguſti.

delitias facturus ægrotum se simulans baptismum popoſcit. Euocato mimico presbytero & exorcista, cum ludere vellet, repentè seriò egit. Quippe, diuini Spiritus impulsu, mutatus, inter ipsos sacrilegos iocos, Christianus factus, mimorum nugamentis, immo iam vi sua non carentibus simulatorum Sacramentorum arcanis absolutis, albis vestibus indutus, atque etiam ad sanctorum martyrum similitudinem, à militum petulantia raptus, de religione interrogandus Imperatori exhibitus, in editiore loco consistens sic cœpit perorare : *Audi, Imperator, audite Quirites, & omnes exercitus, populiq; huius ciuitatis. Eo apud me Christiani loco fuêre, vt, in deriſum deſpectumq;, illorum ſacros ritus, coram vobis, explodere vellem. Ita eram animatus. Aſt vbi primùm me aqua nudum contigit, & interrogatus, credere me reſpondi, mirabile ſe ſe oculis meis exhibuit ſpectaculum. Nam manum quandam vidi ſupra me cœleſti è regione venientem. Et iuxta me Angeli ſteterunt clariſſimè fulgurantes. Hi è libro quopiam, omnia, quæ ab infantia vſq; malè perpetraui, recitauerunt, atq; illico in aqua diluerunt; poſt quæ, me mihi ipſum oſtenderunt niue candidiorem. Talis prodeo ex hoc balneo. Nunc igitur & tu, Imperator, & vos ſatrapæ, & quotquot me ludentem ſpectauiſtis, mecum reſipiſcite, & Chriſtum verum Deum eſſe credite, per quem æternùm ſalui eſſe poſſumus.* Dixit, & Imperatorem, quem oblectatum venerat, in furorem dedit, à quo Plutiano traditus, diriſſimè, pro Christo, est excruciatus. Nam equuleo tortus, fustibus cæsus, vngulis laceratus, facibus vstus, denique capite truncatus nobiliſſimam martyrij lauream reportauit. Inter quæ tormenta omnia, nulla illi alia vox excidit, quàm ista: *Non eſt rex, præter Chriſtum, pro quo, ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteritis.* Sic diuina bonitas etiam indignis atque immerentibus offert gratiam, qua repentè sanctiſſimi & fortiſſimi efficiantur. Neque sine iuſtiſſimo consilio. Quia, vt supra laudatus author ait: *Quantò plura, quantò grauiora ſunt ipſa peccata, quæ condonat, & quantò indigniores miſerabiliores q; ſumus nos, quibus ignoſcit; tantò gloria eius magis eluceſcit.* Mihi enimuerò etiam videtur voluiſſe vim baptismi ostendere, in quo etsi neque intentio ministri, neque susciepientis, ab initio, fuit, tamen & illa diuinitus impleta & hæc opere ipso susciata tantum effectum sortita est, vt, sine mora, ex illusore fieret confessor; ex mimo Diocletiani, Seruus Christi; ex sacrilego denique, cultor sacrorum & Martyr. Adde, voluiſſe

Ludou. Blosius in Canone vit. spir. cap. 2.

luisse etiam Redemtorem nostrum hoc exemplo demonstrare, quod verbo aliquando docuerat, nempe nos non debere esse vindictæ appetentes. Nam ecce, qui dixerat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos:* etiam caussam reddidit: *vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos:* (hoc est, qui bonis & malis bene facit) *& pluit super iustos & iniustos*, seu qui cruces atque aduersa æquè iustis ac iniustis, licet diuersis de caussis, mittit. Nullus ergo clypeum debet abijcere, in hac vitæ istius ancipiti pugna: etiam si iniustus sit, pluuia tribulationum illum poterit abluere, aut aqua baptismi, si nondum sit ea tinctus: etiam si malus, si cæcus in fide, solem diuini luminis super eum oriri faciet, cum minimè sperabit. In Genesio discat, animarum nostrarum Pastorem Christum IESVM sæpe ouem ex ore lupi eripuisse.

Matth. 5. 44.

VII. Quantus autem sit amor succurrendi in Deo, præsertim per baptismi sacramentum, quod de medij necessitate est, ita, vt, sine eo, vel in re, vel in voto, susceptо, saluari nemo possit, ostendam alio luculentiore exemplo, vbi legimus, & fluminis, & flaminis, & sanguinis baptismum, in vno homine, confluxisse; quorū etsi baptismi singuli sufficissent, voluit tamen omnipotēs Mundi Gubernator declarare, aliunde desertos à se non deseri; & quo pacto possit *super iustos* vtilissimè *pluere*. S. Philemon tactus cœlesti lumine, Christum vltrò profitebatur, & pro eo mori desiderabat. Stabat iam Martyr ad tribunal, & sedebat Præses tyrannus. Ille damnari optabat, iste cupiebat absoluere reum. Quare Philemoni obiecit, frustra illum esse, cum neque Christianus quidem omnino factus sit, neque baptismum accepisset. Hæc aliaque multa, cum effutijsset Præses, è multis paleis paulum fructus collegit. Immò, quasi oleum flammæ subministratum esset, ita diuino amoris igne exardescens Philemon exclamauit. *O ignem spiritalem*, inquiebat, *qui accensus es, in meis præcordijs! ô quantum tibi debeo, ô Præses, quòd me etiam inuitus maximis affecisti beneficijs, sacrum baptismum in memoriam reuocans.* His Præsidem cum allocutus esset in media turba consistens, *Rogo vos vehementer*, exclamauit: *Si quis inter vos præest Christianis, & contemnit tormenta, propter pietatem, adsit citò & me impertiat baptismate.* Dixit, stetit, expectauit; nemo vnus prodijt, qui periculum auderet contemnere tam præsens. Postquam igitur

Laur. Sur. tom. 6. die 4. Decemb. in vita eius. c. 32. ex Metaphraste & Aloys.

igitur vidit, omnes timore victos silere, neque opis quidquam in homine vllo esse, calidè lachrymans, in hanc vocem erupit: *Deus meus, Christe, qui me benignè adspiciens à profundo errore reuocasti, ne sic me despicias diuinum baptismum minimè assecutum. Sed quouis modo ostende mihi sacerdotem & aquam, à quo, & in qua, similiter atq; alij Christiani, baptizer.* Vix ea dixerat, cum nubes, densa cœlum contraxit, & è sublimi se demittens stantem medium circumdedit, effusóque imbre, eum abluit, Christo ipso cetera ad baptismum necessaria faciente. Mox nubes, officio hoc peracto, se se postliminiò in altum recepit. Martyr autem, in oculis omnium, cœlesti rore baptizatus, *Vobis*, inquit, *omnibus videre licuit, qui Christiani quidem estis, nondum autem vultis manifestam esse vestram pietatem, quemadmodum, cum nullus vtiq; ad me ausus esset accedere, ipse veniens apertè Dominus me maximo dono impertiyt baptismatis. Videte ergo, vt turpi & illiberali timore liberemini. Quin etiam tu quoq; aspice, Præses, relictà, quæ nihil habet vtile, insaniâ: cognosce, cuinam Deo teipsum, absq; ratione feceris inimicum, & quemadmodum, eo Iudice, sis luiturus pœnas.* Ad hunc modum triplici baptismo candidus ad cœlestem coronam Philemon est promotus. Defuit illi, in terris, aqua; missa est de cœlo: defuit homo, qui baptizaret; adfuit Deus, qui baptizauit. Magnum hinc & solatium capere possunt pusillanimes; & documentum negligentes. Pusillanimes quidem, qui sæpe nimis sunt anxij, verentes, se aut omnino, aut certè non rectè esse baptizatos. Ament Deum super omnia: detestentur super omnia peccatum: dicant ex animo: *O ignem Spiritalem, qui accensus es in meis præcordijs!* & confidant, Deum adfuturum, atque eos, per hunc ipsum *baptismum Flaminis* saluaturum. Negligentes autem discant baptismum æstimare. Suffecisset Philemoni Deum tantopere amanti *baptismus Flaminis*: sufficisset tanto martyri *baptismus sanguinis*; & tamen Christus *baptismum Fluminis* ei vnà impertijt, vt humanam socordiam corrigeret, quæ sæpe parum pensi habet, à qua obstetrice, filij, siue in Dei, siue in Diaboli nomine, baptizentur. Et tamen, *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.*

VIII. VVoltan. VVintou. in vita S. Ethe-

Hoc prouidentissimum diuinum iudicium, in alijs quoque Sacramentis sæpe eluxit. Ex Woltano Wintouiensi monacho constat, clericum, cui à S. Ethelovvoldo Wintouiensi Episcopo sacri erat Chrismatis cura demandata, minùs aliquando olei,

Iovvoldi c. 11. & Sur. tom. 4. die 1. Augusti.

quàm res posceret, accepisse, atque illud ipsum, in itinere amisisse, mirabili Dei artificio, parum auferentis, vt multum redderet. Itaque Episcopo pueros puellásque (neque enim in virilem aut senilem ætatem tunc sacramentum istud differebant) confirmare volente, neque habente Clerico sacri olei ampullam, turbatio magna extitit. Anxius Clericus viam ijsdem vestigijs, recalcat, recurritque eò, vnde venerat. Dum, oculis huc, illuc, curiosè missis, rem perditam indagat, reperit ampullam in via iacentem, insigni auctu locupletatam. Nam, quæ antè nec media sui parte plena fuerat, iam oleo sacro, vsque ad summum marginem referta, toti multitudini sufficiebat, ad petitum Confirmationis Sacramentum suscipiendum. Igitur, qui mulieri Sarephtanæ, per Eliam, dixit: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, ille etiam, ad spiritualem vsum, oleo addidit incrementum.

3. Reg. 17. 14

IX.

Is ergo inuocandus est, qui nouit elicere *mel de petra, oleúmque de saxo durissimo*; siue id ad corporis sustentationem requiratur, siue ad animæ salutem. Fatuis Virginibus similes sunt, qui non ad Deum, sed ad homines dicunt: *Date nobis de oleo vestro.* Quod sanè faciunt, quicunque non negligunt oleum, quo cibos condiant, aut corporis leniant tubera & cruciatus; at de sacro oleo, quo animam in fide confirment, nihil omnino curant. Hinc tam sunt ad luctam, contra cacodæmonem aut Mundum, ineundam imbecilles. Hinc adeò parum, pro Religione laborant. Hinc castra & signa Ecclesiæ tam facilè deserunt, &, qui pro Catholicis stare debuerant, sunt primi hæreticorum defensores. In Nouato Exemplum recensetEusebius & Nicephorus. Is, in morbo, baptismo tinctus, post morbum, supersedit Confirmatione signari. Quare, persecutionis tempore, metu victus, presbyterum se negauit. Negatis, ô fatui, Christum; quouis periculo terremini; quia à Deo oleum, & Spiritus sancti vnctionem non flagitatis. Apud vos ergo Christus & oleum & operam perdidit, frustra pro vobis passus, frustra Confirmationis Sacramento vim passionis & sanguinis sui largitus.

Deut. 32. 13.

Matth. 25. 8.

Euseb. lib. 6. hist Eccles. c. 35. Nicephor. l. 6. c. 3.

CAPVT

CAPVT XV.

Prouidentiæ iudicijq; diuini Bonitas, in Spirituali SS. Eucharistiæ alimento mirificè subministrato, declaratur. Vbi etiam docetur, quàm grata sit Deo, Spiritualis communio.

EA est autem Numinis bonitas, vt, quamuis multi à beneficij datore & manum & vultum auertant, tamen manum ipse non subtrahat, sed, *vt exhilaret faciem in oleo* (Confirmationis) *& panis* (Eucharistiæ) *cor hominis confirmet*, præter sacrum Chrisma, etiam panem cœli, prodigiosum prodigiosè porrigat, alijs porrigere detrectantibus; aut absentibus, vt porrigere nõ possint. *Quî possim ab hoc epulo abesse*, aiunt, dixisse Dianam, cum reliqui Dii adhibiti essent ab Oeneo ad sacrum conuiuium, solam præteritam, aut non admissam. Longè dignius est, vt, qui ad Eucharisticum Epulum non admittuntur, dicant: *Qui possim ab hoc epulo abesse?* Et dicunt, qui Christum diligunt. Nec dicunt frustra. Nam, si desunt mortales, vel immortales eorum desiderio satisfaciunt. I.

Psal. 103. 15

Lucian. in Lapithis, & in libello de sacrificijs.

Erkenbaldus de Burban vir nobilis erat, & potens, inqt Cæsarius, *& tantus amator iustitiæ, vt nullam in iudicijs reciperet personam. Hic, cum grauiter infirmaretur, lectóq; decumberet, in proximâ camerâ, tumultum, clamorésq; fœmineos audiuit: qui cum de causâ scisciteretur, nullus ei circũstantiarũ veritatem dicere præsumpsit. Tunc mittens vnũ ex pueris, ait: præcipio tibi, sub interminatione oculorum tuorum, vt dicas mihi meam veritatem. Cui ille pauens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestræ, fœminam vi opprimere voluit, & hæc fuit caussa clamoris. Ad quod verbum valdè commotus, dixit militibus: Ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, postquam egressi sunt, dixerunt ad inuicem; si occiderimus iuuenem hunc nobilem, & dominus noster, sicut opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt præsentiæ auunculi se subtraheret, commonentes, post horas aliquas ad dominum suum ingressi, se eius implesse mandatum affirmauerunt. Quinto verò die iuuenis æstimans auunculum de culpâ esse placatum, vel immemorem, aperto ostio, introspexit: quem vt infirmus conspexit, verbis* II.

Cæsarius lib. 9. histor. c. 38. Simile, si non idem narrat Thõ. Cantiprat. l. 2. c. 35. n. 6.

blandis, iuxta se, sedere præcepit, vno verò brachio collum eius stringens, & manu alterà cultellum suum clam extrahens, gutturi eius infixit & occidit. Qui cum planctu & dolore multorum elatus, toti prouinciæ incussit horrorem. Sed & Erkenbaldo additus est dolor dolori, adeò vt, inualescente infirmitate, pro Episcopo mitteret, petens sacrum sibi corpus deferri. Qui, cum venisset ille, cum multis lacrymis & contritione cordis, omnia peccata sua confessus est, tacitâ tamen iuuenis interfectione. Super quo Episcopus iratus, respondit; Quare subticetis parricidiũ, quod in cognatum vestrum commisistis? Dicente illo, fuitne hoc peccatum? subiecit Episcopus; Etiam crudele nimis. Et ille; Ego neq; peccatum iudico, neq; à Deo mihi remitti deposco. Respondente Episcopo; Ego vobis Christi corpus non tradam, nisi parricidium idem confiteamini. Subiunxit vir nobilis; Sciatis, Domine, me illum non occidisse, ex aliquo rancore, siue motu iræ, sed solummodo ex Dei timore, zeloq; iustitiæ. Nunquam aliquis filium sororis plus diligere potuit, quàm ego illum dilexi. Si mihi corpus Domini mei negaueritis, ego illi corpus & animam meam committo. Hæc autem dixit, & egit propter exemplum, ne iustitiæ derogare videretur. Vix enim Pontifex limen domûs egressus fuerat, & ecce ægrotus eum reuocauit, dicens; Reuertimini, Domine Episcope, reuertimini; videte, si in pyxide habeatis corpus Christi. Quod cum fecisset, nec in ea reperisset, subiunxit ille; Ecce, quem mihi negastis, ipse mihi se non negauit: apparuitq; hostia in ore eius, & impletum est in eo, quod per Sapientiam dictum est; Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, &, in simplicitate cordis, quærite illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Episcopus autem pauens tantum miraculum vbiq; diuulgauit, per quem etiam quibusdam Abbatibus ordinis nostri innotuit, qui anno præterito illud in capitulo generali recitauerunt, cunctis Dominum glorificantibus, qui facit mirabilia magna solus. Hæc Cæsarius. Multi repentina morte, vel domi, vel in campis, sublati hoc sacro viatico non destituerentur, nisi iustitiam ipsi priùs, destituerent. Iustos diuina iustitia non deserit.

Sap. 1.

III. Aliquando autem ipse venit, in Eucharistia, Christus, & mansionem facit apud eum, qui illum diligit; aliquando per Diuos alioſue dapiferos, vult sacrum hunc hominibus cibum apportari. De Ioanne Chrysostomo Nicephorus aliique memorant, ei in exilium misso, longique itineris fatigatione labefactato ac morti proximo, noctu, oranti, Petrum & Ioannem Apostolos, qui vitæ eius

Niceph. l. 13. hist. Eccles. c. 37. & Sur. 27. Ianuarij.

eius duces fuerant, astitisse, &, perquàm amicè cum eo collocutos, primùm victoriam aduersus dæmones; tũ migrationem ad Deum; postea, quæ eum exceptura esset bonorum perceptio, lætantissimè annunciauisse. His, cum ingenti lætitia, significatis, cœlesti & ineffabili corporis Christi esca eum pauerunt: ex quo tempore postea nihil cibi sumpsit. Dicta hæc ab eis sunt, quibus ille ea secum versantibus concredidit. Exulauit igitur à sua Ecclesia Chrysostomus, non exulauit à Deo. Non habuit sacerdotem in terris, de cuius manibus sumeret panem Angelorum, sed habuit Pontificem Petrum, habuit Ioannem Euangelistam. Quemadmodum & B. noster Stanislaus Koska habuit Angelos, S. Barbara patrocinante, ac sacram synaxin impetrante, in cuius vita legerat, quòd, qui se illi deuotum commendaret, sine sacra Eucharistia non esset ex hac vita migraturus. Hunc ad modum, vel in solitudine, Maria Ægyptiaca procul venientem eremitam habuit, à quo, corpus Christi Domini sumtura, postulauit, dici Symbolum Apostolicum, & Dominicam inchoari orationem, qua finita, cœli Dominum suscepit, &, extensis ad astra manibus, cum multo fletu ingemiscens clamauit: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam, secundùm verbum tuum, in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quis desperet de cibo corporali, si Christus oues suas, sua carne, sic iudicat pascendas? Qui etiam Luciam virginem Syracusanam, gladio in guttur infixo tam diu seruauit viuam, donec à veniente sacerdote sacrâ communione reficeretur. Cui similem de milite historiam, immo mirabiliorem, refert fide dignus author Cesarius. Nam tertio die suspensus, sub Friderico Imperatore, in patibulo vixit, ob SS. Trinitatem, & quina Christi vulnera quotidie culta, vt, in fine vitæ, viatico cœlesti non careret. Igitur depositus è furca à sacerdote accepit, quòd petiuit, peccatorum scilicet absolutionem, & corporis Christi cõmunionem: qua accepta, mox expirauit, ad eum profectus, sine quo comite, noluit ex hac vita migrare. O si quotidie mortis memores, quotidie diuinũ hoc viaticũ à Deo peteremus! quàm paratus est ille ad se dandum? Soliciti sumus de præstante medico, qui, illo tempore dolorem leniat; &, si morbum pellere nõ potest, mortẽ saltem differat; & animæ medicum, archiatrum Christum, non inuocamus quotidie? At medici tum conclamatos plerumque deserunt, Christo non deserente, ni prius illum ipsi deseramus. Magnum quiddam & desiderijs nostris

Franciscus Saccin. in vita eius.

Sur. 9 April. ex Paulo Diacono. Martyrolog. Adon. Archiep. Treuir. 13. Decemb. Cæsar. lib. 9. c. 49.

stris valde dignum debet esse Eucharistia, sine qua hominum Redemtor sibi amicissimos non vult è vita decedere.

IV. S. Bonauent. in vita S. Francisci c. 3. de miraculis.

Scribit D. Bonauentura, Ciuem Caietanum Bartholomæum nomine, dum in S. Francisci templo construendo laboraret, ruina trabis percussum morti proximum, idem viaticum postulauisse, sed, cum monachus, antè decessurum existimaret, quàm, tantâ loci distantiâ, afferri sacra Eucharistia posset, prolatis opportunè B. Augustini verbis, animam agenti dixit: *Crede, & manducasti.* Ille igitur, quem ore sumere Christum non potuit, corde flagrantissimo desiderauit. Vide mihi, mi Lector, quàm promta manu adsit Deus, cum deest auxilium humanum. Nam D. Franciscus, cum vndecim fratribus, se illi stitit, atque adpectoratum strictissimis brachijs gestans agniculum, ad lectum eius accessit; & proprio ægrum nomine compellans: *Hic est Agnus*, inquit, *quem tibi dari petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti: cuius etiam virtute consequêris vtriusq; hominis sospitatem.* Cum dicto, manũ per vulnera ducebat, eúmque iubebat extemplo sanum ad cæptum opus redire. Patuit hinc, vnde desperatis sperenda sit medicina; & quid agendum sit, confiteri, aut communicare non valentibus. Optent animo, amoréque Dei (quem tam bonum Conditorem, Redemtorem, Patrem offenderunt) peccata confiteri: desiderent, votóque cupiant secum iungi Christi corpus, quod reipsa non possunt adipisci. Quæ *spiritualis est communio*, à Sanctis quotidie frequentata; & verò etiam maximis prodigijs vsurpata, non solùm, cum mors instaret, sed tota etiam reliqua vita. Cuius rei docendæ magísque, inter homines, promouendæ causa, non pigebit, complura eiusce modi exempla, salutaribus documentis interspersis, commemorare. Ars est saluberrima; sanctissima praxis.

V. Thom. Bozius lib. 15. de Signis Eccles. c. 4. ex Bernardin. Iustin. in vita eius. c. 8. apud Sur. 8. Ian.

De Laurentio Iustiniano Venetiarum Patriarcha, qui vixit Eugenio IV. sedente, hæc leguntur. *Sacra virgo quædam erat magnæ sanctitatis; hæc, per multos annos, abstinentiâ, vigilijs, orationibus steterat ante Dominum: Accidit autem, vt solennitate corporis Christi, neq; sorores aliæ, neq; ipsa communicare diuinis mysterijs possent, & cum ægrè ferrent, & illa imprimis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope esset monasterium, vt, si gratiam communicandi, eo die, habere non possent, ipse saltem dignaretur, dum celebraret, pro ancillis suis orare: promittit Laurentius, dum autem*

celebra-

celebraret ad populum, post eleuationem, factus est extra seipsum, detulitq; eum spiritus ad illam mulierem in cellâ clausam, & contemplationi vacantem; quæ fortè tunc miro desiderio communicandi teneretur, & sacra illi mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit; ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad seipsum reuersus ab illo pietatis officio reliquum missæ peregit. Hæc sunt verba scriptoris, ex eadem gente Iustiniana prognati, ac patritij Veneti, huius desiderij sancti vsum & fructum ostendentia. Nimirum quia amans suarum ouium Pastor Christus, etiam corpore simul vult pluribus, quantumuis distantibus, adesse, fecit etiam ipsum pluribus simul esse in locis Patriarcham: atque, vt desideria tantæ pietatis propagaret, vel ipsa miracula multiplicauit. Desiderat nimirum & Christus esse cum ijs, à quibus se videt desiderari. Eo autem præsente, quid deesse potest; cum in illo sint omnia? Antigonus II. *pugnaturus contra Ptolomæi duces, cum dixisset gubernator, multò plures hostium esse naues; Me ipsum præsentem (inquit) contra quot naues opponis?* Contra quot hostes nos Christum non opponemus, si quidem illum præsentem habeamus? Habemus autem, si habere volumus; si dicimus: *Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere: cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.*

Plutarch. in Antig.

Thom de Kemp. lib. 4. cap. 3.

Magnes ferrum, ardens voluntas Deum attrahit. Cuius etiam exemplum Bernardus de Lippa, priùs Liuoniæ Abbas, postea Episcopus, retulit, de quodam recens fidem, ac, paulo post, etiam ordinem religiosum professo, & eorum numero, quos *Conuersos* appellant. Ille, cum ceteris Monachis Eucharistiam porrigi vidisset, sibique idem non licere, vehementer doluisset, *stans contra altare communicandi desiderio suspirauit. Et ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari, per Sacramentum, descendere dignatus est, in os eius; qui mox hostiam aperto ore ostendens, & caussam tantæ gratiæ manifestans, cunctos, qui aderant, in stuporem conuertit: eandem enim hostiam defuisse repererunt in altari.* Adeò placet Deo desiderium piorum. Desiderat desiderantes; &, qui illum accedere non possunt, eos ipse accedit: quia *voluntatem timentium se facit.*

V I.

Cæsar. lib. 9. c. 37.

Pſ. 144. 19.

Quod etiam, in Senensi Catharina, conspicuum fuit. Laborabat illa iliaco aliquando malo: sed, quia doloris remissionem

V II.

D. Anto-

spera-

nin. 3.p. Chron. tit. 23.c.14.§.8

sperabat, Raymundum, qui à confessionibus illi erat, rogauit, vt sacrificium tantisper differret, donec ipsa interesse, & sacrâ Synaxi refici posset. Continuato diutiùs dolore, iubet eum, etiam se absente, sacrificare, ne mora nimis longa esset. Eo agente, remittit dolor, & mox illa, inscio mysta, adrepit, atque in remoto angulo considet. Dum frangeret hostiam sacerdos, particula hostiæ ex oculis illius subducta est, vtraq; parte maiore, in manibus eius remanente. Vndiq; diligenter circumspicit, nusquam particulam, reperit. Peracto sacro, Catharina eum interrogat, cur tristitiam vultu præ se ferat? Hostiæ particulam abs se amissam, ait ille. Et illa: *Quæsiuisti*, inquit, *diligenter? Quæsiui*, respondet ille. Tum illa subridens ait: *Non erat necesse, te propterea tristari. Equidem arbitror*, inquit ille, *te mihi illam abstulisse.* Et illa: *Non mihi*, inquit, *vitio vertas, quia non ego, sed alius abstulit. Hoc tamen scias, velim, quòd nunquam inuenies.* Tum fassa est, sibi diuinitus delatam fuisse: *Dum enim sociæ meæ*, inquit, *nollent, vt communicarem, ne ipsis molestiam adferrem, acquieui. Recurri interim ad benignissimum sponsum meum IESVM Christum, qui sublatam particulam, ad me detulit; ideoq; noli contristari, sed potiùs gaude, in ipso, cum gratiarum actione.* Planum est igitur, tam preciosa esse piorum hominum desideria, vt Deus ipse iudicet ea diuinitus implenda, si impleri non possint aliunde. Quanquam non opus est, vt ea miraculis semper impleat: implet satis, si diuinâ gratia implet. Quod etiam facit per *spiritualem communionem*.

VIII. S.Thom.3.p q.80.art.1.2

Nam hîc mihi silendum non est, quod Theologi, cum D. Thoma Aquinate, omnes docent, atque ex hac ipsa Dei bonitate consequens est; eos, quibus, quacunque demum ex caussa, non conceditur, SS. Eucharistiam *Sacramentaliter* sumere, quàm frequentissimè illam saltem *spiritualiter* sumere aut posse, aut oportere. Gratissimum enim est Christo, corde ei nos iungi, si ore simul iungi non possimus. Nobis autem hæc coniunctio prorsus necessaria est. Neque ea res fructu caret. Quia effectum Sacramenti magnum percipere potest, qui Sacramentum habet in voto, tametsi illud in re non accipiat. Quemadmodum enim multi *baptismo flaminis* baptizantur antè, quàm baptismo aquæ baptizentur, propter inflammatum baptismi desiderium; ita etiam plurimi SS. Eucharistiam *spiritualiter* manducant, eam impensè desiderando, licet *Sacramentaliter* non manducent; aut antè, quàm

tè, quàm manducent: qua manducatione spirituali itidem percipitur effectus huius sacramenti. Etenim homines, in ea, Christo, per fidem, & charitatem, spiritualiter coniunguntur. Credunt enim & amant, quod desiderant. Fides autem Christo intellectum, amor vnit voluntatem. Neque tamen idcirco *sacramentalis* & *realis* manducatio superuacanea censenda est: siquidem, vt D. Thomas ait, *plenius inducit sacramenti effectum, ipsa sacramenti susceptio, quàm solum desiderium.* Qui enim simul *spiritualiter* & *realiter*, seu *sacramentaliter* Eucharistiam sumunt, *maiorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur:* quia præcepto realis sumptionis, aut institutioni Christi parent, & ordinariè magis ad se Deo coniungendos excitantur; ac *ex opere operato* fructum consequuntur: cum *spiritualis communio* sit tantùm opus operantis, nec impleat præceptum realis sumtionis, quando ea haberi potest. Quare neque communio *realis* est negligenda, neque *spiritualis* non frequentissimè vsurpanda; vt & illius fructu maiore potiamur, & adipiscamur hunc, quoties in die volumus, obuium ac opportunum. Quē etsi Sanctissimi quique maximè appetant, tamen etiam sectari possunt peccatores. Isti enim, dum à Sacramentali communione abstinent, memores illius: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit,* (quia rem tam sanctam irreuerenter tractat;) possunt tamen licitè sacramentum hoc *spiritualiter* sumere, hoc est, desiderare; atque ita, Christo spiritualiter coniungi, per fidem, & actualem charitatem, seu contritionem de peccato; ob quod se hoc Angelorum pane indignos iudicant, quodque abolitum volunt, vt digni fiant. Qua proinde spirituali communione, non peccant; quia eam falsitatem non committunt, quam committunt, qui illud *realiter* sumunt peccato mortali astricti. Significant enim isti, se Christo vnitos, & membris eius incorporatos, quòd tantū fit, per fidem formatam, quę in peccatoribus nō est, in quibus non est habitus charitatis: non significant autem hoc, qui tantùm *spiritualiter* cōmunicant, sed significant, se optare esse coniunctos; siue reipsa coniuncti sint, siue non, sed tantùm coniungi desiderent, desiderióque se iungant, & implicita contritione (si non expressa) profiteantur, seiungi se ab illo, peccando meruisse. Sicut ergo infidelis Baptismum, sicut adulter Sacramentum Pœnitentiæ, ita & quiuis peccator, per fidei & actualis chatitatis exercitium potest Sacramentum Eucharistiæ desiderare.

Idem. q. 69. art. 4. ad 2.

1. Cor. 11. 29

Quo desiderio in sui despectum, & in peccati detestationem venit; videns se, suâ culpâ, sacramentali Eucharistiæ sumtione & tam sacro conuiuio, sine veste nuptiali charitatis habitualis, indignum esse; cuius proinde desiderio, vult peccata deponere, vt dignus fiat, qui ad mensam regiam accedat. Vt enim olere domestico abstinent, ad nuptiales epulas inuitati; sic, qui desiderio tenentur, cœlestis ambrosiæ, libenter contemnunt cramben peccatorum toties repetitam. Vtilissima itaque est etiam peccatoribus sumtio spiritualis Eucharistiæ, impetrátque à Deo, tandem sumtionem quoque sacramentalem. Alexander Macedo dijs sacrificans, ac citra parsimoniam thura in ignem sæpius injciens (licet Leonida pædagogo reclamante, & dicente, vt tam sumptuosè sacrificaret, cum thuriferam subiugasset regionem) etiam aromatiferam regionem adeptus est: ita qui erga Deum non sunt auari, sed quam largissimè *spiritualiter* communicant, id assequuntur, vt eis Deus, vel per homines, vel per modos, extra communem ordinem, atq; etiam miraculosos, communionem *sacramentalem* impertiatur.

Plutarch. in Apotheg. Alex. Mag.

Prou. 8.20. *In vijs iustitiæ ambulo*, inquit, *in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quàm quidam calidè optât, thesauros suos repleri? cur hîc inopiam amant? Quàm multi dies noctésque, inter pocula, & in vino versantur, nec aliud cogitant, quàm comessationes? cur calicem Domini non sitiunt, cur non esuriunt frumentum electorum? Quis cibus Deo dulcior, quis suauior potus, quàm sanguis Christi? Dicebat olim Booz ad Ruth, vt cum messoribus intingeret buccellum suam in aceto, & vt liberrimè spicas colligeret: ob quam liberalitatem illa mox eum, super terram adorauit. Christus iubet nos, in sanguine suo non buccellam, sed animam nostram lauare, & in aceto memorialis Passionis suæ intingere; & non cadimus in terram? non venimus? non adoramus? immò nec esurimus, nec sitimus. Alioquin vtique qui vult nos cibum dare esurientibus, ac sitientibus potum; ipse etiam in cibum nobis se daret, & in potum. In quam rem plura libet exempla apponere.

Ruth. 2.10.

IX.

Per annos adeò sexaginta Onuphrius Confessor, & Dei assiduus cultor, in vastissima profundissimáque Ægypti eremo, hominibus incognitus vixerat. Ex his, triginta annis, in cibum vsus fuerat solis palmæ fructibus, & herbarum radiculis. Reliquis triginta annis, solo *pane vitæ* vitam sustentauit, At quia deerat sacerdos,

Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 106. Mar. Marul.

cerdos, qui eum diuinum panem ei porrigeret, adfuit, singulis Dominicis diebus, Angelus, vice sacerdotis functus. Tum verè dici potuit: *Panem Angelorum manducauit homo.* Et quia *cor nostrum esca ista confirmat*, vt ait S. Ambrosius, mirificè fuit Onuphrius hac esca confirmatus. Nam grauissimas cacodæmonum insidias, heroica mente, superauit. Quod robur, vt & alij accipiant, ipse Christus inuitat, & sui sumendi desiderium incendit. *Venisti ad altare*, ait idem S. Pater, *vocat te Dominus IESVS, vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui.* Osculatur enim Christum, qui eum ore reuerente & amante excipit. *Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius, osculetur me. Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt: ideò te sacramentis cœlestibus dignum iudicat, & ideò inuitat ad cœleste conuiuium. Osculetur me osculis oris sui.* Ideò si non est, qui tibi panem frangat, ipse frangit, ipse se porrigit. Audi istius amoris signum aliud, & penè domesticum, quod Raderus in Bauaria Sancta de Friderico Ratisponensi, homine illiterato, his verbis refert. *Occupatum olim, in lignili, vehemens Eucharistiæ desiderium incesserat: cum interim sacerdos sacris operatus, animaduertit, sibi de altari sacram hostiam, aut, vt reor, partem hostiæ subductam, quàm anxiè circumspiciens, diúq; requirens, tandem intellexit à cœlite Friderico impertitam.* Sic fit, quod dictum est: *Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te.* Si plures quærerent, plures inuenirent. Quod in alio exemplo discemus.

lib. 4. cap. 12 Io. Garetius cent. 4. circa An. 382. Psal. 77. 25. S. Ambros. in Tract. de myster. c. 9. S. Ambros. serm. 5. de sacram. ad Neophytos, cap. 2. Math. Rad. part. 1. Bauar. Sanct. pag. 157. Psal. 69. 5.

X.

In S. Elzearij vita legimus, Bertrandam Carmaram Carpentoratensem, innocentis vitæ mulierem, & diuinarum rerum admodum peritam, solenni quodam festo die, ad Dominici corporis perceptionem accuratè se præparasse; sacerdotem autem vel incuria, vel obliuione, vel potiùs prouida Dei voluntate, particulam, pro illa, nullam consecrasse. Itaque spe sua destitutam, Deus consolandam censuit. Cum enim Bertranda Missæ sacrificio interesset, &, consueta pietate, Christi corpus, quod ore contingere non poterat, desiderantissima mente *spiritualiter* sumeret, Angelus extemplo comparuit, & bonam consecratæ hostiæ partem, ab altari, ad eam detulit; quam cum sacerdos non minore solicitudine, quàm diligentia perquireret, coacta est Bertranda diuinum solicito beneficium aperire, vt doceret, nunquam frustra desiderari, præ cunctis desiderabilem. Adeò bonus est, si deest operis fa-

Surius. t. 5. die 27. Septembr. in vita S. Elzearij c. 17.

S. Ambros. loc. cit.

ris facultas, desideria remuneratur. Desiderijs autem ardet, *quisquis vidit mirabilia sacramenta, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui: hoc est, osculum mihi Christus infigat. Quare? Quia meliora ubera tua super vinum. Super illud vinum, quod etsi suauitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet: tamen illa lætitia secularis, in te autem iucunditas est spiritualis.* Hæc S. Pater, supra laudatus. Quare mirum est, homines non incendi amore, & saltem affectu accedere ad hoc sacramentum. Quoties etiam impius quispiam sacerdos Christum è cœlo in aram vocat, obedit ille voci hominis, &, ne desit panis cœli, adest sub speciebus panis. At Christus nunquam in ara ponitur, nunquam exponitur in hostia, quin ad credentem dicat: *Osculetur me osculo oris sui*, & tamen sunt, qui osculum detrectent, ac ad regiam hanc mensam inuitati venire recusent? Impediunt negotia? non est omnium quotidie vestem induere nuptialem? Esto. at saltem desiderent accumbere, qui putant, se non posse accumbere; faciántque, quod famelici solent, qui, cum cibum non habent, quo vescantur, delectant se saltem cibi recordatione: éstque illis, pro escæ vsu, escæ appetitus.

XI.

Sozom. lib. 6 c. 29. Pallad. in hist. Lausiaca. c. 20.

Petr. de Natal. lib. 9. c. 103.

In vita S. Bonau. c. 12 & apud Sur. t. 3. die 13. Iulij. item in Chron. Francisc. 2. p. l. 2. c. 2.

Complures hoc desiderio etiam impetrarunt sacrum hunc cibum accipere manibus ministrantiũ Angelorum: è quorũ numero fuit Marcus Monachus; cui tamen cum Angelus Eucharistiam porrigeret, ait Macarius, apud Sozomenum, *se manum ad iunctură vsq; tantùm vidisse*: item Maiorus Episcopus, qui de Angeli manu sacramentum hoc ter accepit, in eremo, ab alijs desertus, sed nõ desertus à Deo. Sed mirabile fuit, quod S. Bonauenturæ Episcopo Albanensi & Cardinali, nondum sacerdoti, accidit. Is, quia plusculis diebus, ob summam animi demissionem, à sacratissimi corporis Christi perceptione abstinuit, veritus, ne, si illud indignus sumeret, iudicium sibi manducaret & biberet; in præmium tantæ humilitatis, Missæ audiendæ præsens, & panis cœlestis mirè appetens, particulam sacræ hostiæ, de manibus celebrantis acceptam, per Angelum, ori sui impositam accepit. Quam submissionem vtinam multi imitarentur, qui cum sympotia, vltra dimidium noctis, protraxerunt, cum scortati sunt, cum crapulam nondum edormierũt, vt sacrilegio sacrilegiũ addant, nõ verentur, sine scelerũ confessione, sine contritione animi, sine peccati expiatione, non ieiuni ad tremendum hoc mysterium, & ad Missam celebrandam accedete, digni vtique, quibus non iam Angeli hostiam afferant, sed auferant;

ferant: vt sæpe legimus contigisse. Sed, si eo miraculo moneri nõ sunt digni, erit tempus, quando, sicut Magdeburgensi Vdoni, hostias Angeli è visceribus reuulsas, atque flammato gladio, è cerui cibus excussas repetent; rémque omnium sanctissimam, in salutem institutam, seueriſſimo Iudici Deo, in vindictam damnationémque eorum, annumerabunt.

Vide de subductis hostijs Sozom. l. 8. hist c. 5. Baron. t. 3. Annal. An. 400. Petr. Cluniac. lib. 1. c. 2. Gregor. Turon lib. 1. de glor. Mart. c. 86.

Interim Deus amicis filiolísque suis diligenter prouidet, ne fame pereant; neque per Angelos tantùm diuinas has illis sportulas mittit, sed suismet etiam manibus se se illis in os, in pectus, in animam immittit. Celebrauerat aliquando Missam Honoratus, post Firminum Episcopum Ambianensem, quartus. Ventum erat ad hostiam sumendam; ibi, attentissima cogitatione, institit tanti sacramenti dignitatem perpendere. Ea meditationis vis fuit, vt, præ reuerentia, hostiam manibus attingere vereretur. Placuit conuiuæ modestia Christo, censuítque miraculo honorandam, miraculóque stupendo. Nam ipse, ex depicta inibi imagine sua, brachium extendit hostiámque, velut viua manu, sublatam de altari Honorato porrexit. Itaque, iam ille sumere non recusauit, quod diuinitus dabatur; tanto dignior eo pane, quanto se iudicauit indigniorem. Vnde rectè dixit S. ille Pater: *Deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem, vt sciat mens, reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei. Quem nos, si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine Christi: gratias enim videbimur reddere redemptori.* Hanc humilitatem, vt in se struant, vel laici communicaturi, vel sacrificaturi sacerdotes, habent præclaram illam D. Augustini orationem, quæ incipit, *Summe sacerdos* &c. in qua etiam petenda sic loquitur: *Vt sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeam offerre. Quanta enim cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & timore, quanta corporis castitate & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum? Domine Deus meus, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi ima summis coniunguntur, vbi adest Sanctorum præsentia Angelorum, vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter? Quis dignè hoc celebrare potest mysterium, nisi omnipotens Deus offerentem fecerit dignum?* Talis oratio humilem facit, talis meditatio dignum; talibus se porrigit Ser-

XII.

Petr. de Natal. l. 2. Cat. Sanct. 86. M. Mar. Spalat. l. 4 c. 12. ex Breuiar. Ambian.

S. Ambros. in 1. Cor. 11.

Prou. 3. 32. uator, quia *cum simplicibus sermocinatio eius.* Qui etiam S. Dionysio,
Su. 9. Octob. in vita eius, c. 29. & Io. Garetius cent. 9. ex Hilduino Abbate 840. cum Rustico & Eleutherio socijs, in carcere, detento, & mox ad martyrium ituro, cunctis, qui doctrinæ eius audiendæ gratia aderant, spectantibus, ingenti luce, & Angelorum multitudine circumdatus, sanctum panem porrigens, dixit: *Accipe hoc, mi chare, quod mox complebo tibi, vnà cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, & his, qui audierint te, salus in regno meo.* Hæc, dum Missam, iam tum Apostolorum tempore, in custodia, faceret D.
Iudith. 9. 5. Dionysius, euênere. *Tu enim,* ô Deus, *fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.*

XIII. Verùm neque Spiritus Sanctus deest, Eucharistiam desiderantibus. Siquidem, vt, in vita SS. Martyrum Faustini ac Iouitæ, habetur, cum prædicti martyres Secundum militem, Mediolani, baptizassent, & sacrâ etiam communione, ex eo, membrum Ecclesiæ facere voluissent, sed panis deesset, ex quo sacramentum conficerent, à columba alite rostro delatum accepêre, eique sumendum præbuêre, sacrum esse minimè dubitantes, qui sic afferebatur. Et facilè fuit credere, Spiritum S. fuisse, quem etiam Ioan-
Ioan. 1. 32. nes Baptista *descendentem, quasi columbam, de cœlo* vidisse se testatus est. Certè, cum trium diuinarum personarum simplex, vnicáque substantia separari non possit, apud eundem, Pater, & Spiritus Sanctus mansionem facit, apud quem Dei Filius diuertere non dedignatur. Quare huius diuini Spiritus est, homines ad crebrò communicandum & incitare, & iuuare, vt dignè communi-
Helinand. in Chron. Io. Naucler. vol. 2. gen. 38. Stapleton. in Collect. de S. Thoma & Petr. Ribadeneira de vitis SS. 21. Decemb. cent. Nam indignis, meritò cœlum claudit, ne manna hoc inde descendat. Cur enim non faceret? cum Apostoli id scribantur fecisse. Nam, coronidis loco, adijciam, quod à multis probatis scriptoribus refertur, Anno scilicet Christi 1121. Ioannem Indorum Patriarcham venisse, & Callisto Pontifici, Cardinalibus Prælatísque alijs, in consistorio publicè, summa cum fide, narrauisse, suo quidem tempore, S. Thomam Apostolum, quotannis, populum, sua manu, communicauisse, &, qui dignis sacramentum porrexerat, ab indignis id retraxisse. Quod iudicium discrimén-
Pallad. in hist. SS. PP. c. 72. que etiam vidit olim Ammona presbyter sacris operans. Angelus enim ad dexterum altaris cornu astans, dignè communicantium nomina in librum referebat; eorum autem, qui synaxi se subduxerant, nomina conspexit deleri, qui triduo inde mortui sunt. Si oculos Ammonæ haberemus, quàm multos indignè ad altare

acce-

accedentes conspiceremus, de libro vitæ deleri? Admiranda Dei patientia est, qui ordinariè non vult à sacerdote communicante cognosci discrimen dignè, indigneúe communicantium, neque retrahi manum, etiamsi Iudas aliquis, hoc est, auarus, proditor, aut sacrilegus, impuro ore, SS. Eucharistiæ sacramento inhiet. Impunè id se isti facere putant, quia non statim puniuntur. Sed, ô Deus, *omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia, in tua prouidentia posuisti.* Iudith 9.5.

XIV.

Hoc est iudicium Dei. Dignis etiam spiritualem *dat escam, in tempore opportuno*, indignos vel in hac plectit vita, vel in altera. Itaque *qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non dyudicans corpus Domini. Quoniam futurum est iudicium*, ait Mediolanensis Antistes, *vt quemadmodum accedit vnusquisq; causas reddat, in die Domini nostri IESV Christi: quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare sortis & mortis Domini? occisus est enim pro ijs, qui beneficium in irritum ducunt. Propterea inter vos multi infirmi & ægri, & dormiunt multi. Vt verum probaret, quia examen futurum est accipientium Domini corpus, iam hic imaginem iudicij ostendit, qui inconsideratè acceperant, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, vt in his ceteri discerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere, & eum, quem hic pœna distulerit, grauiùs tractatum iri, quia contempsit exemplum.* 1. Cor. 11. 29. S. Ambros. in 1. Cor. 11.

XV.

Possent eiuscemodi diuinorum iudiciorum documenta etiam in ceteris Christi sacramentis data adferri, sed ea passim alibi inserendi erit locus; & hæc ipsa sufficiunt, ad nos commonefaciendos, vt in Deo magis, quàm in hominibus confidamus, &, in omnibus periculis, dicamus: *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis*; itémque: *Tibi derelictus est pauper, & orphano tu eris adiutor*, quia *oculi tui in pauperem respiciunt*, &, *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum exurges*, quando *diuites dimittes inanes.* Sicut enim auis implumes & se ipsos alere non valentes pullos, maiore cura, alit, & minùs sollicita est de ijs, qui iam euolare atque in pastum ire didicerunt; ita Deus maximè indigentes maximè iuuat. Hæc est gloria eius, hæc potentiæ & bonitatis magnitudo; posse rebus desperatissimis succurrere, &, vno verbo, posse, quod alius nemo possit: sicut & medici præ- Psal. 107. 13

stantia

stantia inclarescit, quando morbos pellit, ab alijs desperatos. Demosthenes, cum illi objceretur, quòd cum malis consuetudinem haberet, *Ille*, inquit, *est optimus, qui derelictos ab omnibus curandos suscipit.* Ita, tametsi oculus Domini omnibus inuigilat, omnibúsque prospicit, præcipuè tamen illos curat, quos alius nemo curat; & hoc ipsum plus est, quàm si quis ab omnibus curaretur. Vt enim oratori olim peroranti, cæteris auditoribus sensim dilapsis, &, solo Platone, post omnes, remanente, *Plato instar omnium fuit*, sic instar omnium, & præ omnibus, debet nobis esse Deus, qui solus sufficit, & infinitis modis omnium creaturarum auxilia excedit. Quemadmodum vnius præsentia atque lux Solis clariùs lucet, quàm lumina omnium stellarum reliquarum. Quare quisquis se ab omnibus mortalibus deseri videt, si ab eo noti amicíque omnes recesserunt, si in se ipso nullum consilium, in alio nullum auxilium reperit, credat superesse Deum, & hunc sufficere existimet, clamétque cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.*

XVI. Quia verò solicitudo stultorum mortalium minimè curat spirítualia, maximéque circa victum vestitúmque versatur, necessarium duco, vt afferam plura diuinæ curæ exempla, quæ monstrent, Deum non deesse ijs, quibus omnia, etiam in rebus temporalibus, deesse videntur, è quibus apparebit, quàm longè præstabilius sit, etiam propter corporis necessaria, spem in Deo, quàm in agris & fundis collocare: nulla enim grando, nulla vredo, nulla tempestatum iniuria potest obesse, spem suam diuinitatis anchorâ fulcienti. Quod confirmauit Dominus, cum Apostolis dixit: *Quando misi vos, sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* nempe hoc est, quod olim dixit: *Oculi mei ad fideles terræ*, qui etsi baculo aut gladio carent, tamen ab Angelo meo defenduntur; si peram non ferunt secum, è nubibus panem illis mitto, & mensam instruo, ambrosiâ cœlesti conditam.

Luc. 22. 35.
Psal. 110. 6.

CAP. XVI.

CAPVT XVI.

Cur amicos suos parcè ac frugaliter, inimicos autem lautè permittat viuere Deus?

IN principum aulis primæ admissionis amici ac satrapæ, ceteris conquisitiùs solent tractari; &, quò quisque est nobilior, eò lautiori mensæ adhibetur; est enim cibi pretium honor conuiuantis. Quamobrem & Ioseph, cum epulum fratribus suis daret, I.

sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumtis partibus, quas ab eo acceperant: MAIOR quę pars venit Beniamin, ita vt quinq; partibus excederet. Gen. 43. 33.

Tractaret vtiq; hac ratione etiam Deus sibi amiciores, si diuinæ sapientiæ iudicio melius esset, meliùs conuiuari. Aliter censet. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neq; viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à vijs vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris.* Esa. 55. 8.

Vobis placet ebrietas, mihi displicet. Sobrietas placet mihi, displicet vobis. Apud vos, in honore est conuiuium, apud me ieiunium. Vobis grata est abundantia, mihi abstinentia; quam etiam seculi sapientes diuitijs præposuerunt. Certè Diogenes à Platone petierat vini paululum, tunc & caricas. Plato misit lagenam. Cui Cynicus, hunc in modum, gratias egit: *Cum interrogarim, quot sint duo, & duo? respondes viginti.* Noluit nimirum, pro quatuor, aut accipere, aut dari viginti. Quare & amicis suis plerumq; dat Deus, quod sufficiat, non quod superfluat: ipsi abundare non cupientes illud vsurpant: *Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria; ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Prou. 30. 8.

Porrò victui non multa sunt necessaria. Pauca sufficiunt paucis contento. Itaque, quos non deserit diuinum Numen, modico alit, si videt non appetere multa, etiam tunc, cum miraculosè alit.

II.

Venerabilis Beda, qui Martyrum Ecclesiæ Anglicanæ pro Christo cæsorum historiam texuit S. Cuthberti Episcopi Lanparnienſis facta & verba hæc refert: *Disce, filiole, Dei fidem sem-* Beda in vita S. Cuthberti.

per & spem habere in Domino, quia nunquã fame perit, qui Deo fideliter seruit. Et sursum aspectans, vidénsque aquilam in altum volantem: Cernis, inquit, aquilam illam porrò volitantem? Etiam per huius ministerium, possibile est Domino Deo nostro, nos hodie reficere. Talia confabulantes, agebant iter, iuxta fluuium quendam. Et ecce subitò vident aquilam in ripâ residentem, dixítque vir Dei: Viden' vbi nostra, quam prædixi, ministra residet? Curre, rogo, & quid epularum nobis attulerit, inspice, & citiùs affer. Qui accurrens attulit piscem non modicum, quem nuper illa de fluuio prehenderat. At vir Dei, quid, inquit, feci-sti, fili? quare ministræ suam partem non dedisti? seca citiùs medium, & illi partem, quam nobis ministrando meretur, remitte. Fecit, vti iusserat, sumptáque secum parte reliqua, vbi tempus reficiendi aderat, diuerterunt ad proximum vicum, & dato ad assandum pisce, se pariter, & eos, ad quos intrabant, gratissimo refecerunt conuiuio, prædicante Cuthberto verbum Dei, atq; eius beneficia collaudante. Collaudabimus & nos, si inde discamus, & Deo fidere, & paucis contenti esse. Per rapacissimas aues potest nobis dare, dator munerum. Sed duobus piscem vnum dedit. Non suffecit? etiam ad abundantiam pluribus suffecit. Et aquilæ dimidium remiserunt, in confusionem illorum, qui nunquam dicunt: *sufficit.* Sed exemplũ antiquius audiamus & discutiamus.

III. Paulus Eremita ab hominum consortio opéque longissimè remotus, Deo cordi fuit; qui eum, sicut olim Eliam, per volucres pauit. Cum illum inuisisset Antonius iucundissimóque alloquio & recreasset, & recreatus esset, perspicuè hanc Dei curam vidit. De vtroq; D. Hieronymus ita scribit: *Inter has sermocinationes, suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse. Qui inde leuiter subuolans integrum panem, ante mirantium ora, deposuit. Post cuius abscessum; Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidy semper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum, militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei fontis marginem vterq; consedit. Hic verò, quis frangeret panem, oborta contentio pænè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure reuerebat ætatis. Tandem consilij fuit, vt, apprehenso è regione pane, dum ad se quisq; nititur, pars cuiq; sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte promo ore libarunt: & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigilijs,*

S. Hieron. in vita Pauli Erem.

vigilys. Quid hoc, ô Superi! quis hîc dapifer? vorax & furax auis mensæ ministrat? & cibum affert, cuî ipsa libentiùs inhiaret! At optimus œconomus, optimus cocus est Deus, nouit panem pinsere, sine furno, nouit os corui frœnare, vt famulis non desit, quo vescantur, pro se non solicitis solicitus. Sed, ô cœli Rector, quid hoc est? tam senibus? tam sanctis? tam sanctè conuenientibus seruis tuis adeò plebeium, abstemium, & propè dixissem canínum, immò coruinum apparas prandium? epulas instruis conuiuiales ac hospitales, nec quidquam apponis, nisi limpidam aquam, & vnicum, pro duobus ieiunis, & sanctis viris, panem; quod & Eliæ feciſti, mittens ei subcinericium panem, & vas aquæ, per Angelum. Itáne tractas tuos seruos, immo tuos amicos? hæc tua paterna cura est? hoc prouidentiæ tuæ indicium? cum interim inimicis tuis, qui te quotidie offendunt, & blasphemant, graue est, vt lautissimis prandijs cœnísque contenti sint? neq; iam plebeium panem aut fontanam aspiciunt, sed ne Atticis quidem bellarijs saturi, & Græco meraco vino languidi possunt aut famem placare, aut sitim restinguere. Nempe non tam tu illos, quàm illi se ipsos pascunt, lautitiísque famem non pellunt, sed irritant, sitim non domant, sed, velut oleo ignibus affuso, magis inflammant: vt, cum perituro diuite, epulantes quotidie splendidè, splendidè pereant, & sitim mereantur sempiternam. Illis nihil sufficit, quia deest benedictio, cum qua modicum sufficit. Sanctis nihil deest, quia omnia adsunt, cum Deus adest. Hoc est, quod Psalmista ait: *Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Psal. 33. 11. Apponuntur illis sanè assa & elixa, è siluis & è montibus petita, volantia & natantia; sed inter hæc omnia esuriunt & sitiunt; abundant & egent, sicut Midas inter aurum, & Tantalus inter fugacia poma. Quidni esurirent, qui conuiuium super conuiuium struunt, qui quater in die comedunt? qui cœnas cum prandijs connectunt? qui fercula apponunt, quorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia est? qui tot perdices, ficedulas, gallinas, phasianos; qui totos non tantùm lepores, sed etiam apros mensis inferunt? & tamen semper esuriunt, semper sitiunt, semper ægrotant. Hoc est, quòd magna illa Prophetissa, in Deo suo, magnificabat, qui *esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Lucæ. 1. 53. Nunquid enim subcineritius tãtùm fuit panis, quem ad caput suum inuenit Elias? & tamen *ambulauit in fortitudine cibi illius,* 3. Reg. 14. 6.

illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: vsq; ad montem
Dan. 1. 12. *Dei Horeb.* Nec volebat Daniel, cum tribus pueris, nisi *legumina ad vescendum, & aquam ad bibendum*, & tamen *apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Ergo amici Dei, & pauperes, quorum est regnum Dei, non solùm exquisita non curant, sed etiam refugiunt, quidquid est delicatum. Quin sæpe neque micis saturantur, quæ cadunt de mensa dominorum, & tamen sani sunt, atque robusti: morbis innumeris carent, quibus, qui in domibus regum sunt, scatent. Nempe diuina bonitas alit illos, & ipsa abstinentia est illis pro medicina.

IV. Ad eundem modum, qui Ecclesiæ præcepto, per 40. dies, graui abstinentia obediunt, & sanescunt sæpe, & insuper hostem domesticum carnem spiritui rebellantem domant; Acheronticas laruas vincunt; peccata abstergunt; in spem veniunt, quæ clamat: *Beati qui esuriunt & sitiunt, quoniam* in cœlo, cum Lazaro, *saturabuntur.* O quanta tunc erit rerum metamorphosis! Tunc bona recipient, qui nunc malis affliguntur; &, qui nunc *ducunt in bonis dies suos*, in puncto ad infernum, cum Epulone proiecti, frustra vnius guttæ petent refrigerationem. Tunc accumbent in nuptijs agni, qui nunc ante fores magnatum, inter canes, iacent; & qui nunc in purpura & eburneis sellis accumbunt, tunc, ante tristem
Matth. 5. 6. Cerberum, prosternentur: *subtus sternetur tinea, & vermis erit operimentum eorum.* Tunc ipse Dominus transiens ministrabit illis, qui iam, neque inter mancipia consistere permittuntur; & qui iam primos accubitus ambiunt, in ordinem redigentur, infimíque erunt, quando iubebuntur descendere, vt nouissimum locum in Tartaro occupent. Tunc *torrente voluptatis potabuntur*, qui nunc *panem suum cum fletu miscent*: & qui nunc semper Hilaria celebrant, ac Bacchanalia viuunt, tunc demum sentient, *extrema gaudij* à luctu occupari. Quis igitur non vellet, aliquid hîc pati? famem? Ecclesiæ parere? ieiunio vacare, & Deo valetudinis suæ curam permittere? cum illi, qui medicos quiritando corrumpunt, aut quibus corporum magis, quàm animarum, curiosi medici pestiferè adulantur; aut qui iam debilitatem, iam occupationem, iam hunc, iam illum morbum, pro libitu, fingunt, & prætexunt, vt carnibus se farcire, & comessando tempus atque conscientiam fallere possint; satietatem suam nimis longa & acerba in Ache-

runte

runte inedia sint commutaturi. Itaque *iudicium patris audite filij* (Ecclesiæ) *& sic facite, vt salui sitis.* Si parum est vobis, paruo contenti estote: si multum, obedite Ecclesiæ ieiunia præscribenti. Eccli. 3. 2.

V.

At seuerum est præceptum; grauis inedia; longa dies; impatiens venter, ingens consuetudo comedendi? Negantur calida. Nec panis satis conceditur. Additur pomum nanum, aut pannucium; libi buccea; villum. Libare hoc est, non cœnare. Hæ voces sunt gulonum, & manduconum, & non tam corporis fomenta, quàm libidinis nutrimenta quærentium; atq; eorum, qui inediæ fræno inprimis indigerent. Nimirum, vt cæci, vident; & loquuntur, vt muti, hoc est, nihil, aut, quod ipsi non intelligunt, veri Polypi, *qui, vbi quidquid tetigerint tenent*; seu esculentum sit illud, seu poculentum. Heu quàm multùm distant nostrorum sæculorum ieiunia, ab illa sanctissima antiquitate! Paulus & Antonius, & ipse magnus Elias dapsiliter sibi viuere videbantur, cum laticem libarent; cum, longo die, dimidium panem manducarent. Dei præcursor Ioannes, in vtero sanctificatus, locustas comedebat, & mel siluestre. Paximacijs contenti erant, qui sanctissimè, in claustris, vitam viuentes, vix habebant, quod tam seuera pœnitentia eluerent. Nunc sceleſtissimo cuique pane & aqua contentum esse, durissimum & intolerabile videtur. Quid ergo mirum, si sunt homines, qui de Dei Prouidentia queruntur; nulla enim illis est, nisi pinguissimæ culinæ prouidentia. Neglexisse se arbitrantur, si non quotidie *Pauus nequitiæ nidum in cacabo facit.* Oeconomum agit Deus, non dulciarium: prandia mittit, non promittit conuiuia: pasci vult suos, non distendi: sustentari cibis, non opprimi. Quamobrem etiam alijs, quos, non sine miraculo, nutriuit, necessaria dedit, non curiosa; coliphia, non crustula submisit, aut melimela. Et quando nos docuit orare, dixit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, seu, vt alia lectio habet, *supersubstantialem*, τὸν ἐπιούσιον enim, quod alij, *quotidianum*, S. Hieronymus *supersubstantialem* vertit; quasi tantùm de Eucharistia & pane Angelorum soliciti esse debeamus; aut certè de diario & hodierno, non de crastino pane. Et quanquam, *panis* nomine, in diuinis, etiam alij hominum cibi intelligantur, non voluit tamen Christus à nobis peti ficedulas, aut alaudas, aut turdos, aut perdices & coturnices: multò minùs linguas psittacorum. Itaque pane prouisum est, quibus è cœlo sua missa est anno- Matth. 6. 11.

na; aut certè rariſſimè cibo precioſiore. Nam vtique carnes, quas, cum pane, coruus Eliæ detulit, non erant caſſitæ, aut *Ionicarum guſtus attagenarum*.

3. Reg. 17. 6. Martial. lib. 13. 61.

Porrò, quod Paulo & Antonio contigit, id ſolitario etiam alteri atq; Abbati eius, Seuerus Sulpitius memorat euenisse. Haud longè ab eremo contigua Nilo, multa erant monaſteria, è quibus, ſi qui maiorem virtutem mente concepiſſent, vt, acturi ſolitariam vitam, ſe ad eremum conferrent, non, niſi permittente Abbate, diſcedebant. Tranſgreſſis ad eremum, Abbatis ordinatione, panis, & quilibet alius cibus miniſtrabatur. Cuidam duo pueri eum panem detulerant, adeò innocentes, vt redeuntibus aſpis miræ magnitudinis veniens obuiam, quaſi incantata carminibus capi ſe, pallióq; inuolutam ad monaſteriũ innoxiam deportari permiſerit. Duodennis puer *Monaſteriũ, quaſi victor, ingreſſus, in occurſum fratrum captiuam beſtiam, reſoluto pallio, non ſine iactantiæ tumore, depoſuit. Sed cum infantiam, fidem, atq; virtutem ceteri prædicarent, Abbas ille altiori conſilio, ne infirmior ætas inſoleſceret, vtrumq; virgis compeſcuit, multùm obiurgatos, cur ipſi, quod per eos operatus fuerat Dominus, prodidiſſent: opus illud non ſuæ fidei, ſed diuinæ fuiſſe virtutis: diſcerent potiùs, Deo in humilitate ſeruire, non in ſignis & virtutibus gloriari; quia melior eſſet infirmitatis conſcientia, virtutum vanitate. Hoc vbi ille frater audiuit ſolitarius, & periclitatos infantulos ſerpentis occurſu, & ipſos inſuper multa verbera, victo ſerpente, meruiſſe, Abbatem obſecrat, ne ſibi poſt hæc vllus panis aut cibus aliquis mitteretur. Iamq; octauus dies fuerat emenſus, quo ſe homo Chriſti, infra periculum famis, ipſe concluſerat. Arebant membra ieiunio, ſed deficere mens cœlo intenta non poterat. Corpus inedia fatiſcebat, fides firma durabat: cum interim admonitus Abbas ille per Spiritum, vt diſcipulum viſitaret, pia ſolicitudine cognoſcere cupiens, qua vitæ ſubſtantia vir fidelis vteretur, qui miniſtrari ſibi panem ab homine noluiſſet; ad requirendum eum ipſe Abbas proficiſcitur. At ille, vbi eminus ſenem venire conſpexit, occurrit ei obuiam: agit gratias, ducit ad cellulam. Cum ingreſſi pariter ambo, conſpiciunt palmiciam ſportam calido pane congeſtam, foribus affixam, de poſte pendere: ac primùm panis calidus ſentitur odore, tactu verò, ac ſi ante paululum foco eſſet ereptus, oſtenditur. Ægyptij tamen panis forma non cernitur; obſtupefacti ambo, munus cœleſte cognoſcunt: cum ille hoc Abbatis aduentu præſtitum fateretur; Abbas verò illius fidei ac virtuti adſcriberet; ita ambo cœleſtem panem*

VI. Seuer. Sulp. dial. 1. c. 3.

cum

cum magna exultatione fregerunt. Quod cum Abbas ad monasterium post regressus fratribus retulisset, tantus omnes incenderat ardor animarum, vt certatim ad eremum & sacras solitudines ire properarent.

Cuperem horum imitatores existere; non qui ad eremum, sed saltem qui, in ieiunio, sequerentur, ponerentque illam nimiam animi curam: tanquam si inualetudinem contracturi & morituri essent, si consuetis cibis abstinerent. Quasi non de cœlo vires venirent meliores? quasi non Angeli ministrarent, vbi hominum focus deest? Quid necesse est argenteis aureisque ferculis mensam onerare? etiam pane vivit homo. Et quem Deus conuiuam facit, non replet lautitijs. Optimum condimentum est inedia. Meliùs istis panis sapit, quàm Apicijs nostris *Et pictis anas enouata pennis*; & Tuscus aper, & pauones, & conchylia, V II.

Et quæsitorum terra pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ. Lucan. lib. 4.

Quàm multi pauperes, ieiunantium diuitum mensas, epularum suarum loco, acceptarent? Siquidem, nec, cum festiuissimè viuunt, etiam opifices dura opera exercentes, tot fercula vident. Ieiunium Dominorum, & Matronarum quale est? offa calida; pisces frigidi, omnis generis lactucæ; vuæ passæ, amygdalæ, pruna melle condita, omnis generis electuaria; omnis generis fructus; saccharei panes; boli vino Massico ebrij; & quid non? Cum Deus suos amicos vult mensa epulóque honorare, panem apponit, & limpidi fontis aquam. Quis tantæ sapientiæ ascribat errorem? nouit, quid optimum sit; nouit, quid prosit dilectis suis. *Nunquid Deus supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit, quod iustum est?* Iob. 8. 3. Neque ergo habent, quod querantur, qui preciosè non possunt comedere, sed potiùs, ob quod se beatos existiment; neque quod iactent & glorientur, qui regio luxu lasciuiunt, & conuiuantur, more Sardanapali. Quis venenum bibere gaudet? Credibile est, ipsum Socratem antè, quàm cicutam biberet, suspirauisse. Animæ venenum, est corporis sagina; & hostem alit, qui alit carnem. Hinc dixit Iob: *antè, quàm comedam, suspiro*; quia scilicet coactus hostem meum nutrio, & facio fortiorem. Iob. 3. 24. Vt autem cibo corpus, sic ieiunio nutritur virtus. Didacus Lopesius Medinæ præfectus prouinciæ, teste Bonifacio, tantus erat Deiparæ cultor, vt non solùm, omnibus pernigilijs festa eius præcedentibus, Bonifacius lib. 2. c. 44.

tibus, sed illis etiam diebus, qui peruigilia ipsa præcedebant, ieiunaret, is dicere solebat: bis in die, præsertim noctu, comedenti ac saturato, difficile esse seruare integram castitatem, sine assiduo timore iudicij diuini ac oratione; vsque adeò ieiunium conseruat castitatem: quam saturitas euertit. *Manducauit populus & bibit, & surrexerunt ludere*; lusum non notasset scriptura nisi impudicum. *Si quis existimat, se & abundantia ciborum potionumq; perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, seipsum decipit*, ait S. Hieronymus.

Exod. 32. 6.

S. Hieron. l. 2. in Iouin.

VIII. Hæc arma milites Christi decent; illa Veneri seruiunt. Serpens ieiuni hominis saliuâ necatur; sic despuit dæmonem, qui despuit satietatem. Equi subtractâ auenâ; venereæ voluptates, ardórque libidinis, cibi & potus abstinentia, restinguntur. *Ieiunijs*, inquit D. Cyprianus, *vitiorum sentina siccatur; petulantia marcet; concupiscentiæ languent; fugitiuæ abeunt voluptates; extinguitur ardentis Ætnæ incendium; & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit.* Sic suos athletas præparat ad certamen Deus, dum à licitis etiam eos vult abstinere; sicut faciunt, qui in agone contendunt. Orcus non cupit edomare rebellionem carnis; non spoliare tyrannidem Cupidinis; non exarmare gulam; neque motus inhonestos in cippo claudere, neque arctare aut distringere vagos appetitus. Hæc iudicia sunt cœlestis Patris; virtutes frugalitate alit; vitia finit nutriri preciosè. Et quod mireris, panis frusto pauperculi, ac Dei serui vehementiùs delectantur, quàm Vitellij isti Iouiali apparatu. Quare etsi totos dies mensis accumbant, tamen *conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes: & circuibunt ciuitatem*, per plateas grassando, quærentq;, post prolixum prandium, cœnam longiorẽ. Ita *ipsi dispergentur ad manducandum; si verò non fuerint saturati, & murmurabunt*; nunquam enim possunt satis lautè prodigéq; tractari, semper queruntur de cibo, semper habent in quo accusent cocum; nihil illis satis sapit, quia non ex fame comedunt, sed ad voluptatem. *Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Itaq; tales non possunt liberalitatem paternam Numinis accusare, sed suam insatiabilem cupiditatem. Quanquam plerumque Deus & natura his calicum trahonibus omnem eripit voluptatem comedendi; immò & facultatem. Rarò enim, qui multùm bibunt, multùm comedunt; nec enim pocula ferculáque

Plin. lib. 38. nat. hist. c. 4.

S. Cyprian. de Ieiun. & tentationibus Christi.

Psal. 58. 15.

Prou. 27. 7.

tot &

tot & tanta vno stomacho simul capiuntur, nisi per vices, nunc vina, nunc fercula reuomantur; vt priùs immoderatè ingesta locum faciant, immoderatiùs successuris. Sed omnium stultissimum est, reperiri, qui cum, præ quotidiana ebrietate, cœnæ obliuiscuntur, tamen existiment, se ieiunasse; obseruata scilicet lege Ecclesiastica cibos solùm prohibente, & lege naturali temperantiæ turpissimè violata. Quale hoc ieiunium est, potare, vt non esurias? offerre Deo inediam, & diabolo ebrietatem? Numquid satius esset, carere vino, quàm non carere vitio? destitui pane, quàm distendi dape? incendio alimenta subduci, quàm inijci? sed pauci hoc capiunt. Illos ergo Deus concupiscentijs suis regendos permittit, aliquando etiam, tanquam fures ac raptores, seueriſſimè puniturus. Nam illud vinum ad se rapiunt abliguriúntque, in propriam perniciem, quod ægrotis, quod debilibus, atque extrema egestate in extrema deiectis debetur. Quod non prodest eis, nisi vt, velut dolia, impleantur, atque in morbos pinguescant, & naturæ suffocent vigorem. Neque enim podagra duntaxat in pedibus istorum nidulatur, sed etiam in toto corpore mille pestes, quæ subitas mortes, post se, trahunt. Quod per imprecantis modum prædixit Psaltes. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint*; hanc habent intemperantiæ suæ mercedem, *quibus in solo est viuendi causſa palato*, hoc est, qui non comedunt, vt viuant, sed viuunt vt comedant; neque à Deo escam (ipsis pullis coruorum deteriores) expectant, sed, vt abundent, etiam egenos spoliant. Talis descriptus est illis verbis: *Sedet in insidijs, cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.* Quid ergo illi cõtinget? *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Pauperum enim sanguis in venenum ei erit, non in alimentum. Ps. 103. 35. Psal. 90 30.

IX. Hæc cum ita sint, ite iam, pauperes, & dicite, Deum vobis esse inclementem: laudate, diuites, sortem vestram, immò deplorate. Veritas pauperes *beatos* vocat, beatos qui esuriunt: de diuitibus autem quid dicit? *Væ vobis diuitibus, væ, qui habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis. Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Vtrum horum, iam præstabilius est? Matth. 5. Luc. 6. Matth. 19.

vtrum consultius? diuitem esse, an pauperem? saturari, an macerari? O quantam hîc ganeones, Eucliones, Vitellij, epulones erubescendi atque se se submittendi causam habent? quantum macilenti, Iri, esuriones solatium! Si in eodem carcere duo sint, quorum alteri suspendium à magistratu significatum; alteri dimissio ac libertas; vter plus gaudet, vel dolet? Pincernæ in vin-
Gen. 40. 13. cula dato Ioseph prædixit, post tres dies, in pristinum gradum restituendum; pistori, post tres dies, ad coruos iturum; cum vtro tu esse voluisses? nónne cum pincerna? At quid Christus diuitibus & splendidè epulantibus, quid pauperibus & tenui victu vitam sustentantibus dixerit, audiuisti: cum quibus igitur censes fortunatiùs agi? Nónne insania est, diuites quosdam de æterno supplicio, quò sunt certiores, eò esse superbiores? Diogenes, sceleroso cuidam, probri gratia, obijcienti paupertatem: *ob paupertatem*, inquiebat, *neminem vidi torqueri, ob malitiam multos*; neque in gehenna quisquam torquebitur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi, quia *epulati sunt quotidie splendidè*.

X. Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdiu ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incursus pugnare; sustinere æstum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix bucceam panis à pastore accipiebat; & plerumq;, vbi etiam bestiarum dentibus saucius oues domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod roderet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, (si tamen non corium potiùs) totus ocio & sagina pinguescebat; interdiu semper in cœno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præ foribus excubandum, & contra fures indesinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hylactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, vt qui setosum, fœdum, otiosum, pigrum atque inutile animal, pinguissimis offis, delicatè nutriret, fidelissimo autem custodi domus ossa duntaxat obijceret, & indurata panis frusta, quæ alius nemo comesse vellet. Huic colonus, ne succenseas, inquit, mi fidelis, sed diem crastinum expecta, & videbis hunc tam obesum porcum in cædem saginatum, cum tibi macilento viuere licebit. Altero die cum canis videret lanionem cultro,

tro, primùm in iugulo porci, mox etiam in ventre & vnctissimo lardo, totísque intestinis cruentissimè ludentem, subiectáque sartagine sanguinis riuos excipientem, necquicquam bestia miserabilissimè grunniente, dixit: Si hic saginæ finis est, nolo saginari; mâgis mihi prosunt ossa & mucidus panis. Non longo epimythio opus est huic Apologo. Audite *omnes pingues terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum.* Pſal. 21 30. Ezech. 34. 20. Quo modo autẽ iudicat? Homines cum irascuntur, subducunt seruis, aut filijs cibum; Deus iratus nouit cibum dare abundantiorem. Mirabile exemplũ Israëlitarum, qui *in iram excitauerunt Excelsum in inaquoso, & tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escam animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo. Idcò audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israël. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et mãducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum.* Pſal. 77. 17. Videsne, quid iratus faciat Deus? pingues sinit fieri homines, sed pingues occidit; dum parcit ijs, qui vix ossibus hærent. De tali porco occiso legimus & alibi, cuius ipse Samuel egit lanionem: Dixítque Samuel: *Adducite mihi Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus & tremens. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* 1 Reg. 15. 32. Ne dubitate, vitiosè pingues, ex adipe vestro æternus ignis plus alimenti, est habiturus. Bene confidite, macilenti ieiunijs; plus & valetudinis & virtutis habet, qui sic minus habet in cute pinguedinis.

XI.

Qui homini dixit: *sine iudicio, nihil facias graue*, an ipse sine iudicio patietur amicos suos esurire, saturari inimicos? opes his, tanquam maius beneficium, dabit, illis negabit? nequaquam. Maius est beneficium minus habere. Plerumque qui diuitijs, idem & vitijs vicinior est. Paupertatem Diogenes appellabat virtutem αὐτοδίδακτον, id est, *quæ per se discitur*, seu potiùs *virtutis magistram*. Diuitibus opus est multis præceptis, vt frugaliter viuant; vt corpus exerceant; vt laborent; ne vestium ambitioso cultu delectentur; ne potus cibíque intemperantia, in lites, iurgia, homicidia, aliáque innumera mala prolabantur: quæ omnia se ipsam docet paupertas. Apud diuites, *libêre & licere, idem est.* Paupe- Eccli. 33. 30.

res quot supra se habent, tot habent custodes. Grauissimè pronunciauit Augustinus: *seculi potentiam, esse impunitam nequitiam.* Pulcherrimè Solensis Crantor vitam frugalem pauperémque Ithacæ Vlyssis patriæ comparabat, quæ, iuxta Homerum, aspera quidem erat, sed bona κουροτρόφος, id est, iuuenum altrix: dum eos consuefecit frugaliter & continenter viuere, & ad omnem virtutis functionem exercuit. Ea propter & Philosophi sapientiores olim, &, Christo postea veram sapientiam homines docente, etiam sanctiores quique, vitam inopem diuitijs; olusculum caponibus; symposijs sitim; conuiuijs centum ferculorum, panem mendicando obtentum prætulerunt. Lycurgus, ciuibus quibusdam interrogantibus, quo modo liceret hostium insultum effugere? *Si*, inquit, *pauperes fueritis; non facilè potest elabi, qui sarcinis & impedimentis retardatur.* Cui ergo nec ære loculus, nec crapula stomachus grauis est, is longè faciliùs infernum hostem fugiet, persequentem, longè expeditiùs, per huius vitæ stadia, curret ad æternæ salutis brauium.

S. August. de Verb. Dom. serm. 37.

XII.

Hinc Pauli, hinc Antonij, hinc Macarij, hinc Paphnutij, hinc Frontonij, Pachomij, Venantij, hinc ieiunijs exenterati ligneiilli & ossei Hilariones, Serapiones, Spiridiones. B. Fulgentius Ruspensis Episcopus sic viuebat, *vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret, ac superducta (quam dicunt) impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur.* De qua seueritate cum nec æger remitteret, *Scimus omnes, aiebat, ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse conferri. Nam vt sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas; quare infirmantur etiam illi, qui conuiuijs lautioribus quotidiè saginantur?* Enimuerò abstinentia hæc vires extemplo recuperauit. De S. Edmundo Cantuariensi Archiepiscopo legimus, à prima pueritia ab omnibus quidem rebus creatis eum, quantum per vires licebat, præcipuè verò, à sermone, somno, cibo, potu abstinuisse. *Solo pane & aqua, sextis feriis, contentus fuit. Interdum solum panem edens, nullum omnino potum admisit. Vnde id consecutum est, vt nonnunquam labia eius scissa viderentur, vt solet arida tellus humorem sitiens. Defluebant, à capite, barba & pili, medicis eius rei caussam dicentibus, quòd corpus eius humoribus destitutum esset. Cibis vescebatur vilioribus. Quòdsi adessent delicata fercula & potus lautior, minùs ijs vtebatur. Nolebat, vt sua caussa, quisquam ex ipso perquireret, quibus in prandio vesci vellet?*

Sur. 1. Ian. in eius vita. c. 6.

Sur. 16. Nou. in vit. eius. c. 14.

vellet? Et, si appositas escas quispiam commendasset, gustare eas nolebat, quòd opiperas esse, inde conijceret. Rarissimè, in die, bis edebat, idq; non nisi honesta ratione suadente. Ipsi imperatores Iustinianus à Procopio; Theodosius iunior à Socrate; Carolus Magnus à Cranzio, & Andrea Brunnero nostro, de abstinentiæ cultu admirabiliter commendantur; tantò vtiq; magistri præstantiores, quia penuriam pati maluerunt, cum omnibus rebus abundarent.

Procop. l. 1. Socrat. lib. 7. c 22. & Baron. An. 415. Albert. Cranz. lib. 2 Saxoniæ c. 8. & l. 4 Annal. Boiorũ. An. Brun.

XIII.

Quin neque fœminæ desunt, quæ victus Parsimoniam epularum delitijs prætulerunt. De Asella virgine, sic scribit Hieronymus: *Cùm per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo triduóq; sic permanens, tum verò, in Quadragesima, nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas, vultu lætante, coniungens. Et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ità ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus, in qua cubabat, iacentia membra conficeret; non sacco asperata cutis fœtorem situmq; contraheret, sed, sano corpore, anima sanior, solitudinem putaret delitias, & in vrbe turbida eremum inueniret monachorum. In genibus durities camelorum, præorandi frequentia, occalluisse reperta est.* Huic, merito suo, annumeranda est Genouefa virgo Parisiensis, quæ, Bonfinio teste, à quinto decimo ætatis suæ anno, vsque ad quinquagesimum hordeaceo tantùm pane & fabis contenta, bis duntaxat, in hebdomade, cibum sumebat. Quæ exempla meritò in ruborem dare possunt sæculi nostri Iunones, quæ teneritudinem complexionis, & stomachi debilitatem prætexunt, ne ieiunio compensare cogantur luxum luxuriémque, qua in trielinijs & recessibus Deum grauissimè offenderunt. Scilicet ad centum fercula digerenda satis potens est stomachus; ad vnam cœnam omittendam est nimis infirmus. Quemadmodum, vt in hyeme, vnâ horâ, concioni intersint, cœli asperitas & frigus obstat, non obstat, vt in campis, & siluis, per totos dies, venentur: & compluribus horis, in rheda, per niues, & glaciem, omnibus plateis, inter vrentes frigore Aquilones, circumuehantur, quasi non heroides, sed Mænades essent. Nimirum non cœlum, sed ipsæ sunt frigidæ: cum Dianis vtiq;, non cum Genouefis comparandæ. Si eligat quispiam, quod Superis approbandum, sibi remunerandum, Inferis detestandum rectè iudicat; eliget vtiq;, vt sibi diuina Bonitas frugalem potiùs, quàm luxui deditam

Bonfin. l. 5. hist. Decad. 1.

voluptariámque vitam largiatur. Quid ergo Deum, tanquam immitem, accusamus, si ab eo id habemus, quod ipsi, si rectè calculum ducimus, censemus præoptandum? Videmus, nihil deesse timentibus Deum; auaris autem nihil sufficere, & ditissimos conqueri de paupertate: vt vel hinc sapere possimus. *Optimum est* enim, *aliena insania frui. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.*

Plin. lib. 8 Nat. hist. c. 5

XIV. Neque animæ periculum est tantùm, sed & vitæ præsentis; quæ crapulâ acciditur, & occiditur. Quid interest, laqueo, an cibo suffoceris; fluuio, an dolio submergaris? Acino vuæ passæ strangulatus est Anacreon Teius, teste Politiano. Immodico vini hausto, anno suæ ætatis LXXV. iugulatus est Archesilaus Prytanæus, vt memorat Diogenes. Aiunt & Andobuntum Anglorum regem in cœna quandoque tantum vini sumsisse, vt eo obrutus repentè excesserit è vita. Mille sunt exempla. Sed Medicorum sententia est, plus nocere nimiam cibi, quàm potus saturitatem. Itaque & hinc multi in morbos, immo & in subitas mortes labuntur. Domitium Aphrum Eusebius scribit, cibi superfluitate redundantem, in cœna, perijsse. De Septimo Seuero Imperatore refert Aurelius Sextus, eum, dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidiùs deuorauisse, quem dum concoquere non posset, cruditatem passus expirauit. Ac de Valentiniano Imperatore idem author recenset, eum intemperantia cibi ac saturitate, cum Quadorum legationi responderet, voce impetu sanguinis amissa, sensu integrum expirauisse. Quod & de Iouiano Imperatore testatur Baptista Egnatius. Certè Gregorius Turonensis author est, Childericum Saxonem, cùm aliquando ad ambas vsque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, in lecto, mortuum, repertum. Nimirum in compendio dici potest: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Consultius ergo est & vino, & cibo nimio carere; quàm abuti, si abundes. Nec tamen seruis suis nihil dat, qui nimium non dat Deus; sicut neque improbos semper sinit abundare.

Politian. in Nutric. Hermip. apud Diog.

Eccli. 37. 34.

CAP. XVII.

CAPVT XVII.

Quàm prodigiosa liberalitate Deus seruis suis, maximeq; Religiosis prouideat, tempore necessitatis?

PIctores, vt lucidis coloribus gratiam addant, eósque faciant eminentiùs clarescere, illos colores iuxta ponunt, qui habent obscuritatem. Ita Deus inimicos suos, in ipsa copia, subinde penuria affligit, vt cura illius & amor tantò fiat illustrior, quando paternè prospicit amicis. Auaris, & voluptuarijs, ventrémque magis, quàm Numen curantibus ita minatur. *Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij sementis facient modios tres: Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* His etiam in Psalmo prædicitur. *Et famem patientur, vt canes.* Nam, etsi sint diuites, etsi abundent, tamen potest eos diuina vindicta ad incitas redigere; & è Crœsis Iros facere. Quin multi, præ auaritia, quò plus habent, minùs audent comedere aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluuiémque suam explent. Quò vina plus bibuntur, plus sitiuntur. Hinc helluones, hinc gurgites vocantur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbræ non conuiuæ; nec socij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati. I. Isa. 5. 10. Psal. 58. 7.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui *non affliget fame animam iusti.* Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eos, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit. Non confun-* II. Prou. 10. 3. Iob. 5. 20. Psal. 32. 18. Psal. 36. 18.

confundentur in tempore malo, & in diebus malis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Non enim in Domino, sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de Dei prouidentia & bonitate sentiunt, quod oportet, haudquaquam ambigunt, vitam sustentationémque suam multò magis curari à Deo, quàm à seipsis.

III. Quod sanè SS. PP. luculentè docuerunt. *Non potest*, inquit S. Augustinus, *quotidianus cibus deesse iusto, cum scriptum sit: Non occidit Dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: Et iterum: quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius omnia promittit apponi, & cum sint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, si DEVS ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, iussu regis, incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis ministrantibus & volucribus cibum apportantibus in persecutione nutritur.* Elisæus quoque, tempore famis, nónne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantùm, sed & panes. *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat. Respondit q; ei minister eius: Quantum est hoc; vt apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. Posuit itaq; coram eis; qui comederunt, & superfuit, iuxta verbum Domini.* Imago hæc & adumbratio fuit Christi, ad eundem modum, quinque panibus hordeaceis quinq; virorum millia, in deserto, pasturi; & pasturi ita, vt duodecim cophini supererent, & tantò plus restaret, quantò plus ademisset. Elisæo *in pera* allatum est *frumentum*; Christus discipulos suos, *sine sacculo & pera* misit, & nihil illis defuit. Quare etiam de imitatore Christi & Apostolorum ait D. Ambrosius: *Fide tutus putet sibi, quò minus ea requirat, eò magis panem suppetere.* Curat enim Deus magis, qui Deum curant magis; & pullatis vestibus album panem pinsit, vt in prouerbio est. Quanquam enim Dei seruis carnis curam non habentibus, sed ieiunio atque abstinentiæ deditis faciliùs satisfiat; cum pomo, nucibus palmarum, pistaceisúe satiantur, aut cum ex iure hesterno panem atrum edunt: tamen diuina manus, cum nec ista suppetunt, mirificè eis succurrit. Proderit, benignum hunc Dei morem in exemplis docere.

S. August. de orat. Dominic.
Prou. 10.
Psal. 36.
Luc. 12.
4. Reg. 4. 38.
Ioan. 6. 11.
4 Reg 4. 42.
Luc. 22. 35.

Agmen

Agmen ducat antiquissimus & sanctissimus Benedictus, de quo D. Gregorius ita scribit: *Alio quoq; tempore in eadem Campaniæ regione, fames incubuerat, magnáq; omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iámq; in Benedicti monasterio, triticum deerat: Panes verò penè omnes consumti fuerant, vt non plus, quàm quinq;, ad refectionis horam, fratribus, inueniri potuissent. Cúmq; eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare, dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est: sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenta sunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus, transmisisset, nunc vsq; manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes didicerunt iam de abundantia nec in egestate dubitare.* Hæc D. Gregorius, qui infra aliud his verbis subiungit. IV. S. Greg. l. 2. dial. c. 32.

Eo quoq; tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario, nisi parum quid olei, in vitreo vase, remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnopere postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cúmq; post paululum, si id, quod iusserat, datum esset, inquireret; respondit monachus, se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cella aliquid, per inobedientiam, remaneret. Factúmq; est; sub fenestrâ autem eâdem ingens præcipitium patebat, saxorum molibus asperum. Proiectum itaq; vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset, ita vt neq; frangi, neq; oleum effundi potuisset. Quod vir Dei præcepit leuari, atq; vt erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem Monachum de infidelitate suâ & superbia coram omnibus increpauit. Quâ increpatione completâ, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum. Cúmq; sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto V. Ibid. c. 39.

moto atq; subleuato, oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationem compleuit, atq; in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientémque fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat: nec erat iam, vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset: qui in vno eodémque momento, pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

VI.

Luc.6.38. Discant hinc malè prouidi, immo maledicti auaritiæ ministri, quàm verum sit illud: *date, & dabitur vobis*: discant inde acquirere, vnde se putant perdere; nec, quæ dominorum benigna liberalitas iubet distribui pauperibus, ea vel in dominorum commodum, vel, quod deterius est, in suum marsupium reseruent. Optimus modus accipiendi est, Dei amore, dare: dũ sic minuuntur opes, augentur. Insciția igitur, immo impietas est, dicere illud, quod apud Aristophanem legitur: *Oleum non est in lecytho*, aut decerpere aliquid, vel totum recondere, quod in templorũ & egenorum vsus à Dominis est destinatum. Fraudem hi faciunt, Dominis suis, quos, dum micam, dum guttam, dum exiguas opes comparcunt, opibus maioribus spoliant. Imo tam imperiti sunt œconomi, vt dum scrupulosissimè quærunt heros, principésque suos locupletare, eosdem ad summas angustias redigant de pauperéntque. Si enim Deus *centuplum*, etiam in hac vita promittit, an non, dum vnum florenum iussi in pauperes expendere, eum Domino suo inexpensum asseruant, eidem centum alios furantur? Et tamen, prô dolor, quid iam frequentiùs fit in Mundo, qui plenus est, eiusmodi fatuis, quid dico, fatuis? atheis Politicis arcarijs, & thesaurarijs, quorum tota prudentia œconomica in eo consistit, vt nihil dispensent, vt Ecclesiæ Ecclesiasticísque sua accîdant, demant, inuertant fauores, gratiam, dona Principum. Nempe huc ventum est rerum, hæc nunc industria censetur, vt bonum temporale, Politicúmque, passim bono spirituali & Ecclesiastico anteponatur. Sic virtus it post aurum; sic anima seruit carni; sic religio subijcitur auaritiæ; sic cœlum terris, immo ipse Deus Mundo cogitur famulari. An non tales athei? an nõ sacrilegi? an non desperati? an non fures? an non ea restituere omnibus

Aristophan. in Auibus.

Matt.19.29.

nibus pauperibus obstringuntur, quæ, ne pauperes à dominis donata acciperent, impediuerunt? Quàm longè præstaret, cum D. Benedicto, has vitreas opes omnes, per fenestram, aut in mare Creticum proijcere; immo spargere in pauperes. Profectò sic nõ frangerentur, sic *in æterna tabernacula* portarentur. Sic dominos suos demum verè opulentarent. Hæc esset vera fidelitas, talis quæstor quæstum faceret essétque verè *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Qui autem hæc non credit, non facit; & qui non facit, non credit, vt proinde, cum iam totæ scholæ sint talia dicentium, & facientium, hæc ipsa tempora esse Antichristi videantur, quibus se Christus dixit, *fidem non inuenturum in terris.* Luc. 16.9. Matt. 24.25. Luc 18.8.

VII.

Alia fide imbutus fuit D. Benedictus, ceteríque Religiosorum conditores, qui crediderunt, Dei bonitatem esse tam bonam, vt nulla se sinat liberalitate superari. Itaque Religionem ingressi omnia, Christi amore, dimiserunt, Christum sibi peculiaribus studijs obstringentes, vt ipse quoque peculiarem eorum curam susciperet. In D. Dominici vita legimus, recente adhuc ordine, eum alumnos suos, Christi more, binos, ad pœnitentiam prædicandam, in varia loca ablegasse. Contigit aliquando, vt horum duo, vsque ad horam nonam diei, hoc est, vsque ad vesperam, absque cibo, fame atque itinere fatigati, inter se mœstis animis consultarent, vndénam, aut quid, ad corpora curanda, in regione ignota, apud ignotos pauperésque sperare possent? Ita solicitis & nutantibus repentè superuenit vir statura procerus, forma honesta & eleganti, sed habitu peregrino, qui illorum infirmam & modicam fidem vultuosiùs & sermone seueriore accusans. Potuistis, inquit, credere Deo, vt eius causâ Mundum relinqueretis, nunc autem credere non potestis, illi curam esse de vobis? *qui dat iumentis escam ipsorum?* Non sinet filios fame emori: quod vos ipsi hodie abunde experiemini. His acriter dictis, videri desijt (cœlestis quippe Genius erat) fiduciâ magnâ in animis eorum relictâ. Prosequuntur igitur viam, & in pagum proximum, eúmque haud magnum aut nobilem declinant; ingrediuntur in templũ, orant; orantes loci sacerdos comiter inuitat, domúmque suam vt visant, rogat. Dum eunt, obuius miles, suos vult esse conuiuas. Oritur pium certamen. Negat se id passurum sacerdos, sibi iam condixisse dictitans; se iure esse priorem. Miles, contra ius, vim ostendit; Ps. 146.9.

dit; &, iniecta manu, innocentem facere rapinam laborat. Hac controuersiâ diu agitatâ, superuenit diuinâ prouidentia dirigente. Oppidi Dominus, litémque dirimit, ductis in suam domum, lautéque habitis & Religiosis, & milite, & sacerdote. O quàm rara hæc lis est, quantò potiùs nunc homines auari, eiuscemodi hospites solent à se ad alios deriuare, quàm, exemplo Abrahæ, obuiam procurrere, atque ad se trahere! quoties, negant se esse domi, cum tales aduenæ fores pultant? Neque idcirco diffidendum, quia nouit Deus, in cuius manu sunt corda hominum, etiam deparcos Eucliones, ad succurrendum suis, commouere. Quod eò illustrius est opus; quemadmodum & mirabilius est, è pumice, quàm è fonte, aquam elicere.

VIII. De D. Francisco scribitur, eum, quoties suos aliò amandaret, nullum illis aliud viaticum dare consueuisse, quàm illud Ps. 54. 23. Psalmi: *Iacta super Dominum cogitatum tuum, & ipse te enutriet*: cuius versiculi fides, instar omnis peculij erat. Accidit, vt duobus ab eo peregrinatum missis, diémque iam ferè totum via inediáque confectis, vires deficerent, quin vt & stipe ostiatim flagitatâ, nihil à quopiam mortalium porrigeretur. Quàm pronum est, tali tempore, homines fieri subtristes & impatientes? Quàm facilè solicitudo futuri & præsens inopia confidentiam labefactat? Et tamen, in his ipsis viris, pusillanimitatem Deus censuit castigandam. Misit igitur ex astris adolescentem ipsis astris formosiorem, qui, interrogatâ caussâ, ob quàm adeò deiecti animis essent, binos eis panes exhibuit; quibus dum illi assidentes humi suauissimè vescerentur, cæpit eos asperis verbis castigare: *Homines*, inquit, *modicæ fidei, cur diuinæ curæ iam diffidebatis? Non vobis in mentem veniebat verborum illorum Prophetæ, quæ tam sæpe vobis S. Pater vester inculcauit; Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, cum eius videlicet bonitas ne bestijs quidem agri desit? Quamobrem hoc scitote, nullam ob aliam causam distulisse Dominum opem suam, nisi vt fame ipsa diffidentiam vestram puniret.* Dixit hæc, & complura alia talia; vbi loqui cessauit, cessauit pariter etiam conspici. Satis illi fuit, cum corpore mentem etiam illorum pauisse. Nos quoque inde pascamur, neque statim animis concidamus, si non illico manna è cœlo cadit, aut è nubibus nobis aduolant coturnices. Ps. 102. 13. Illo nos solemur, illud identidem animo voluamus: *Quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam*

ipse

ipse cognouit figmentum nostrum. Scit ergo nos indigere; &, tanquam pater, non sinit indigere, ad desperationem. Miseretur, vt Pater; iuuat vt Dominus; præuenit, vt Deus.

IX.

Narrat è Cyrillo Baronius, An. Seruatoris 513. in Laura, monachis sub Saba degentibus adeò aliquando victui necessaria defuisse, vt ne quidem panis suppeteret Missæ sacrificio peragendo. Is, qui penum ex officio curabat, monuit Sabam, imminere diem Dominicum, neque præsto esse panem, qui posset in Christi corpus consecrari. Nihil ea inopia Sabam turbauit; iussit insuper sacra fidenter & sperari, & apparari. *Est fidelis,* inquiebat, *qui iubet crastinum manere liberum à solicitudine, quod attinet ad vsum corporis.* Nondum aduenerat Dominicus dies, & ecce adsunt quidam facie incogniti equisones, cum triginta iumentorum onere. Onus autem erat frumentum vinum, oleum, & alia monachis idonea ad alimentum; adeò copiosè congesta, vt Laura capere vix posset. His illatis, anxio monitori suo dixit Sabas: *Quid ais Sacrúmne dimittemus ministerium?* Qua voce ita perculit diffidentis animum, vt in genua procumbens exiguæ suæ erga Deum confidentiæ veniam, cum lachrymis, flagitaret. Igitur & tu, Lector, *quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum; noli metuere, non te subtrahet, vt cadas,* aut fame pereas. Quoties expertus es illius opem, cum non videres, vnde iuuari posses? Ne igitur imposterum diffidas, quia experientiâ sperare didicisti.

Baron. tō. 6. An. 513. & Cyrill. in vita Sabæ, apud Sur. 5. Decemb. Matth. 6.

S. Augustin. lib. 8. Confess. c. 11.

X.

De sanctissimo nostri ordinis Fundatore Ignatio Loiola, in vita eius hæc scribit Ribadeneira. *Atq; in hac firmissima in Deum spe, pecuniæq; despicientia, Ignatij altitudo animi multùm excelluit. Erat enim voluntate, réq; pauperrimus: animo, Deíq; fiducia opulentissimus. Quapropter nullum qui ad institutum nostrum aptus, vocatúsq; à Deo videretur, à Societate vnquam excluſit, propter nostrarum rerum tenuitatem. Illúdq; frequenter vsurpabat, nos quidem Deo seruiamus: ille certissimè reget nos, & nihil nobis deerit. Iacl emus cogitatum nostrum in Dominum, & ille nos enutriet. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & pascemur in diuitijs eius. Et cum quidam non ex externis modo, sed etiam ex domesticis vehementer mirarentur, qua fretus spe, tam multos Ignatius nullis certis redditibus fultus Romæ haberet, quibus alendis magnæ facultates vix sufficerent, idq; familiariter ex ipso quærerent: an nescitis (inquit) quantas vires spes in Deum habeat? vel ignoratis, parum illi esse loci, vbi omnia abunde suppetant?*

Petr. Ribadeneir. l. 5. vitæ S. Ignatij. c. 9.

tant? Quæ explorata si essent, & manu tenerentur, vbi nostra esset in Deum spes? spes enim quæ videtur, non est spes. Nam quod quis videt, non sperat. Atq; ita sanè euenit sæpissimè, vt nostra paupertas ex spe contra spem sustentaretur: eiusq; rei multa sunt, eaq; clarissima exempla, quæ si persequi omnia velim, longus nimis sim, pauca tantum subiciam, ex quibus similia intelligantur. Quo tempore bellum inter Paulum IIII. Pont. Max. & Philippum Regem Catholicum gestum est, magna erat in vrbe annonæ caritas, & domi nostræ rerum omnium penuria: itaq; nonnulli ex nostris suadebant Ignatio, vt familiam suã, quæ Romæ erat, diuideret, & partem nostrorum ad alia collegia, vbi commodiùs ali possent, amandaret. Ignatius verò, hoc ipso tempore, Antonium Labacum Architectum apprimè nobilem atq; excellentem, qui filium habebat in Societate, ad se accersiri iubet, cum eo, de solo eligendo ac designando, & duobus Collegys Romano & Germanico ædificandis, agit diligenter, iubet vti formam, exemplárq; delineet, rationes sumptuum subducat, ac rem totam perscribat. Atque hoc facto declarauit Ignatius, illa Dei opera altissimis fixa esse radicibus, & supra eam petram esse fundatam, quæ neq; imbrium vi, neq; fluminum exundatione, & concursu obrui possunt, neq; ventorum impetu labefactari. Post exempla subiecta, quæ supra retulimus, sic pergit. Quotidiana experientia Ignatius confirmatior, & in dies singulari in Deum spe erectior euadebat, cum tot argumentis disceret, se, suósq; illi curæ esse: & vbi maiores rerum ad vitam necessariarum angustiæ timeri poterant, ibi diuinam prouidentiam largius omnia suppeditare, & benignius sibi præsto esse. Illud præterea, quod fuit maximè insigne, & Romæ nostris omnibus vulgatissimum, addendum puto, Anno salutis nostræ 1555. 16. Septemb. Ioannes Polancus pecuniam, ad sumptus collegij Romani necessarios, neq; mutuam, neq; fœneratitiam, nec vlla alia ratione diligentissimè conquisitam inuenerat. Rem ad Ignatium placidissimè detulit. Ille verò in cubiculum se abdidit, orationi se dedit, Deum precatus est, vt præsenti subueniret inopiæ. Post orationem Iacobum Laynem, Christophorum Madridium, ipsum denig; Polancum ad se vocat, ipsis, quid à Polanco acceperit, exponit, sig; rem totam Deo commendasse ait, & se quidem neq; prophetam esse, neq; filium prophetarum, sed tamen pro certo habere, Deum rebus prouidentissimè consulturum. Et ad Polancum conuersus: Tu (inquit) Polance, in sex proximos menses Collegij res curato, & illi sumptus necessarios suppeditato, ego te istarum rerum cura postea liberabo. Permirum fuit eo ipso

die,

die, qui tamen iam vergebat in occasum, duobus ex locis, ab hominibus nostræ inopiæ, atq; difficultatis ignaris, sponte pecunia missa est, qua ex illis tunc angustijs exire licuit. Profectus sum ego Octobr. mense proximo in Germaniam inferiorem, & mense Martio in sequentis anni 1556. cum sex mensium spatium ab Ignatio definitum, aut effluxisse iam, aut appetere videretur, Romam ad Martinum Olauium scripsi, me vt de rei exitu faceret certiorem. Ille verò rescripsit, pridie eius diei, quam à me literas accepisset, magnam pecuniæ summam, eleemosynæ nomine, Romam nostris allatam æs alienum penè dissolutum, Polancum illa anxia rerum necessariarum cura liberatum, solutiore animo esse, res omnes fluere, & supra opinionem omnium, quàm vnquam antea copiosius abundare. Itaq; verba Ignatij reipsa & felicissimo successu adeò esse comprobata, vt ipse maiora miracula non requireret ad habendam fidem Ignatio: sed cœleste tantùm lumen, quo illustratus mentis oculis videret, quæ corporeis oculis cernebat. Hæc de S. Ignatio Ribadeneira, compluráque, eodem loco, commemorat illustrissima fiduciæ eius erga Deum exempla, quæ omnia repetere, prolixum esset. Est in manibus author. Ad alios, & alia propero prodigijs plena & documentis.

XI. Franciscus Victon. in vita & mirac S. Francisci à Paula. c. 6. lib. 1.

Fons quidam perennis miraculorum erat Franciscus de Paula, per quem, & in quo, cum monasteria ædificaret, diuinam suam protectionem illustrissimè Superi ostenderunt. *Superant fidem humanam*, inquit vitæ illius scriptor, *quæ Angelorum haud dubiè ministerio in Paulani conuentus fabrica visa sunt miracula, nihil illis aut frequentius, aut incredibilius, nam onera grauia facili negotio, virtute diuina trahebantur & vehebantur frequentissimè, & collis vicinus, qui Dormitorio extruendo officiebat, ad nutum sublatus est in alium locum; alius verò qui imminebat, facto crucis signo, medio in aëre suspenditur, & verbo eius sistitur, fons solo erumpit ad operarum vsum commodiorem. Calx non sine miraculo effossa terra producitur. Fornacem frequentius succensam, in qua calx decoquebatur, illæsus ingreditur, & egreditur, vt periculo quod ingruebat paupertati tanti viri, sese opponeret innocentia & sanctimonia. In huius porrò miraculi, quod vulgatissimum est, monimentum, eò loci visitur sacellum, illinc q; tellus educitur, è qua vasa opere figulino composita per vniuersum orbem deferuntur, ad febrium aliorum q; morborum præsentissimam medelam. Nec vno, aut altero tantùm exemplo compertum habemus ignis erga Francisci castimoniam obsequia. Nam titiones extinctos accendit,*

cedit, cibos sine igne excoxit, manus in ollas & lecytos olei feruentis illæsus immisit, lapides calcineos candentes è fornace eduxit, lateres & saxa in ignem iecta & calore rubentia, è faco in vas, in quo infirmus lauandus erat, balneúmq; satis dissitum loco, instar rosarum, gestauit, nudis pedibus ignem periculosè spineta inuadentem compressit & extinxit, nudis etiam manibus, plantisq; succensas prunas protriuit, lampadesq; ac cereos sine lumine accendit. Calum è fornace candentem manibus illæsis eduxit, & contrectauit. Accidit aliquando vt faber ferrarius B. Francisco quicquid ferri ad Conuentus fabricam desideraretur, polliceretur, dummodo carbonem subministraret. Conuentione istiusmodi habitâ, lignorum struem in fossa profunda occludit igne supposito. Cum autem ignis superpositum aggerem inuaderet, accurrit Franciscus, & pedibus nudis flammas erumpentes retundit, donec vnus è Fratribus teram detulisset, qua hiatus oppleretur. Narrabo aliud factum. Quidam ex operarijs ficus furto sustulerat. Coniectabant plerique vnum quempiam ex omnibus. Negabat ille acriter. At Franciscus tot repetitis mendacijs offensus, imperat ollam feruentem adferri, in quam nudus brachium primum immisit, deinde Latomo, quem coniectabat furem, dixit, fili si furti non es reus, polliceor, te diuina ope manum tuam ex aqua, quemadmodum ego ipse, educturum in tuæ innocentiæ experimentum. Verùm ille malè facti conscientiâ tactus, non est ausus eiusmodi periculum facere, maluitq; furtiuum obsonium profiteri.

XII. Idē author Lib. 2. c. 1. Eod. lib. c. 4.

Maiora adhuc recensentur infra, quæ Paterni, in ciuitate Calabriæ, gesta sunt, dum altera fabrica, construeretur. E quibus sufficit ea, quæ huc spectant, apponere. Quid memorem? inquit author, quoties suos operarios dapibus cœlestibus, & non alia ratione, quàm Angelorum ministerio comparatis, aut miraculo multiplicatis aluit? Sanè quidem processus ad canonizationem Neocastrensis meminit Angeli missi à Christo IESV ad S. Franciscum, vt deferret frustulum panis, & vini amphoram, quibus reficerentur conducti ad lignam quodam monte comparanda, operarij. Verùm quod in eo miraculo omnibus omnium oculis, & sensibus subiectum est, inuisibili angelorum ope perpetratum credimus, in ijs quæ subijciuntur exemplis. Nam primo omnium, ter mille viros, aut mulieres, qui Paternum visendi Thaumaturgi gratia confluxerant, vnico panis cophino, atq; vini amphora ad satietatem reficit: cùm tamen postea idem cophinus, eademq; amphora intacta remanerent. Altera autem die, cùm quendam ex fabris ostendisset proferens ficum vnam (quanquam alij restim ficuum dixerunt) insit.

insit. Putásne me tibi & sociis tuis, ex hac ficu partem aliquam dare posse? cui iste ratus id impossibile factu, subridens: at mi Pater, inquit, si totam distribueris, quid tibi cedet? Respondit S. vir, gratia DEI, Charissime, quæ non deest inquirentibus eum toto mentis affectu. Igitur ficum istam viginti operarijs diuisit, cum ea singulorum admiratione, vt omnibus abundè satiatis, ficus præ manibus supereſſet. Idem narratur de trecentis hominibus, qui operam nauabant aquæ ductui Conuentûs excauando, paucis ficubus ita refectis, vt supereſſent. Præterea viginti numero fabros lignarios, quos cædendis in silua lignis addixerat, vno pane, viniq; amphora totam diem aluit, præter omnium expectationem, qui antequam è Conuentu migrarent, conqueſti fuerant, quod parcè nimiũ singulorum educationi prospectum fuisset. Ad hoc memorandum est, quod in litteris Vincentij Carafæ Comitis ad Leonem X. atq; alibi consignatum est, innumerabili hominum concursu confluente, è cophino panis intacto, & vini cado inexhausto omnes comedisse & bibisse. Erátq; istud miraculi genus valde familiare S. Patri Thaumaturgo: Nam de eodem vini dolio, à mense Aprili, ad mensem Septembris, ab omnibus operarijs, & innumeris, qui Paternum confluebant, potatum est. Fabarum item parua mensura per multos menses non deficit, vinum, lactucæ, & frustulum panis multiplicantur, ciſtula pomorum oblata à paupercula ducentis hominibus ita diuisa est, vt singulis pomum vnum cederet. Denique, in apparata mensa Guilelmo Oeconomo, & Præfecto domus Illustrissimæ D. Marchionissæ de Polixena, nec piscis miraculo expiscatus, nec panis, nec vinum à comedentibus minui visa sunt. pluraq; alia ex actis ad canonizationem colligere est, quæ noster scribendi stylus contrahit breuitatis desiderio. Hæc de S. Francisco Paulino.

Aliquando autem Christus, pane, aliquando vino; aliquando sua manu, suos pascit, aliquando aliena. Nota etiam in pueros est S. Othmari laguncula. De S. Felice Nolano à Ribadeneira hæc memorantur. Postquam (sicut olim D. Petrus ex Herodiano carcere) ab Angelo è vinculis eductus ad montem peruenit, in quo S. Maximus Nolæ, in Campania, Episcopus, vitatis persecutoribus, fame confectus frigoréque rigens in niuoso solo iacens mortuo, quàm viuo, similior, vix spirabat; illico super eum se, Prophetæ instar, iaciens manus manibus, pedibúsq; pedes, & os ori cõposuit, vt rigentia membra calore pariter corporis foueret & charitatis. Tamdiu ita iacuit, donec & ipse algeret: neque tamen se aliquid proficere vidit. Itaque in preces & genua se ere-

XIII. Petr. Ribad. 14. Ianuarij.

se erexit, Deúmque incensissima oratione etiam atque etiam rogitauit, vt extremè affecto seni succurreret. Vide mihi vim precum, & virtutem prouidentis Dei. *Nuncquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* dixit Christus, naturæ indolem ingeniúmque declarans. Atqui hîc Felix, pro Maximo, Deum precatus, devicino rubo, pictissimè liuentem conspexit pendere vuam. Eam igitur, quasi demissum cœlo munus, carpens digitali prælo domuit expressúmque ori senis mustum instillauit. Quàm primùm semianimis Præsul ætherio depromtum cado falernum libauit, vímque eius in venas admisit, velut à morte reuocatus, aut alto experrectus sopore, cœpit grauatos diu oculos aperire, Numinísque benignitatem rediuiua voce laudare. Nec minor fuit in ipsum etiam Felicem Numinis prouidentia. Siquidem postquam Nolam nouus Æneas Maximum, tanquam Patrem suum, incedere pedibus non valentem, humeris susceptum reportauit, paulò post, noua orta est tempestas. Quærebatur tum ab Imperatoris milite Felix, tanquam caput Christianorum; neque in medio foro agnoscebatur, postquam ipse de seipso interrogatus, dixit: *Sibi Felicem de facie notum non esse* (vsque adeò nunquam in speculo se viderat) eóque dicto sese captantium è manibus subduxit. Vt etiam ex oculis sese eorum subduceret, latebras circumspexit. Prope erant parietinæ, ibi inter rudera sese viuum cogitabat sepelire. Instabat fugienti miles, qui intellexerat, eum ipsum esse Felicem, quí cum in foro fuerat collocutus. Instantem vbi vidit, inuocata diuina ope, non tam in latibulum, quàm in patentem locum intrauit. Cœlesti opus erat clypeo. Mox igitur adeò densa aranearum tela diuinitus ei asylo est prætexta, vt sequi non posset crudelitas, quò se innocentia recepisset. Quis enim sibi persuaderet, opus tam citò creuisse aranearum? Pulcherrimè S. Paulinus ait:

Matth. 7. 15.

Sic vbi Christus adest nobis, & aranea muro est,
Aut cui Christus abest, & murus aranea fiet.

Multi enim, intra firmissimarum vrbium mænia, non sunt tuti: Felicem opera aranearum & tenuissimæ telæ defenderunt, sub quibus vtique securiùs, quàm alij sub Orci galea, Dei seruus latitauit. Felix vbi delusos spe sua venaticos canes animaduertit, ad Deum

conuersus,

conuersus, *Et si*, inquit, *ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*; *indeq*, vt S. Paulinus refert, *parietinas interiores ingressus, solidum illic semestre delituit, nulli mortalium visus cognitusue.* Gregorius Turonensis, ait, cum toto trimestri inibi delituisse. At quis tam strenuum militem, tam pium Presbyterum, toto illo temporis interuallo aluit? Audi miram prouidentiam. In proximo habitabat mulier admodum addicta Deo, quæ Felicis ibi latitantis prorsus ignara, non secus, ac si conscia foret, eodem, quo sanctus erat loco, (quem suum esse penum putabat) in excessu mentis, esculenta vernis suis destinata, collocabat. Quódque mirabile erat, semper ponendorum esculentorum memor, recipiendorum semper immemor fiebat. Ita totius ignara miraculi Felicis nutrix ignotum alumnum sustentauit. Quem, ne potus deficeret, licet sudum cœlum imbres suspendisset, & solùm siccitate aruisset, Deus, æthere lactante, refecit. Siquidem adeò vberem de cœlo rorem in veterem, quæ fortè, immo consilio Altissimi, ponè aderat, testam depluit, vt omnem illo sitis ardorem temperaret. Nemo de clypeo, nemo de cibo, nemo de potu solicitus sit. Nouit Deus seruos suos areanarum telâ clypeare; nouit pascere cibis in alium vsum præparatis, sicut Danielem alterius Prophetæ messorúmque pulmento; nouit rorem in nectar vertere; dummodo illius nos curæ permittamus, neque, contra præcepta eius, de rebus caducis, vsque ad desperationem, soliciti simus.

Psal. 22. 4.

Greg. Turonens. l. 1. de mirac. cap. 104.

XIV.

Neq; arbitrandum est, solis eam viris à Deo potestatem factam. Refert Ioan. Brugmannus, de S. Lydwina virgine, quæ in comitatu Hollandiæ, oppido Schiedamensi, æquè mirè egit, ac passa est, eam erga indigentes maximè fuisse liberalem, quos, si poterat, vel coctis, vel crudis iuuabat cibis; si non poterat, benignitate verborum solabatur. *Nouerat pauperum nomina, & habitacula; & quamuis iaceret in tenebris, omnia intueri, omnia distinctè cognoscere videbatur, perinde ac si versaretur inter homines. In pauperum vsus iussit, hyeme, sale aspergi carnes, salitas cum pisis coctas illis transmittebat. Contigit aliquando, vt cum vicinis diuidendæ vaccæ quarta pars ei cederet ad alendos pauperes. Ex ea cùm ministræ eius quandam portionem cum pisis coxissent, & triginta domibus inde ad saturitatem distribuissent, quidam ait Lydvvinæ: quemadmodũ iussisti, triginta pauperum domibus de carnibus & pisis tuis ad satieta-*

Ioan. Brugman. & ex eo Surius tom. 7. 12. April. part. 2. cap. 2.

tem dedimus, & tamen nihil in olla diminutum videtur. E vestigio illa respondit: Non pro meis meritis, sed pro sua bonitate id fecit Deus. An non ille dixit, date, & dabitur vobis? Comederunt sanè ex illis carnibus domestici eius, comederunt aduentantes peregrini, omnes admiratione permoti, manum Domini adesse fatebantur, quæ olim viduæ farinulam conseruârat. Porrò etiam diuites, præ deuotione, petebant interdum mitti sibi de buccellis virginis nostræ. Illos verò pauperes ante omnes secretò fouere & pascere studebat, quos ex opulentis nouerat ad inopiam redactos, & verecundia à petendis eleemosynis cohiberi. Mendicabat autem etiam ipsa, si deessent carnes, quibus inopes reficeret. Orauit quandoq; virum pium, vt si haberet armum porci coctum, mitteret sibi pauperibus impertiendum. Fecit ille, & mox sensit quàm sit grata Deo manus porrecta ad dandum. Vt enim ipse fassus est, cùm paulò post coniecisset oculos eò, vnde tulerat armum, vidit alium longè maiorem suspensum. Scisciatur ex familia, num quis eum suspenderit. Negant omnes: agnoscit donum Dei, fit erga virginem nostram deuotior, fit in pauperes liberalior. Mulier quædam caduco laborans morbo, sæpè in plateis corruebat. Accidit autem, vt magno spiritus angore correpta, in domunculam Lydvvinæ intraret, potúmq; sibi dari poscret. Lydvvina tum nihil cogitans de exiguo vino, quod supererat, cùm sola esset, aquam monstrauit fœminæ, quodam vasculo contentam. Illa totam exhausit, sed sitis extincta non est. Ardet misera, plusque sibi dari petit. Tum Lydvvina recordata vini, digito ostendit; atq; illa totum bibit: rursúsq; instat pro potu. Sed cùm nihil liquoris haberet virgo, dedit ei nummum quendam, vt illo sibi potum emeret; quem illa hilariter accipiens, abscessit. Deinde febribus Lydvvinam corripientibus, orat patrem, vt pauxillum vini porrigat, quo labia arentia tingantur. non enim meminit tunc fœminam morbidam vinum omne epotasse. Porrigit pater poculum filiæ, vnde illa mulier biberat; & ecce, plenum est optimo vino, diuinitùs in illud infuso. Stupet virgo, sentiens nullum se melius bibisse vinum, nec tamen patri indicat, vnde sit, licet & ille stupens admiraretur, neq; colorem, neq; saporem eius vnquam perire. Tandem cum in vasculo, longo tempore, durasset, cuiusdam fœminæ incuriâ effusum est. Per id tempus adhuc parcissimè vino vtebatur Lydvvina: itaq; doluit illud effusum, quòd nunquam habuisset sibi accommodatius vinum. Cùm enim alia vina sine aquæ admixtione bibere non posset, hoc solum purum bibit. Obseruet hic lector humanitatem sanctæ Virginis, quæ è suo poculo iussit fœminam morbo comitiali vexatam bibere, Cùm

re. Cùm frater eius VVilhelmus excessisset è viuis, multo ære alieno obstrictus, filij eius in magnam inciderunt calamitatem, quam humanitùs euadere vix possent. Tum Lydvvina illorum miserta, quædam clinodia sua distraxit octo libris eius regionis. Dedit autem negotium Nicolao cognato suo, vt is è crumena, in quam nummos omnes condiderat, satisfaceret creditoribus. Fecit ille, vt iussus erat, & cùm omnibus esset factum satis, quod reliquum fuit pecuniæ in crumena, ter coram Lydvvina numeratum est, & tantundem inuentum est, quantum illa primò imposuerat. Illa verò prohibuit, ne cuiquam id indicaretur, crumenámq; illam Domini IESV voluit crumenam deinceps appellari. Atq; ex illa & ipsa expendebat in pauperes æs liberaliter, & Dominus IESVS abundè infundebat. Quibusdam specialibus amicis aliquando ex ea percunctantibus, quantum ex illa crumena post obitum fratris sui VVilhelmi distribuisset, sic respondit: Quandoquidem video non latere vos donum Dei, pro certo confirmo, me de illis octo libris plus quàm quadraginta libras in pauperes erogasse, præter eas, quibus dissolui æs alienum fratris mei. Sex annis ante obitum virginis multis modis ex ea pecunia datum est pauperibus, & illa rursus diuinitus aucta. Post decessum virginis, dimidia pars pecuniæ in eadē crumena reperta est. Quidam etiam eius aurei nummi coram tribus fide dignis viris numerati, illis stupentibus, visibiliter aucti fuêre.

XV.

Vt famelicis prouidet, sic sitientibus clamat Deus: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Nam & è petra eijcere aquas ictu virgæ potest; (& è nubibus, panem in cibum, imbrem in potum præcipitare. Audite veritatis simplicitatem. *Abbas Gregorius Anachoreta narrauit nobis dicens: Cùm ex Byzantio descenderem, ingressus sum nauim. Intrauit autem & Scriba quidam, cum vxore suâ, profecturus ad sanctam ciuitatem, orationis causâ. Erat autem Nauclerus religiosus valde, multúmq; ieiunans. Cùm ergo nauigaremus, scribæ serui frustra consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua; eramúsq; in magnâ tristitia. Et erat miserabile spectaculum, videre mulieres & pueros, & infantes siti arescentes, & velut mortuos iacentes. Cùm ergo dies tres in hac necessitate fuissemus, scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio & nautas, & Nauclerum volebat occidere. Dicebat enim: hi sunt nostræ perditionis autores, quia non sumpserunt aquam ad sufficientiam. Ego autem orabam scribam dicens: noli hoc facere, sed magis deprecemur Dominum nostrum IESVM verum Deum, qui facit magna, & mi-*

Isa. 55.1.

Pratum spirituale Moschi Eutrati cap. 174.

 rabilia,

rabilia, quorum non est numerus. Ecce enim & Nauclerus, vt vides, tertium hunc agit diem, ieiunio, & orationi vacans. Cúmq; acquieuisset scriba, quartâ die, circa sextam horam, surgens Nauclerus, clamauit voce magna, dicens: Gloria tibi, Christe Deus noster: ita vt omnes mirarentur in voce ipsius. Dixítq; nautis: submittite membranas. Et cùm explicuissent eas, ecce nubes supra nauem veniens, tantum pluit aquæ, donec impleuerunt vasa, ad necessitudinem nostram. Erat autem miraculum grande & terribile, quòd, velificante naue, nubes illa consequeretur nos, & extra nauem non plueret. Sic extra vellus olim ros non cecidit, vt appareret, destinatò cecidisse. Impleta est igitur promissio illa: *Effundam aquas super sitientem.* Quòd, si cui fortè nubes non sufficit, audiat, tota maria dulcedinem induisse, vt seruis Dei in potum cederent. *Anachoreta quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus Eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est constantinopolim pergere, ingressúsq; est in nauim. Cùm verò nauis diutiùs detineretur in pelago, defecit aqua, eránt q; nautæ, & vectores in magnâ anxietate & desperatione. Surgens autem Anachoreta & expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, factâ oratione, signauit mare signo crucis, & ait nautis: Benedictus Dominus, haurite, quantum aquæ opus habetis. Impleuerúntq; omnia vasa sua de mari aquâ dulci. Et omnes glorificauerunt Deum.* Qui vtique reduxit prodigium Moysis aquis Mara amaritudinem adimentis. Glorificantes autem Deum compellare se meritò potuerunt illis verbis: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.*

Iudic. 6. 38.

Isa. 44. 3.

Moschus Eiuratus in Prato Spirit. c. 173.

Exod. 15. 13

Isa. 12. 3.

XVI. Quid quòd Deus, ipsius naturæ ingenio, sicut pluit super iustos & iniustos, ita alicubi pijs pariter ac impijs prodigiosissimos fontes sinit perennare, quibus sitim restinguant? Quippe *insulæ cuidam Canaricæ, quæ FERRI dicitur, omni aqua dulci destitutæ subuenit diuina Prouidentia arboris cuiusdam præsidio; cuius ea natura est, vt assiduè, instar fontis, dulci humore stillet, qui hominibus & pecoribus ad potum sufficiat.* Nimirum omnia vbique subsunt Deo; si vult, ex ipsis ignibus potest aquam producere, ex aquis ignes.

Leon. Lessius lib. 1. de Prou. Num. rat. 5.

Quis quærat in arbore Nectar?

Sed Deus ibi potest reperire. Sicut fit, apud Sinas, vbi ex arborum fo-

sum folijs vina dulcissima exprimuntur. Dummodo nos Deum timeamus, *Non est inopia timentibus eum.* Potest è maxilla, imo è dente fontem prolicere, vnde Samsones bibant ad satietatem; immo & ad voluptatem. Nam & illa aqua, quæ, ad virgæ ictum, immo nutum, de petra, saxóque durissimo, prosilijt, olei, & mellis dulcedinem præbuit gustantibus. Ita olim populum suum *constituit super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra oleúmq; de saxo durissimo.* Nempe, qui in Nuptijs, ex aqua vinum optimum fecit, facere etiam potest, vt ipsa aqua mellis gustum adipiscatur. Cum filijs Belial, cum noctes diésque pergræcantibus Apicijs, cum sagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non sua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in absynthium vertatur, & sit *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Amara enim conscientia, etiam ex Massico, aut Maronæo vino absynthiacum producit; vt etiam hîc cõgruat, quod de graphio Symposius Poëta dicit:

Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

Pſ. 24. 14.
Iudic. 13. 19.
Deut. 32. 13.
Ioan. 2.
Deut 3. 2. 32.
Sympos. in Ænigm.

CAPVT XVIII.

Aliunde desertis Dei seruis, etiam delicias apponi.

I.

NOn Christo tantùm, in deserto, Angeli ministrarunt, sed etiam ipse Christus Angelis, hoc est, hominibus in deserto, more Angelorum, viuentibus. Pauit enim quinq; panibus quinq; virorum millia; imò plura postea millia Eremitarum. Neq; tamen putandũ est, eos, quos etiam miraculosè sustentat diuina prouidentiâ, aut solo pane hordeaceo, aut sine dulcissima iucunditate semper sustentari. Sicut Christus, præter panes, etiam pisces apposuit suis conuiuis, in deserto; ita subinde etiam alijs sanctis delicias fugientibus delicias facit. Docet enim Ferrariensis, ea, quæ à Deo fiunt immediatè, perfectiora esse his, quæ fiunt à Deo, mediante natura. Sicut ergo olim manna omnem suauitatem saporis continebat,

Ioan. 6. 11.

nebat, quod nulli naturali cibo contigit; ita vinum in Nuptijs à Christo ex aqua factum, fuit præstantius quouis vino naturali. Pari pacto tradit Ferrariensis, panem in deserto, piscésque Christi potestate multiplicatos, longè fuisse gustus delicatioris, nobiliorísque, & habuisse vim cibi pariter & potus. Quod postea sæpius contigisse, vt dulcedinem Dei gustarent homines, exemplis docebo delicatos; vt ne istam quidem habeant aduersus Deum excusationem, &, quia gustum sequuntur, vel dulcedine trahantur. Hoc enim hamo vsus est etiam ille, qui dixit: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 33. 9. *Quod ideò dicit*, ait Emissenus Serm. de Epiphan. *quia amor Dei, quantolibet ardore quæsitus, etiam magis ac magis sitim inflammat. Vnde & de seipso dicit: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Gustent ergo, vt videant suauitatem; edant, vt esuriant; bibant, vt sitiant fontem salientem in vitam æternam; quicunque suauitatem sequuntur.

II. Palladius cap. 77 hist. Lausiacæ. Apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, Posidonius Thebanus hæc ipse de se narrat: *Cùm habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis vterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defecissent, egressus sum è spelunca, vt venirem in orbem terræ habitabilem, & cum toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam tiariferam: & cum coniectassem, eum esse militem, profectus sum vsq; ad speluncam, & inueni canistrum vuarum, & ficuum nuper decerptarum: quod cum accepissem, lætus rediui ad speluncam, habens, duobus mensibus, cibos illos ad meam refectionem.* En vt etiam obsonijs suos recreat cœlestis Pater! Ficus in Paradiso, ad delicias creauerat (quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes consuerunt, vt facerent *sibi perizomata*) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in eremum. Post diluuium, Noe cæpit exercere terram, *& plantauit vineam*, vt vinum biberet cum iucunditate; en fine vinea vuas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit vltra facere, etiam illecebris Deus homines allicit ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vuas etiam aues aduolarunt; ad veras vuas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.

Abbas

Abbas Hellen, de quo Ruffinus ac Palladius meminit, idem expertus est. *Cum enim aliquando panes ei defecissent, in spelunca, Angelus, in figura fratris eius, attulit nutrimentum. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die, ieiuni permanentes. Cum verò eos inuenisset, iussit in spelunca refici; illi verò eum victus admonuerunt. Ille, qui nihil habebat, quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens, pontone, ipsis orantibus, pulsauit fores. Cum autem aperuisset, viderunt adolescentem habentem magnam sportam panis & oliuarum. Ijs autem susceptis, comederunt, Deo agentes gratias, cum adolescens statim euanuisset.* Vides, præter panem, oliuas? Vis adhuc aliquid dulcius? Audi eundem Palladium, de eodem Hellene. *Abijt in desertum, atq; ibi, tanquam pro concupiscentia carnis punienda, ieiunijs semetipsum capit affligere. Tertia autem septimana ieiunij sui, vidit in deserto iacere diuersa poma sparsa: & intelligens dolos inimici, ait: Non manducabo, neq; contingam, ne fratrem meum, hoc est animam meam scandalizem. Scriptum est enim, quia non in cibo solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Cúmq; & sequenti septimana ieiunaret, paululum in somno deductus est, & ecce Angelus Domini astitit ei, per visum, dicens: Surge iam, & quæ tibi apposita inueneris, nihil dubitans vescere. Surgens autem, vidit aquæ fontem lenibus repletum fluentis, eiúsq; ripas in circuitu herbis quibusdam teneris odoratisq; prætextas. Et accedens decerpere capit, & edere, similiter & ex fonte poculum sumere. Confirmabat autem, se nunquam in omni vita sua tantæ dulcedinis aliquid, & tantæ suauitatis hausisse. Inuenit autem in ipso loco etiam speluncam quandam, intra quam aliquandiu quieuit. Et cum reficiendi corpusculi, tempus & necessitas adfuisset, per Dei nihilominus gratiam nihil deerat eorum, quæ poscebat à Domino.* Quid iam volumus amplius? pascit suos Deus; & nectare atque ambrosia pascit, si necesse est. Quid alibi delicias quærimus? quæramus ibi, vbi est *torrens voluptatis.* Vna ex hoc torrente gutta, totis fluuijs Mundi antecellit.

III. Ruffin. lib. 2. cap. 11. Pallad. 59.

Ibid.

De Israëlitis ait Scriptura: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.*

IV. Sap. 16. 20.

tur. Itaque manna illud, mellis in aliorum palato, piperis in aliorum, in aliorum piscis, in aliorum carnis, in aliorum melopeponis, aut alterius suauissimi fructus saporem efficiebat. Renouatum est hoc miraculum non semel tantùm, apud Christianos; Deo suis prouidente, & tanquam paruulis lac aut melimela dante. *Nam pueris melimela damus, & crustula, elementa velint vt discere prima.*

Horat. lib. 1. Sat. 5.

V.

Dulcissimi eiusceemodi panis & accepti, & perditi meminit etiam, apud vetustissimum authorem Palladium, in Lausiaca historia, Ioannes Thebaidis clarissimus illustrator, his verbis: *Fuit quidam monachus* (imitatione Christi, ad ieiunandum, in desertum secedentis) *qui in eremo hac, quæ præ ceteris interior est, habitabat. Hic dum plures annos in abstinentia perdurâsset, & proiectus tempore, prope iam ad senilem veniisset ætatem, omni virtutum flore adornatus, ac totius continentiæ magnitudine sublimatus: cum orationibus & hymnis sedulo Deo seruiret, tanquam emerito militi suo Dominus remunerationes parat, vtpote qui in corpore adhuc positus, ad instar Angelorum incorporeæ vitæ fungeretur officijs, & dignum iudicans annonam cœlestem præbere in deserto ei, qui cœlestem Regem peruigilibus præstolabatur excubijs.* Quod & Christo factum est, cui, postquam 40. dies ieiunauit, Angeli, cibos vtique esurienti, ministrauerunt. *Volens ergo Deus*, qui olim, in deserto Israëlitis è nubibus, Eliæ, per coruum, panem suppeditauit, *etiam in hoc sæculo remunerare eius Monachi fidele propositum, ad prouidentiæ suæ sollicitudinem quotidiani victûs eius reuocat curam. Vt enim ei cibi vsum proposuisset naturæ necessitas, ingrediens speluncam suam inueniebat mensæ panem superpositum, miræ suauitatis,* omnes mundi delicias superantis, *miriq; candoris: ex quo refectus*, non *surrexit ludere*, non saltare & choreas ducere, non poposcit fritillos; sed, in exemplum, eorum, qui saturati & saturandi Deum laudant, *gratias diuinæ præstantiæ referens, rursus ad hymnos & orationes conuertebatur. Ad quem diuinæ etiam reuelationes, multæq; de futuris rebus, à Deo præmonitiones fiebant.* Quàm benè monuit Apostolus: *Qui stat, videat, ne cadat?* Siquidem etiam sanctissimi viri nonnulli, diabolo tentante, ceciderunt. Quod etiam huic eremicolæ accidit. *In his enim talibus & tantis profectibus positus, quia sibi placere ac gloriari quasi de meritis suis cœpit, & cœlestis beneficij munus, vitæ suæ debitum dixit*, laxatæ sunt tentatori habenæ. Qui, vt mille artifex, quasi tenui terebra, initio paruum, ac sensim maius foramen facturus, ab exi-

Pallad. c. 46. & seq. in Lausiac hist. qui vixit An. 390. tempore S. Hieronymi, quem etiam citat Epiphan. ep. ad Io. Hierosolymitanum.

Matth. 4.

1. Cor. 10. 12

guis

guis censuit ordiendum. Itaq; *continuò subintrat eum parua quædam desidia animi, tam parua, quam nec posset aduertere. Post hæc* (vt sensim & per gradus iretur) *creuit maior negligentia, ita vt tardior iam fieret ad hymnos, sed & ad orationem pigriùs surgeret; psalmi quoq; ipsi non eâ, quâ priùs, vigilantiâ ab ipso canerentur, sed vbi parum quid exhibitum fuisset soliti ministerij, anima eius quasi nimio labore fatigata, requiescere festinabat: quia sensus eius reprobus effectus, de sublimioribus ad inferiora ceciderat, & cogitationes suæ per diuersa cum præcipitia rapiebant. Erat enim iam in corde eius clandestina quædam, turpis ac nefanda cogitatio, consuetudo tamen prior; velut si decursus aquæ, etiam cessante remigio, adhuc priore impetu nauigium ferat, ita & vetus institutio ad consueta hominem officia trahebat. Ob quam causam & stare adhuc in suo statu videbatur. Hic ergo, cum post orationes cibum solitò requisisset ad vesperam, ingressus locum eum, in quo refici consueuerat, inuenit solitò panem mensæ superpositum, ex quo refectus, nihil eorum, quæ in corde suo versabantur, emendatione curauit, neq; immutationis suæ damna persensit, sed spernentem se minima, paulatim casurum non intellexit. Interea, cum graui iam libidinis incendio stimularetur, & inflammatus turpi concupiscentiâ raperetur, rursus ad sæculum, illâ interim die cohibuit se, & solita hymnorum & orationũ ministeria ex more persoluit, atq; ingressus vt cibum sumeret, panem quidam inuenit mensæ superpositum, sed aliquantulò sordidiorem; admiratus est, & tristis effectus: intellexit enim quòd ipsum respiceret, hoc genus monstri, tamen cibo sumpto refectus est. Post diem tertium triplicatis vrgeri stimulis cœpit: occupauerat enim cogitationes eius quasi iã præsentis, & secum positæ, secúmq; accumbentis imago mulieris, quam complecti sibi videbatur, & ad turpes vsus habere substratam. Processit tamen & sequenti die ad solita psallendi & orandi officia, sed stabat oculis, & mente captiuus. Cúmq; solitò ingressus ad Vesperam requireret cibum, panem quidem inuenit super mensam, sed sordidissimum ac aridissimum, & quasi à muribus vel canibus vndiq; corrosum. Tunc ille vt hoc vidit, ingemuit, & lacrymas fudit, sed non ita ex corde, nec ita vberes, quæ possent flammam tanti ignis extinguere. Verumtamen sumit cibum, sed neq; quantum volebat, neq; qualem solebat: cum interim cogitationes eum, tanquam cohors barbarica, vndiq; circumuallant, & omni ex parte in eum tela iaculantur, ac vinctum captiuúmq; eum ad sæculum retrahunt. Exurgens ergò, cœpit iter agere noctu, per eremum, & tendere ad ciuitatem: sed vbi dies facta est, ciuitas quidem*

longè adhuc aberat. Ipse verò cum rapidissimo æstu coqueretur, & fatigaretur in eremo vndiq; versus, considerare oculis cœpit, & requirere, sicubi esset in vicino monasterium: & cum conspexisset fratrum quorundam cellulam, tendebat illuc, vt apud eos requiesceret. Quem vbi adesse senserunt serui Dei, continuò procurrunt in obuiam, & velut Angelum DEI excipientes adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, mensam ponunt, atq; omnia secundùm diuinum mandatum complent charitatis officia. Verùm vbi refectus est, & paululum requieuit, ex more quasi ab eruditissimo & opinatissimo patre cœperunt Verbum ædificationis expetere, ac monita salutis inquirere. Interrogauerunt quoque eum, quomodo quis diaboli laqueos possit effugere, aut si quando turpes iniecerit animo cogitationes, quomodo depelli possint & abijci. Tum ille, vt compulsus est monita fratribus dare, & salutis eos viam docere, ac de insidijs dæmonum (quas Seruis Dei intendunt) facere sermonem, illos quidem plenè & sufficienter edocuit, sibi verò ipsi stimulos compunctionis incendit, & in semetipsum regressus ait: Quomodo ego alios moneo, & ipse decipior? aut quomodo alios corrigo, qui meipsum non emendo? Age ergo, miser, facito ipse prior, quæ facere alios doces. Cúmq; huiusmodi increpationibus vteretur aduersus semetipsum, & intellexisset, se miserabiliter supplantatum, valedicens fratribus, continuò se rapidissimo cursu in eremum dedit, & ad speluncam, de quâ discesserat, rediit: prosternens se Domino in oratione, dicens: Nisi Dominus adiuuisset me, paulo minùs habitâsset in inferno anima mea. Et iterum: Paulo minùs fui in omni malo, & paulo minùs consummauerunt me, in terra. In hoc verò completum est, quod ait Scriptura: Frater fratrem adiuuans exaltabitur, vt ciuitas munita & fortis. Frater qui adiuuat fratrem, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium. Post hæc ergo permansit omni vitâ suâ in luctu & lacrymis, videns diuinitus sibi concessum cœlestis, mensæ beneficiũ perdidisse: cœpit enim in labore rursus & sudore vultus sui manducare panem suum. Concluſit autem se intra speluncam, atq; in cilicio & cinere iacens, tamdiu lugens flensq; permansit in orationibus, donec assistens ei Angelus Domini, diceret ei: Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & repropitiatus est tibi: sed caue ne vltra elatus decipiaris. Venient autem ad te fratres, quos tu ipse docuisti, deferentes tibi benedictiones, quas suscipere ne recuses, & sumens cum eis cibum, age gratias Deo tuo.

VI. Multorum fructuum hortus est hoc exemplum. Ex eo decerpi potest cognoscíque primò, cura Dei, qua, in deserto, desertos alit,

tos alit. Secundò Dei delicatus amor, delicatissimo pane suos alentis, & velut manna dantis, iuxta illud Psal. 67. *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus.* Tertiò ministerium Angelorum, qui, in solitudine, non Christo solùm, sed etiam seruis Christi ministrauerunt. Quartò, infelicitas, vt ita dicam, magnæ felicitatis, in nimiam non rarâ securitatem inducentis. Supra dictus enim Eremita securitate periclitatus, & felicitate miser factus est, & cœpit demereri, ipsorum meritorum occasione. Quintò, humani ingenij virtutisque inconstantia: nam de virtute superbus, virtutem amisit; meruitque cadere, vt humiliaretur, qui stando superbiuit: denique in turpia lapsus est, qui vescebatur pane Angelorum. Quo exemplo meritò multi mortales deberent fieri cautiores. Si cadit, qui mundum fugit; quomodo stabit, qui mundum ambit? Si peccat in eremo, ab omni hominum illecebra remotus; quid fiet illi, qui in medijs turbis iactatur? Si labitur, qui in intimis solitudinibus se abscondit, vt declinet labendi occasionem; quid ei continget, qui præcipitia vltro adit? Si vincitur à Venere, tam abstinens; quid sperare potest, qui se quotidie ingurgitat vino, in quo est luxuria? Si non extinguit ignem impurum aqua; an non magis iungentur vinum & Venus? Sternitur sobrietas; & ebrietas firma consistet? Decipitur Eremita tam diu multúmque exercitatus; quid fraudis non patietur, qui vix scit duos fidei articulos, in negotio spirituali prorsus peregrinus? Fædatur in quo omnis virtus fuit; quò non impelletur omni flagitio coopertus? Vir tantæ orationis intrat in tentationem; quibus modis tentabitur turpiloquus, detractor, blasphemus? Desertor factus est, qui quotidie manducauit panem Angelorum; quàm constans erit, qui quotidie vel cum diabolis, vel cum hominibus diabolo deterioribus versatur? Illum superbia & libido rapuit, cui Deus arcana cœlestia ac res futuras reuelauit; an parcet ei cui omnes turpitudines instillantur? Nempe hæc est mortalium pernicies, securi sunt, nec solicitè ambulant, cum in medio tentationum periclitantur. Maxima pars hominum putat se non tentari; cum nemo sit, qui non tentetur. Tentati sunt, in statu innocentiæ, primi parentes. Tentatus est castissimus Ioseph. Tentatus est Dauid. Tentatus Salomon. Tentati Petrus, Iudas & omnes Apostoli: omnes Eremitæ: omnes Religiosi: ipse Christus: & est qui se à tentatione iudicet immunem? Falleris, ô miser,

Gen. 39.
3. Reg. 11.

Tentatio est vita hominis super terram. Omni momento tentatur. *Sicut leo rugiens circumit* tentator. Sed ita subtilis est, vt laqueum abscondat; ita callidus, vt fraudem astu colat; &, vt, qui diu in aquis versantur, non sentiunt se esse madidos, ita qui maximè tentantur, nescium, quid sit tentari. Tentari, ô infelices, est ad peccatum allici. Cur toties delinquitis, si non allicimini ad peccandum? cur iussi estis orare: *Et ne nos inducas in tentationem*, Matth. 11. si nulla est tentatio? Hostis, vbicunque potest, nocet; & hostis infernalis parcet? Quin neque vnus tantùm, sed sæpe mille tentant. Vnde quidam interrogatus, quod illi nomen esset, dixit, se Marci. 5. 9. vocari *Legionem.* Ita totis legionibus quidam ad superbiam, auaritiam, tentati adhuc se à tentatione liberos arbitrantur. Sextò, Dei leuiter sensímque monentis, & corrigentis magis, quàm punientis clementia. Neque enim panem illico subduxit negligenti, sed minuit, sed minùs condiuit. Septimò, vis diuinorum colloquiorum, paternúsque Dei ergo filios prodigos ad frugem redeuntes animus. Vbi enim suamet exhortatione motus est desertor, vbi ad pœnitentiam ac cellam se recepit, iterum eum diuina bonitas suscepit, & nutriuit, sed iam pane mortali manu confecto, ne diuino prodigio iterum ad insolentiam abuteretur.

VII. Septimò, in hac etiam historia, tanquam in viua quadam imagine, sese intuentur Religiosi, qui, quia corporis sui curam negligunt, merentur curam Dei. An non enim liberrimè vacant studijs & orationi? an non, dum illis nulla culinæ cogitatio, nedum cura est, mensam paratam inueniunt? Addo, illis summam esse in pane & cibo suauitatem; vt non ficta pietate, sed verissimo testimonio profiteri possint, plus sibi frugales domi dapes sapere, quàm si splendidissimis Principum epulis adhibeantur. Accedunt suauissimæ illustrationes mentis, & dulcissimi motus animorum; spes certa futuræ retributionis; mirifica vitæ securitas, *quasi iuge conuiuium.* Hæc omnia illi habent: sed multi, sua culpa, vel minuunt, vel penitus amittunt; dum dormire largiùs, orare parciùs, ingurgitare se cibis ac potu intemperantiùs, deserere consueta virtutum exercitia, fugere solitudinem, quærere humana solatia, sectari alloquia, amare conuenticula; aucupari noua, frequentare profanorum conuentus, amare conuiuia, adire aulas incipiunt. Quantò enim magis dominatur caro, tantò minùs spiritus potest emergere; &, sicut qui vili olere repleuit famelicum ven-

eum ventrem, neque ficedulis, neque phaſianis aut ſaccharo poteſt delectari, cum locus, in ſæculo non ſuperſit comedendis melioribus; ita qui mundi ſiliquis ſe diſtendit, non eſt capax cœleſtis dulcedinis. Ad Deum ergo, atque ad ſe redeat, qui vult redire ad diuinas voluptates; aut ſe dignum efficere epulis Angelica manu aut miſſis, aut paratis: vt dicere poſſit: *Paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.* De filijs Iſraël dicitur: *Et comederunt de frugibus terræ.* Quid ſequitur? *Defecitq; manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſraël, ſed comederunt de frugibus præſentis anni Terræ Chanaan.* Sic contingit filijs Dei: manna habent, ſed manna ſubducitur, quando, cœleſtibus neglectis, ad terrena gaudia conuertuntur. Nec enim diuina delectatione dignus eſt, qui præponit humanam.

Pſal. 67. 11.

Ioſ. 5. 12.

CAPVT XIX.

Alia diuinæ, erga Dei ſeruos, dulcedinis exempla.

I. NEmo queratur de ſuis temporibus, neque præferat noſtro æuo ſæcula antiquiora, quaſi iam minùs dulcis ſit Deus, aut non ita beneficus; ſed benefaciendo fatigatus. Adhuc idem eſt Numen, quod fuit ſemper; adhuc, ſicut omni æuo, Mundum gubernat. Primùm terræ; hortorum, arborum, agrorum fructibus; deinde piſcibus aquarum; tum etiam, auibus, per aërem, aduolantibus, denique feris domeſticiſque animalibus alit homines; & quoſdam quidem otioſos, quibus quodammodo victum *tellus inarata* gignit; alios autem manuum labore ac *ſudore vultus* panem vult comparare. Alijs, per amicos, & beneficos, alijs, per piorum liberalitatem mittit eſcas. Non rarò, per Angelos eos, qui Angelicam vitam inſtituerunt, aut cibis, aut non viſibili alimento, alit.

II. In pueros notum eſt, quid Nicolao Heluetio, propè noſtris temporibus, factum ſit. Omnis illi cibus, omnis guſtus erat SS. Euchariſtia. Nihil eſculenti, per tot annos, ſumebat, nihil quod vel alere, ne dum delectare palatum poſſet. Pro nectare & ambroſia fuit.

Petr. Hugo in vita eius.

fuit illi Christus. Sed, quia vita illius à P. Petro Hugone nostro copiosè descripta, in manibus est, nolo hîc paginas implere. Satis est, monere, nihil delicatius, dulcius, exquisitiusúe à Deo homini dari potuisse, quàm filij sui, in Eucharistia, corpus, quod quò sæpius dignè, eò etiam suauiùs manducatur; neque nauseatur, nisi à stomacho vitioso, & mel tanquam fel respuente.

III. Fœminam cibis humanis pastam, sed diuinis prodigiosè recreatam, sic fide dignus author recensèt: *Noui quandam sanctimonialem ordinis nostri, quæ illam à Domino accepit gratiam, vt quando communicat, tantam ex ipso Sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet. Non saporem panis, sed mellis, vt dixi, in masticatione, sentit, tota illa die: maximè ante perceptionem cibi corporalis, saliuam habens mellifluam. Nec mirum; legitur enim de manna, quòd gustus eius fuerit quasi similæ, cum melle.* Pergit paulo post author: *Similem gratiam, & fortè maiorem, audiui collatam fuisse dominæ Alheydi primæ Abbatissæ monasterij ciuitatis VVestualiæ. Hæc quotiescunq; corpus Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neq; panis saporem intra fauces sensit, sed ipsum Sacramentum, quasi fauus mellis, sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit: Sic, vt mira suauitate omnia eius interiora replerentur. Quando defuncta est, dominus Florentius Abbas de Campo S. Mariæ, qui pater eius fuerat spiritualis atq; confessor, post sepulturam eius, omnibus, qui confluxerant, eandem gratiam prædicauit.* Subijcit his Apollonius: *Si de cadauere leonis egressa est dulcedo, non miror, si de corpore Christi, qui est leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur.* Et planè non sine caussa dicitur: *Fauus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Hanc enim dulcedinem in Sacramento, efficiebat ardor charitatis. Dulcis enim est amor, & omnia facit amanti dulcia; quemadmodum vana amanti amarissimum est Eucharistiæ manna degustare, debet enim alia relinquere, quæ illi, tanquam exsurdato palato, videntur dulciora. Monendi tamen mihi, hîc, sunt simplices, ne putent se sensibilem, in sumendo sacro hoc ferculo, experiri debere dulcedinem. Spiritualis cibus est, & spiritualis dulcedo, hoc est, charitas in eo, coniunctióque cum Deo quærenda est; quam vtique significat dulcedo illa, quæ ore percipitur à nonnullis, nec appetenda, si deest; nec, nisi cum magna humilitate, si adest, acceptanda. Solet enim Deus, etiam per corporum sensus subinde animas refocillare: quam ob caussam manna de cœlo misit Israëlitis,

Cæsarius Heisterb. l. 9. c. 39.

Ibid. c. 40.

Iudic. 14. Apoc. 5.

Cant. 4. 11.

Hoc

IV.

Hoc pacto, in D. Franciſci vita legimus, Angelum, vnius chordæ vel tractu, vel tactu, cor Franciſci ita tetigiſſe, vt omnis moleſtiæ, quam patiebatur, obliuiſceretur. Hoc pacto egit cum Clerico illo, qui ad Claram vallem venit, vt, relictis ſeculi curis, Deo ſoli famularetur. Is, quia corpus antea delicatè habere aſſueuerat, à communi fratrum pane piſiſque vehementer abhorrebat. Duo igitur metuebat æquè, famem ſcilicet, &, famis medicinam, refectionem. Nocte ergo quadam cura propemodum tabeſcenti, Mundi Reparator Chriſtus comparuit, manu tenens fruſtum eiuſcemodi panis, quo ceteri ſolebant veſci Religioſi. Hunc ei porrigens dixit: *Comede panem iſtum.* Ad quæ cum Nouitius reſponderet: *Domine, nequaquam veſci potui pane hordeaceo; Chriſtus vulneri lateris ſui panem eundem intinxit, & porrectum comedere iuſſit. De quo cum guſtaſſet, factus eſt ſicut mel dulcis in ore eius.* Itaq; ex illo tempore, & panem atrum, & fabas, & reliqua legumina, cibósque regulæ conformes, quos priùs digitis attingere, nauſea illi erat, magna delectatione comedit. Nempe nihil dulce non eſt, quod ſanguine Chriſti imbuitur. Dixerat olim Deus: *In ſudore vultus tui veſceris pane*; ſalſus ſudor amarum tunc fecit panem; nunc dulcis Chriſti ſanguis panem dulcem reddit, quem ab illo acceptum, læti edimus.

Idem Cæſarius lib. 4. c. 80.

Gen. 3. 19.

V.

Venit aliquando populus *in Mara, nec poterat bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ. Et murmurauit populus contra Moyſen dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Mara eſt Mundus, in quo quid non amarum? Venit Chriſtus, & oſtendit nobis ſuæ Crucis lignum, dicens: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Qui ergo Cruce illius ſcit vti, ſuaue iugum facit, & ſuaue illi eſt, quidquid eſt alijs amarum. Salſæ ſolent eſſe atque amaræ lachrymæ, ſed Cruce ſanguinéque Chriſti dulceſcunt. *Dulciores ſunt lachrymæ orantium*, inquit S. Auguſtinus, *quàm gaudia theatrorum.* Terrenis hominibus mentem leuare, graue eſt; leue crucis baculo nitentibus. *Orando enim*, ait S. Bernardus, *bibitur vinum lætificans, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium infundit oblinionem.* Amarus & ſalſus eſt panis ſudore vultus permiſtus; ſed Crucis lignum in panem miſſum (non quemadmodum à Iudeis toxicum, quo panis inficiebatur) ad Moyſis figuram, amaritiem pellit, nectar facit & ambroſiam. Cui enim

Exod. 15. 23.

S. Bernard. ſerm. 18. in Cant.

non fiat dulce pati, pro eo, qui vt pati posset, homo factus est? Qui autem vicissim pro eo pati optant, pati gaudent, & spe condiunt amaritudinem laboris. Immo & Deus illis laborem condit, compensatque, quod tolerant, æternæ voluptatis cogitatione.

VI. Recito in hanc rem eiusdem authoris historiam. Ordinis sui cœtum, ait, fuisse Virginum Deo sacrarum. In eo, quæ penú curabat, promi condi loco, oua frixa, toto conuentu diuiserat. Dum negotiosa est, dum satagit rerum, vnam obliuione præteriuit. Quid illa famelica? num impatiens facta, num ex odio se negligi suspicata est? num cellam execrationibus, sorores reliquas Diris impleuit, aut querelis? Nequaquam. Sed negligentia alterius, in suum meritum, vsa; sibimet, quòd neglecta esset, gratulata est, Deóque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico præmium virtutis. Nam summus ille paterfamilias, tanta os eius faucésque dulcedine compleuit, vt nunquam aliquid suauius, in omni vita sua, se meminerit, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo, sed menti insuper deliciæ fese tam infuderunt copiosæ, vt diceret, se omnibus eiuscemodi esculentis, vsque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodo adhuc semel, gaudium animi simile liceret persentiscere. O quàm verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere & abstinere, qui gaudere paupertate, qui inopiâ delectari, ei Deus & cocus est, & medicus, & opsonator. Adeò homines paupertate vti ad meritum, vel abuti ad impatientiam possunt; &, sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; vt aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari.

Cæsarius l. 8. c. 94.

Psal. 67. 11.

VII. Duo hîc commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello, non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans Lycum, *saltus* monstratur. Ægrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerent. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

VIII. Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam

cum

cum stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodyt in forum Oeconomus, nullaq; reperta, tristis domum redyt, cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert, &, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib. 3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Balderm. lib. 1. Epigr. 119.

Quam cœnã apposita, & parua & vnica contentus, nihil præterea gustauit, ille tamen lautè se opiparéq; eo vespere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit seruis suis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem scribit:

Nusquam alibi Nidum maluit esse sibi.
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, si mentem haberent atque intelligentia præditæ essent, & aues, & omnes creaturæ in escam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm sepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis seruirent, & quò ipsæ in se non sunt destinatæ, in Sanctis tamen, Sanctorúmque corporibus, per nutrimentum additæ, ad cœlum venirent; quod vtique præoptarent, quàm cum adipatis damnatorum ventribus, æternùm ignominiosissimè & miserrimè cremari; fit enim ciborum materia, materia damnatorum.

IX.

Ob hęc talia diuinis obsequijs addicti identidem exclamãt: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Est enim & *magna* dulcedo, cum in Mundo vix stilla sit dulcedinis, adeóque parua. Est *multitudo* dulcedinis & varietas; nam & anima eam sentit, & corpus, & omnes sensus corporis: cum Mundus, quando corpus delectat, animum stimulet & cruciet. Est dulcedo aurium, vt apud S. Franciscum; est dulcedo in gustu Eucharistiæ, in ouis, & fragis, in auibus, in pane, diuino sanguine tincto. Magna ergo multitudo dulcedinis diuinæ; parua & rara dulcedinis mundanæ, vel potiùs nulla; siquidem, quam parit, extinguit eodem instrumento. Sicut qui eodem oris flatu ignem excitat, & necat. Nam dum vino delectat, vino eodem

Psal. 30. 20.

cruciat, oculorum lippitudine, capitis dolore, podagra, & mille malis inductis.

X. Luc. 1.

Quid quòd, sine miraculo, ipsa fames est optimum cibi condimentum, quæ dulce facit, quidquid comedunt *esurientes*, quos Deus *replet bonis*? *Dulciores, post famem, epulæ fiunt*, ait S. Ambrosius, *quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna cõtinuatione vilescunt. Condimentum cibi ieiunium est. Quantò auidior appetentia, tantò esca iucundior. Commendat sitis poculum, nescit vinum quærere.* Et mox: *Vsu etiam pretiosa degenerant: quorum autem difficilis possessio est, eorum grata perfunctio. Ipse sol, post noctem, gratior: ipsa lux, post tenebras, splendidior: post vigilias, sopor dulcior: ipsa salus, post ægritudinis tentamenta, iucundior. Ab ipso mundi Conditore didicimus, sæpe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo & conuiuio fames, vt gratior fiat mensa ieunijs.* Hæc S. Pater. Narrat Thomas Cantipratanus, venisse se, in ignotum sibi pagum; & quia pedibus id iter confecerat, longitudine viæ adeò fuisse lassatum, vt, animo fugiente, moriendum sibi putaret. Fratres, qui eum comitabantur, quà proximè patebat ingressus, domum presbyteri subeunt; sed, aperta ianua, reperiunt clausum miserationi pectus. Neque enim vel nigerrimi panis frustum, pro homine inediâ deficiente, potuerunt obtinere. Inde ergo digressi longè latéque ostiatim circumeunt; nec quidquam accipiunt. In extremo pagi angulo casa herebat, ita pauperis fœminæ contubernium, vt ipsa stipe digna esset. Et tamen hæc, quæ minimum habebat, maximè omnium extitit liberalis. Fragmen fortè vnicum furfurei panis illi erat, hoc ipsum dabat, magnum donum, si dantis manum aspicias ac facultatem. Hoc ergo vix spiranti Thomæ obsonium attulerunt. Ille annonam cum socijs diuidendam ratus, omnes ad communem mensam vocauit. Et audi ipsum loquentem. *Resedimus, sub dumo*, ait, *panem comedimus. Et, licet palearum aristæ, quæ erant in pane, palatum comedentium stimularent, nunquam tamen in vita mea sum tam suaui deliciarum edulio delectatus.* Optimus coquus est appetitus, quo carent Apicij & manducones, qui nunquam bene cœnant, quia nunquam esuriunt. Est ergo & hæc vtilitas paupertatis, quòd egenis faciat meliùs sapere cibum quemcunque, quàm diuitibus epulas Iouiales: immo & diuitibus, si volunt esse abstinentes. Hinc Artaxerxi & Ptolomæo

S. Ambros. in tract. de Helia & ieiun. cap. 9.

Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 10. §. 9.

Plutarch. in Laconic. Cic. 5. Tusc.

hæc aqua & panis delitiæ fuerunt ; & à Lacedæmonijs coquus omnis iuris nigri perpetuo decreto proscriptus est.

XI. Accedit ad hoc libertas animi, & vita curis vacua, quæ est vel hinc pompæ aulicæ præferenda ; quia illa anxietate libera omnia reddit iucunda : hæc autem nunquam quiescit stimulis atque intemperijs exagitata. Appono hîc talia expertum & confitentem Augustinum. *Inhiabam*, inquit, *honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tantò magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu*, &c. *Et paulo infra: Quàm ergo miser eram! & quomodo egisti, vt sentirem miseriam meam die illo, quo, cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus: eásq; curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æstuaret. Transiens per quendá vicũ Mediolanensem, animadueriti pauperem mendicum, iam credo saturum iocantem atq; lætantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris (qualibus tunc laborabam, sub stimulis, cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans) nihil vellemus aliud, nisi ad securam lætitiam peruenire, quo nos mendicus ille iam præcessisset, nunquam illuc forte peruenturos.* S. Augustin. l. 6. Confess. cap. 6.

XII. Ex his exemplis perspicuum est, quàm verum sit illud adagium ; *Vallus vitem decepit.* Vt enim valli, quibus vites alligatæ fulciuntur nonnunquam radicibus actis ramis ac frondibus suis vitem strangulant, aut prostrati palmitem secum trahunt ; sic diuitiæ & rerum abundantia quibus opulenti nituntur, dum lætitias & voluptatem sperantur parituræ, plerumque curas gignunt, & mille sollicitudinum procellas. Vbi enim plures curæ, quàm apud opulentos ? vbi rarior quies, quàm apud opulentos ? vbi somnus interruptior, quàm apud opulentos ? vbi ciborum maius fastidium, quàm apud opulentos ? vbi frequentior nausea vini, quàm apud opulentos, qui, postquam se *ad summum guttur em*, vt Comicus ait, ingurgitarunt, omnia conuomunt ? vbi lites acerbiores, quàm apud opulentos ? Et hæc vita non sit amara ? cum tamen pauperes, nec tineam metuant, nec furem ; & totas noctes securi dormiant, postquam mucido, tanquam Deorum cibo, & limpida, tanquam nectare, se se suauissimè refecerunt. Videte igitur, quàm sit *dulcis & rectus Dominus: ijs*, qui sunt sine Psal. 24. 8.

solatio auri atq; argenti, *dulcia*: qui autem spem in auro incertam
Ierem. 2. 19. & solicitam habent, *rectus*. Dispicite ergo, quàm *amarum sit, relin-
quere Dominum Deum*, ac fodere sibi cisternas dissipatas. *Duo enim,*
Ierem 2. 13. ait, *mala fecit populus meus: Me derelinquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

CAPVT XX.

Non solùm Religiosos & peculiares Dei seruos, sed & seculares prodigiosè curatos & pastos.

I. NE quis autem existimet, Prophetis tantùm, atque Apostolis, virisque Eremitis, & Religiosis hanc à Deo curam impendi, suppetunt & rationes, & præter ea, quæ de Lydwina diximus, aliisque alia exempla, quæ demonstrant, hanc paternam filiorum alendorum prouidentiam, in alios quoque fuisse
Supra. c. 18. corriuatam. *In præmissis veritatis nemo dubitet*, inquit D. Hieronymus. *Sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Quidquid est in hoc terrarum orbe, hominis caussâ, conditum est. Nihil igitur se hominis vtilitati subducet, nisi ille se Dei obsequio subdùcat. Igitur si homo ad eam, quam Deo debet, seruitutem redeat, iure quodam suo, etiam cætera, tanquam sua, sibique debita recuperabit, siue religiosus is sit, siue communi hominum lege, extra omnem religiosum ordinem, viuat. Siquidem generali prouidentia Deus omnibus consulit; peculiari verò filijs suis. Quo quis enim magis filij nomine dignus est, eò magis eum curare vniuersi parens debet.

II. Quòd si Deus etiam lilijs, & passeribus, & capillis capitis
Matth. 5. 45. intendit, prouidentiámque præstat; quòd si solem suum oriri facit etiam super iniustos; quantò magis iustis omnia necessaria prouidebit? Illud quidem fatendum est, sanctiorem quemque, ab omni cura temporali impensiùs mentem auellere, vt eam totam possit impendere Deo. Quare sicut ille solum Deum curat, ita obligat vicissim Deum, vt illum ita curet, quasi solum curet. Non negligit tanta bonitas eos, qui se totos in illam proiecerunt. Itaque magis tales curantur, quàm si se ipsos curarent; & maiorem eo-

rem eorum rationem habet Mundi Gubernator, quàm illorum, qui curas animúmque suum quodammodò diuiserunt, aut toti negotijs immersi seculo seruiunt. Quanquam bonus Deus magis hos etiam ipsos curat, quàm ipsi Deum.

III. Nec enim desunt exempla. Quàm insperatò succurrit vsque ad desperationem obsessæ ciuitati? *Factáq; est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinq; argenteis.* 2.Reg.6.25. Si fames hæc non satis magna, considera à matre filium coctum; considera verba ducis, Elisæo magnam rerum omnium abundantiam in sequentem diem promittente, dicentis: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit esse, quod loqueris?* 4.Reg.7.2. Et tamen totis repentè Syriorum castris exterritis, fugientéque & rege & exercitu, quanta omnium cibariorum copia in prædam relicta est? Vnus dies totam sustulit calamitatem; nec citiùs sol noctem pepulit, quàm abundantia penuriam; & inopia rerum omnium, in omnium rerum copiam est cõmutata.

IV. Neque toti tantùm ciuitati prouisum est, sed etiam exiguę mulieri, ad quam Elisæus dixit: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicunq; repereris: vocauit enim Dominus famẽ, & veniet super terram septem annis. Quæ surrexit, & fecit iuxta præceptum hominis Dei; & vadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philisthym diebus multis.* 4.Reg.8.1. Curauit vtique hæc mulier familiam, sed vna etiam à cœlo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, vbi aleretur. Quod quidem apertis verbis Propheta huic mulierculæ antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestionem, indicat, vt locum mutent, & migrent aliò, vbi eos vult sustentare; qui si ibi manerent, vnde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent perituri.

V. Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quæritarent, cum retia in vndas iactarent & piscarentur, nonne à Domino adiuti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas naticulas,* Luc.5.5.

ita vt

ita vt penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Post resurrectionem quoque, stans in littore, Apostolis, qui iterum tota nocte ceperunt nihil, dixit: Ioan. 21. 6. *Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere, præ multitudine piscium.* Laborantibus igitur, & pro victu solicitis succurrit, & quasi manum porrexit. Quin postquam *descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem*; & dixit eis IESVS: *Venite, prandite.* En cocum factum! en factum piscatorē, in gratiam piscatorum! Aut enim piscem, prunis postea superpositum, manu sua è mari extraxit, aut creauit, & piscem vtique magnum, qui tot famelicis piscatoribus sufficeret saturandis.

VI. Possent hîc innumera alia exempla afferri. Vnum non prętermittam valde recens, quod in historia vitæ ac virtutum Venerabilis Fr. Francisci à Puero IESV Carmelitæ Discalceati R.P.F. Ioseph à Iesu Maria item Carmelita Discalceatus refert, Franciscum scilicet à Puero IESV, inter multa pietatis exercitia, in die Natali eius, Equitatui & militiæ IESV (ita pauperes vocabat) commune instruere solitum epulum, quo non solùm Complutenses, verùm etiam totius prouinciæ pauperes, modò factæ in eam diem confessionis schedulam testem ostenderent, excipiebat. Aliquot antè diebus religiosissimo candore Paruulum suum conueniebat, eique narrabat, se pauperibus festiuam mensam, in illius honorem, promisisse: illius partes esse vigilare, vt creditoribus sumtum suppeditantibus satisfiat. Eiusmodi oratione facta, omnem deinceps cogitatum suum in Dominum iactabat. Minimùm veruecibus triginta, bobus duobus, frumenti sextarijs quindecim aut viginti illi opus erat, cum capreolis, larido, rapis, carbonibus. Quæ omnia Puer IESVS ad eum direxit, etiam per ignotos, & pauperes. Ipsi pastores ruris illi de grege suo afferebant, quidquid liberet, & quocunque tandem precio, quandocunque soluendo. Denique ad miraculum omnia suppetebant, licet numerus conuiuarum, ad mille ducentos excresceret; quos omnes ad laudandum puerulum IESVM exhortabatur. Præter cibos autem etiam singulis Regalem vnum in chartula complicatum offerebat. Quodam anno, in summa annonæ caritate, nocte quadam

Ioseph. à Iesu Maria de vita Franciſci a Puer. Iesu. c. 5. 6. lib. 1.

Natiui-

Natiuitati Christi proxima, in ipso sacello nosocomij, sic paruulum suum est allocutus: *Domine, nostrum festum, & dies cibandæ militiæ tuæ ecce est in foribus, Franciscus autem ne vel vnum obolum habet: & nemo ei quidpiam adhuc obtulit, aut promisit, sicuti aliàs factũ est, nescio igitur, quid mihi, hoc anno, affuturum sperem ab ipsomet Domino meo; maximè cum ipse mei prorsus oblitus videatur.* Sic oranti repentè affusus est maior fiduciæ spiritus; quem tamen Orcinus spiritus, obiecta hominum penuria, dictitánsque, voluntatem hoc anno, pro opere fore, extinguere est conatus. Sed fortiter eum repellenti, mox ad fores adfuit ignoti vultus homo, qui aureos illi in manus dedit refulgentes, vnà iubens hoc epulum, hoc anno, nequaquam omittere. Cum dicto se è conspectu subduxit. Secuti dein alij atque alij, qui omnia necessaria affatim suggerebant. Solus bos deerat, & instabat iam dies. Ergo frater, qui eum adiuuabat, identidem instans dicere non cessauit: *Itaq; hoc epulum,* Francisce, *bouem non videbit?* Respondit semper Franciscus: *Bouem habebimus. Scit Puer IESVS, eo nobis opus esse. Ne dubites, missurus est bouem.* Quin eo ipso die, quo singulorum portio præparabatur, adfuit frater, qui diceret: *Hoc anno bouem pauperes non comedent. Immo, ne desspera,* ait Franciscus. Cum alter non cessaret vrgere, diffidentiam eius reprehendens, à se repulit, & mox adfuit, qui vltro bouem, non alio precio, quàm, vt pro se oraret, obtulit.

VII.

Vice altera, ait ibidem author, *Madrito reuertens, ad Complutenses suos, paucis ante natalem Dominicum diebus, pro instruenda ordinaria mensa pauperum, ad Turregum, quod Compluto tribus dimidiatis milliaribus distat: animaduertit illic arantem rusticum in gemino boue; quorum alter, quia obesius valde atq; abunde bonus ipsi videbatur, optimum putauit, si ex eo conuiuium istius anni instrueret. Conuenit ergo ea de re agricolam; agit de pretio, bouem emit; &, numeratà pro eo pecuniâ, non alia obligatione adstringens eum rusticum, quàm quòd quatuor diebus ante festum Dominicæ Natiuitatis veniret Complutum, atq; emptam illam, ac iam persolutam bestiam adduceret, latabundus abit. Atq; ita, nulla alia conditione superaddita, omnis timoris expers, nihil vel de ipso subulci nomine sollicitus, iter suum prosequitur. Stabat interim secum cachinnans paganus (sicuti postea narrauit) & de homine tam sinceræ ac simplicis farinæ, qui sine alia præcautione, emptum bouem ac pretium eius, in nunquam visi, nunquam auditi hominis*

manibus reliquisset, sibi ipsi risum faciebat, nihil minùs quàm de tradendo pecore cogitans. Instabant Natalitia, & qui à conuiuio erat, Franciscum nostrum, vt de boue emendo ageret, commonebat: ipse autem iam emptum eum esse dicebat. Ventum erat vt iam singulis præscinderentur portiones suæ, & vestigium bouis necdum apparebat, & Franciscus venturum eum asseuerabat. Pridie igitur, natiuitatis præsentibus in hospitali fratre nostro, & altero Francisco de Cueuas familiari suo, cum pluribus alijs, bos ingens & omni ex parte bonus ad mensam, tanquam in propriam penetrat sine ductore domum. Vidit, & subitò, ipsissimus ille est, inquit, noster Franciscus, emi illum, & pretium solui, ligate, mactate, diuidite. Venit autem & infidelis ille rusticus, multo post tempore, anhelus totus, & multa super profugo suo boue queritans. Ad primum autem F. Francisci colloquium compunctus vsq; ad cor, abiecit se coràm in genua, sinistræ suæ intentionis accusator factus; & vt delictum sibi remitteretur, supplex precator institit; confessúsq; est ijs, qui tum aderant, quomodo, cum primo diluculo istius diei egressus est ad opus suum, bos iste, qui alioquin mansuetissimus erat, Complutum versus sese arripuisset. Quem toto nisu insequutus nullatenus assequi potuisset, ad quem Fr. Franciscus conuertens sese pacificè, & super caput humiliantis se, & reatum suum publicantis manum imponens. Quid amice, hoccine igitur tibi in animo erat? festina igitur ad templum, & ostende te puerulo IESV, vt istam tuam iniquitatem propitius tibi, vt petis, remittat, iuit autem & ipse pro gratia illa, & pro tam insigni prouidentiæ suæ symbolo gratiam Deo relaturus. Unde factum est, vt quotquot ibi reperti sunt, noua admiratione ac stupore corriperentur.

VIII. Addam hîc domesticum ac simile de boue, longéque luculentius exemplum. P. Andreas Ouyedus, qui anno 1579. sanctissimè vitam finijt in Salembri, à Iulio III. Pontifice in Patriarcham suffectus, ab vniuersa gente Goana verè sanctus & vir Apostolicus habitus, præter ardentissimum zelum animarum, erga pauperes præcipua fuit charitate. Aliquando ita omnia in illos profuderat, vt nihil omnium, quod daret, supereſſet, præter vnicum adeò bouem, qui ei erat, ad sacra ornamenta deportanda, perneceſſarius, si quando ex vno loco ad alium erat proficiscendum. Quia tamen viscera eius pati non poterant, vt miseros egentes oculis aspiceret, eum ipsum clitellarium bouem mactari iussit, atque in pauperum escam distribui. Adfuit tum illi, qui hęc ipsa postea de eo est testatus, monuítque: ne iumentum adeò neceſſa-

cessarium occidi sineret. Huic Ouxedus respondit: *Sine, fili, eum, cædi atq; distribui: quippe cras manè Deus alium bouem prouidebit.* Vaticinio euentus respondit. Intellexit enim nobilis quidem Patris charitatem pariter ac necessitatem, tantóque benignissimæ liberalitatis in pauperrimo Patriarcha exemplo permotus, ad eum quadraginta boues, pecudésque alias octoginta, præter alium commeatum, misit; quibus inopinatò auctus, in plures potuit alendos esse liberalis.

IX.

Sic Deus submisit, nõ tantùm homini Religioso, sed etiã omnis generis hominibus extra Religionem degentibus, per Religiosum, festiuas epulas. Et quod mirum est, qui ad eum confluebant, nõ ad dandam, sed ad accipiendam eleemosynam confluere videbantur; cum tamen non accipiendi, sed dandi animo venirent, qui non ipsi erant indigentes. Illud etiam illustre est. Compluti erat quidam pius ac copiosus mercator, Matthæus Pontanus, apud quem acceptas eleemosynas Franciscus deponere solebat, vt reciperet, si proximi id indigentia postularet. Quodam difficili ano, & penuria rerum ingenti pressis hominibus nosocomióq; infirmis redundante, tantum à thesaurario suo argenti acceperat, vt nõ solùm fiscum proprium exhauriret, verùm etiam mutuum à mercatore peteret, fide Pueri IESV, in cautionem accepti, datâ. Omnia mercator in rationes inferebat diligentissimè. Tandem reperit se Franciscus millenorum ducatorum debitorem; nec territus, in dies debita augebat, mercatórque petenti diu dabat; donec, mala cogitatione animum subeunte, vnde soluendo esset, cæpit dubitare. Redeunti ergo atque iterum petenti Francisco dixit: Vnde tot nomina expunges, Frater? quis tibi tantam pecuniæ summam promisit? Nemo, inquit, Franciscus, sed habeo bonum fideiussorem Puerum IESVM; qui me non deseret. Hoc responsum vbi ad amicos retulit mercator, derisui habitus est, vt qui se verbis sineret lactari, propriámque familiam ac liberos in extremam conijceret necessitatem, eique argentum suum concrederet, cui, præter peram, fundus nullus erat. His talibus sarcasmis exacerbatus Matthæus, redeunti, pro mutuo, Francisco, negauit se deinceps quidquam daturum; datis vtique iam abunde depauperatum despoliatúmque. Abijt vacua manu Franciscus, & Puero IESV necessitatem suam exposuit, à quo missus est, aliũ patronum quærere. Quæsiuit, & inuenit alium mercatorem

In l. 2. c. 4. vitæ Franciſci à Puero IESV.

Rodricum Nunnez, à quo æquè ac à priore omnia liberaliter accepit. Interim ex quo à Matthæo repulsus est Franciscus, cum Francisco etiam omnis fortuna abijt. Nihil in taberna ampliùs vendebatur; nec, quæ debita fuerunt, extorqueri poterant, silebat negotiatio, cessabant lucra, nulla in domo prosperitas, nulla in domesticis sanitas. Ipse Matthæus inquietus & conturbatus, quasi mente videbatur excidisse. Vsque adeò damnosum est, lucro nimis inhiare; & parcum esse erga Deum, est opes profligare. Quod cum agnosceret Matthæus, Franciscum iam vltro conuenit, dixitque, vt, solito more, pro mutuo ad se rediret, se & sua omnia deinceps fore in illius, & Pueri IESV potestate. Quod vbi factum, & lucrari mercator iterum cæpit, & pauperum procurator, acceptis largissimis eleemosynis, intra mensem, debitum omne dissoluit, adeò, vt etiam centum coronatorum summa superesset. Videant hîc mercatores, discant magnates, vnde possint opulescere; neque cum nostris Politicis existiment, se rem aucturos, dum minuunt sumptus in pauperes & Ecclesiam faciendos. Discant hinc ipsi pauperes, Dei curam etiam ad eos alendos extendi, qui extra religionem religiosè viuunt. Quisquis Deo viuit, Deo fidat; cuius verbum est: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.*

Isa. 1. 19.

X. Ne longum faciam, complura alia omitto, quæ Francisco huic, in hoc genere, acciderunt; illud tribus verbis perstringam potiùs, quàm dicam, eum, si spem suam in Principibus posuisset, nec totum se in Dei manum tradidisset, nihil impetrasse, opis. Quare cum Sabaudus cum Catharina Austriæ infantissa matrimonium initurus Madritum venisset, & eodem venienti Francisco multa promisisset; Madrito discessit, Franciscí oblitus; qui iam Complutum redierat, pecuniæ accipiendæ cura alij demandata. Quare mœstus Franciscus, ad Puerulum suum IESVM confugit, atque in sinum eius querelas deposuit, didicítque, ideò nihil se accepisse, quia carnem brachium suum posuisset. Quàm primùm ergò posthac constituit, in solo Deo fiduciam omnem collocare, adfuit à Sabaudo cursor, qui liberali sanè eleemosyna in pauperes assignata eum subleuauit. O mortales, quid speratis in Principibus! in Deo sperate, & *bona terræ comedetis. In promissis veritatis*, ait D. Hieronymus, *nemo dubitet. Sit homo qui esse debet, & mox addentur ei omnia.* Non est autem homo, qui esse debet, si in

S. Hieron. in c. 6. Matth.

Deo

Deo non sperat. Immo impietas est, post tot exempla luculentissima, post tot clarissima Scripturæ Sacræ, sanctorúmque Patrum testimonia, de diuina prouidentia dubitare. De qua qui dubitat, dubitat, an Deus sit memor suarum promissionum; dubitat, an sit liberalis; dubitat, an sit Deus; si enim Deus est, fidelis est, diues est, liberalis est; amans est suorum filiorum. Meritò igitur eiuscemodi Dubitantium his verbis compellat D. Augustinus: *Tu Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo aliquid existimas defuturum? An putas, qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur? An putas terrena deerunt, quibus cœlestia & diuina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus?* Sed fortasse non sunt tales in Ecclesia Dei? Diffidunt curæ & prouidentiæ Dei, quicunque furtis, rapinis, fraudibus, aliisque malis artibus diuites volunt fieri. Si enim à Deo necessaria sperarent, non raperent aliunde. Sperarent autem, si non ipsis bestijs se se iudicarent indigniores. Siquidem de brutis animalibus sciunt verè dici ad Dominum: *Dante te illis, colligent: aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* His se æquiparare non audent, quia non tantùm comparati sunt animales isti equo & mulo, & iumentis insipientibus, sed etiam, infra bestiarum vilitatem, se se abiecerunt. Si in Deo spem collocarent, non solùm ad eos alendos pij homines, sed etiam corui, cerui, lupi, leones, aliáque bruta animalia, & ipsa elementa excitarentur.

S. Augustin. lib. de Eleemosyna.

Ps. 103.

Et fuerunt excitati. Recensebo in hanc rem exemplum, quo vix quidquam in diuinæ prouidentiæ testimonia luculentius potest afferri. Habeo illud ex Annalibus Francorum Pithæi, nec Baronium id suis Annalibus inserere piguit. Anno reparatæ salutis 850. sæuissima fames Germaniam inuasit; sed præcipuè eos infestauit, qui Rhenum accoluerant. Ibi vnus frumenti Moguntiaci modius decem siclis argenti vendebatur. Sed memorabilis fuit charitas Archiepiscopi Rhabani. Is in quadam parochię suæ villa, Wincella dicta, commorabatur, &, præter domesticos ac familiares suos, quotidie plus quàm trecentos alimentis sustentabat. Itaque ingenti contentione illuc pauperes vndique confluxerunt. Inter hos visa est & mulier inedia consumta, quæ filium paruulum gestans, refici cibo cupiebat, sed exhaustis viribus, in ipso limine exanimis concidit. Puerulus igitur adrepens ma-

XI.

Pithæus in Annalib. Franc. Baron tom. 10. Anno 850. n. 15.

millam matris mortuæ, quasi adhuc viuentis, de sinu protrahens ac sugere tentans omnes gemere & flere coëgit, qui miserabile illud spectaculum intuebantur. Nimirum minus beneficium alij existimarent esse in alimentis positum, nisi alij fame interirent: & luculentiùs succurrit Numen, dum, alijs inedia morientibus, alios ab ipso penè capulo reducit ad vitam. Itaque, eo ipso tempore, alius quispiam de Grabfelden famem fugiens, vxore & tenero adhuc filio comitante, in Thuringiam proficiscebatur. Quàm verè locutus est, qui famem *malesuadam* appellauit? Nam audi, quid huic suaserit. Si mensam Thyesteam cogites, minùs cogitas. Alienis ibi manibus mactatus est puer, & ab ignaro parente absumtus. Hîc, pater suismet manibus & dentibus gnatum lacerare constituit. Ventum erat ad siluam densis arboribus horridam & vel ab ipsis vmbris formidolosam. Procul ab hominibus, nec feram conspiciebant. Quid non suadet solitudo? quid non cogit fames? Fractus ieiunio parens inedia tabescentem vxorem intuens, puerúmque aut mortuo similem, aut iam morituro, sic coniugem affatur: Quid viuimus, mea charissima, immo quid morimur tam diu? an non satius est, hanc citò finire calamitatem? Et finienda est profecto omnibus tandem, si non vnius morte duorum vitam redimimus. Paulo post animam iam fugientem exhalabit nobis hic puer, & nos cum illo, ni qualicunque cibo vires restauramus. Nuncquid igitur satius est, pueri mortem accelerare, vt eius carnibus viuamus? vitam illi dedimus, sic vicissibunt, sic vitam dabit & ille nobis: immo sic longo eum pariter, & nos cruciatu liberabimus. Ad hæc verba, vehementissimè viscera materna cohorruerunt: neq; voluit pia parens in ijs eundem filium bis gestare. Obtestata est igitur, quantis maximis precibus potuit, maritum, ne tantum scelus in Deum, in proprium sanguinem, in innocentem puerum admitteret: potiùs omnibus occumbendum vnà, quàm tale facinus audendum. Vim peroranti prolis lachrymæ ac eiulatus addiderunt. Caucasum commouisset pallida mater, pro teneri filij vita, apud patrem, apud coniugem supplex. Sed fames Patris in rabiem cessit. inijcit coniugi, inijcit proli manus, &, de maternis brachijs, filium, per vim, rapit, nec quidquam clamantem, vxoréque frustra reclamante, & superos obtestante. Efferatur, in summis malis, non extinguitur penitus hominis natura. Quamobrem & iste fame væsaniens, ne vno ictu

& ma-

& matrem occideret, & prolem, filium à parentis conſpectu longiùs aſportauit, vt, extra oculos illius, eum deartuaret. Quin, educto iam gladio, manu ipſa ad tantum facinus, trepidante, aliquandiu in ancipiti hæſit, deliberauítque, conſultiúsne eſſet, ferire, an perire? fuítque crudele certamen, inter amorem patrium, & furorem cõmedendi. In tali mentis lucta, ſiniſtra gnatum trahens, ferrum nudatum dextera tenens dum progreditur, adeſt repentè de cœlo auxilium, & ecce, quaſi pro Iphigeniæ mactatu cerua ſubſtitueretur, ita inopinatò conſpicit duos lupos eminus ceruæ inſtantes, eámque recens occiſam lacerantes. Quis eo tunc lætior? illico manu mittit filium, eúmque vitæ, libertati, matri, immo & ſibi donat; ſublatóque clamore, ſtrictum enſem intentans, quantum, per vires, licuit, accurrit, lupos fugat, & ferina cruda ſtomochum placat. Mox partes alias atq; alias ſecat, eásque, vt erant, cruore manantes ad coniugem, affert, iam naticidium pridem eſſe peractum exiſtimantem. Cum autem etiam videret maritum venientem, carnésque recentes ſanguine perfuſas manibus ferentem, quid aliud arbitrari potuit, quàm filij occiſi eas eſſe? Ergo, animo fugiente, ſenſibúsque deſtituta retrorſum collapſa eſt, non ſecus ac fulmine deiecta. Aduolat maritus, conſolatur vxorem, quæ non, niſi filio adducto conſpectóque, credere voluit, filium viuere. Filium vbi vidit, tum demum illi remigrauit ex integro ſpiritus; tum in pedes erecta, tum in has voces effuſa eſt. *Exultauit cor meum in Domino: infirmi accincti ſunt robore: & famelici ſaturati ſunt. Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* 1. Reg. 2. 1. Egit & maritus Deo gratias, & quòd tam immani facinore ſe non paſſus eſſet cõtaminari, & quòd filium ſibi conſeruaſſet: dixítque ex animo: *Oculi omnium in te ſperent, Domine,* pſ. 144. 15. quia *tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Lauda Dominum mecum & tu, vxor, & tu, fili, *per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.* Iob. 36. 31. Poſt eiuſcemodi laudes, menſæ accubuerunt, teſtatíque ſunt poſtea, nunquam ſe ſuauiùs epulatos eſſe, quàm cum incoctis carnibus, in ſilua, veſcerentur. Sic Deus ipſos lupos voluit eſſe famelicorum hominum laniones.

Nec mirum eſt à lupis homini prædam relictam, ſi à lupa Romulum ac Remum lactatos eſſe Romani crediderunt.

CAP. XXI.

CAPVT XXI.

Mirabile iudicium Dei, per simplicissimos, sæpe efficientis, quod per sapientes sperari non potuisset.

I. NOn subuenit igitur tantùm ijs diuina misericordia, quibus alij non subueniunt; aut qui aliunde deserti sunt, sed sæpe etiam subuenit, per lupos, per ceruos; aut si per homines, certè per illos, de quibus minimè sperauisses; sicut in contrarium sæpe nocent, quos credidisses tibi profuturos, vt *pro perca*, quod dicitur, *scorpium capias*, & ex ipsa *vipera medicinam*, hoc est, *ex inimicis salutem*. Ars maior est, remedijs minoribus succurrere: maxima autem, si non tantùm contraria contrarijs curentur, sed etiam ipsi artis præcepto contraria adhibeantur. Sic Seruator *expuens in terram fecit lutum ex sputo*, ad oculos cæci illuminandos, cum alioqui luto oculi excæcentur; nihil enim illis magis est cõtrarium. Sic cum nihil sit, quod aquas magis reddat amaras atq; impotabiles, quàm sal (vt ex marinis aquis est manifestum, quas nemo potest bibere) tamen Elisæus eas, immisso in amaras aquas sale, dulces potabilésque effecit. Si artem sequi humanam, aut pharmacopolas voluisset imitari, saccharum inspersisset, mel infudisset, mulsum, non salem, indidisset. Habet ergo præcipuam admirationem diuinæ prouidentiæ illud cœleste iudicium, quo *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*; & vtitur ijs, qui sunt contemtibiles, in hominum oculis, vt eos confundat, qui sibi videntur esse sapientes. Nam quemadmodum, apud Strabonem, *Crotoniatarum postremus, reliquorũ primus est*, ita sæpe, apud Deum, *primi* fiunt *nouissimi, & nouissimi primi*.

Luc. 1. 71.
Ioan. 9. 6.
4. Reg. 2. 20.
Rom. 4. 17.
Strab. lib. 6.
Matt. 19 30.

II. In quam rem *VVido Abbas Cistercienſis, postea Cardinalis, cum missus esset Colonias, ad electionem confirmandam, quæ facta fuerat contra Philippum in Othonem, retulit ibidem, quandam sanctæ simplicitatis historiam satis iucundam, satisq; mirabilem.* Dicebat enim, Cistercienſis ordinis domum quampiam, in ditione sitam Nobilis, sed Deum ac diuina non curantis viri. Is, cui ius & vis idem erat, cœnobium multis miseris vexabat modis; per præfectos ac ministros reliquos, de annona, de vino, de pecoribus Monasterij,

Cæsarius lib. 6. cap. 2.

sterij, quantum libuit, abstulit, atque vsurpauit; idq; toties, quoties væsana in eum incessit libido rapiendi. Religiosis reliquit, quantum ipsi videbatur, non quantum ad eos pertinebat. Quem ad modum haud rarò hodiéque fieri videmus, ab ijs, qui, vt ipsi pereant, perdere Religiosorum reditus, omni, qua possunt, ope, nituntur. Diu iam ea durauerat tyrannis; & pœnè lex erat, nullum ius esse Monachorum, eorúmque iura, sine iniuria posse violari. Quid facerent, contra vim tantam, pauperculi? Crabronem irritassent, aut ignem gladio fodissent, nisi querelas intra septa monasterij continuissent. Itaq; gemitum silentio prementes, velut inclusam flammam, conabantur suffocare. Sed ea tandem, tanquam ruptis repagulis, se se effudit potentiùs, quando idem Nobilis, more hostis, in armenta ipsa monasterij palam inuasit, partémque haud exiguam, prædæ instar, in suam arcem, nouus Cacus abduxit. Conuocat Abbas fratres, in concilio exisiunt querelæ, mox turbæ, itur in diuersas sententias. Mittendum vnum, è toto cœtu, censuerunt. Sed non erat, qui mitti vellet. Abbatis præcipuam fore authoritatem arbitrabantur. At ille prouinciam detrectauit, dictitans, nihil se, apud Caucasæum pectus, profecturum. Destinatur Prior, sed & ille noluit actum agere. Designatur is, qui *cellæ præfectus* vocatur; excusauit. Ad vltimum, Nemóne hîc est, ait Cœnobiarcha, qui nobis ire aut velit, aut adire hunc Verrem audeat? Cunctis altûm silentibus, indignante ironia, vnus: Ille, inquit, eat, & digito simul hominem senio ingenióque simplicissimum, ac inde ineptissimum ostendebat. O quanta est vis simplicitatis! Nescit tergiuersari, dum nescit suspicari. Hinc, qui simplicior, idem est obedientior.

III. Igitur, ceteris omnibus iter detrectantibus, iste solus negotium suscepit. In ipso abitu, ex Abbate quærit: Quid sibi, si non totum, sed pars duntaxat eorum, quæ ablata erant, restituatur, faciendum? Respondet Abbas: *Quidquid reddiderit, accipe, in Nomine Domini.* Præstat aliquid recipere, quàm amittere totum. Sic instructus it monachus. Ad arcem vbi peruenit, immo & ad conspectum honorati prædonis, cœpit Præsulis sui Fratrúmque ei inprimis orationes offerre; tum etiam mandata, quæ acceperat, exponere. Audit ouem vulpes, &, quia *deridetur iusti simplicitas*, quæ est *lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum*, ideò & tunc superba astutia, querelas Reli- Iob. 12. 4.

gioſi parui pendens, & cum ſarcaſmo eleuans, video te fameli-
cum, inquit, Pater, igitur priùs prande, & tum reſponſum accipe.
Iob.5.13. Profuit & hic, ſimplicem fuiſſe, vt iniquus depeculator *in aſtutia*
1.Cor.3.19. *ſua comprehenderetur.* Condixit. Manſit. Hora prandij iubetur
accumbere; apponuntur conſueta carnium fercula; nulla ho-
ſpitis carne alioqui abſtinentis habita ratione, immo in muſcipulã,
qua non conuiua, ſed conuiuator caperetur. Haud immemor
erat Monachus aut regulæ, aut conſuetudinis ſuæ; ſed obedien-
tia ſimpliciſſimo homini, & præceptum Abbatis præcipuè ante
oculos verſabatur. Itaque cum carnes appoſitas, de monaſterij
ſui pecoribus eſſe, haud ambigeret, intrepidè eas, non tantùm ad
ſatietatem, ſed etiam, ſupra naturæ appetentiam, contruncare
inſtitit, ídque, non vt ſe, ſed vt Superioris mandatum impleret.
Sedebat, cum vxore ſua, Nobilis, in diuerſa menſæ parte, identi-
dem tuburcinantem & obſeruans, & admirans, temeréque ſecum
cogitans, ita Religioſos, cum foras prodeunt, libertate in pecca-
tum abuti, è clauſtri ſui cauea emiſſos. Abſoluto prandio, re-
motísque menſis, Monachum ab arbitris ſeductum eiuſcemodi
ſermone aggreſſus eſt. Dic mihi, bone vir, *Solémne Conuentus veſter*
manducare carnem? Nequaquam, ait Monachus. Addit Nobilis:
Quid, cum exeunt? Neq; domi, neq; foris carnibus veſcuntur, in-
quit Monachus. Ratus Nobilis, ſe eum in naſſam compulſum te-
nere: Curigitur, tu, hodie, inquit, Milo mihi factus bouem pro-
pemodum ſolus integrum, in menſa mea deuorauiſti? Dixit hæc
vocaliùs, vt ceteri quoq; audire ac ridere poſſent. Verùm alia
conſilia Dei fuêre. Voluit enim *tyrannum* (ſic author vocat bo-
norum Eccleſiaſticorum inuaſores) innocentiſſimi viri, ſimplici-
tate erudire; non titillare ad cachinnos.

IV. Audi, quid ſimplicitas verſutiæ reſponderit. *Cum Abbas*
meus, inquiebat, *huc me mitteret, præcepit mihi, vt quidquid ex pecо-*
ribus rehabere poſſem, accipere non recuſarem, & quia mihi conſtabat,
carnes appoſitas fuiſſe monaſterij mei; item quia timui, nil amplius mihi
fore reſtituendum, niſi quantum dentibus capere poſſem; comedi, pro-
pter obedientiam, ne omnino vacuus redirem. Superauit tam ſincera
ſimplicitas omnes eloquentiæ profanæ artes & colores. Nam
Iob.8.20. quia *Deus non proijciet ſimplicem, nec porriget manum malignis*, ea vis,
fuit reſponſi, vt adamantinum Nobilis pectus penetrârit. Illico
enim dicti candore, immo S. Spiritu per os Monachi loquente
commo-

commotus, præstolari tantisper eum iussit, donec rem ad vxorem referret; sine cuius vtique nutu ac tribunali nihil audebat facere. Vxori igitur, recensitâ senis responsione, dixit: Tantæ virum innocentiæ ac simplicitatis repulsam pati, indignum est, & periculosum. Quippe præsentem Dei vindictam metuo, si hunc offendo. Idem censuit & vxor, viro, ad miserandum, procliuior. Ergo ad senem reuersus hac oratione vsus est. Venerande senex, optime Dei serue, vicisti, non Tullium eloquentem, sed Paulum simplicem imitatus. Si vi egisses, si disertis verbis, si compositis ad persuadendum figuris, si tropis me aggressus esses, lapis fuissem. Vsus obedientia, vsus sinceritate me totum emollijsti. Vidi enim te hominem esse misericordia dignum. Itaque Monasterio tuo & abacta pecora, quæ supersunt, restituam, & quidquid vnquam damni intuli, quâ licuerit, in integrum sarciam; neq; posthac quidquam turbæ in vos mouebo. Ex eâ igitur horâ, non solum bona sua, sed etiam constantem cœnobitæ pacem ac quietem habuêre.

V.

Duo mihi hinc sumo documenta. Primum, sicut paterfamilias eadem claui aperit clausa, & aperta claudit, ita eodem opere laxare aliquando Deum secularibus frænum, in Religiosorũ prouentus aliáque bona grassantibus; vt, dum inuasores rapiendo currunt in Infernum, Religiosi tolerando cœlum promereantur, & in Domino ponere spem suam assuescant, solentúrque se illo cantu: *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem.* Succurrit tandem cœlestis Pater, per illos ipsos etiam, qui presserunt, dummodo non Megarensium, sed veris lachrymis calamitas ploretur, nec pro Parni scaphula, quod dicitur, bellum instituatur. Alterum documentum est, magnam esse cœli potentiam, quæ per simplices æquè nouit iuuare, ac per prudentes. Allegoria vetus est, *Ne puero gladium commiseris*, quo docetur, imperitis ac fatuis non mandandam esse rerum magnarum potestatem. Hæc proba est monitio, si viribus humanis negotium geratur. Deo autem perinde est, etiam *ex ore infantium & lactentium* potest *perficere laudem.* Et sæpe per hos facit, quod non facit per disertos. Per paruos, cum magna gerit, tantò plus illi tribuendum est, quantò minùs illis, per quos gerit. Sic testatur Marcellinus Comes, & per adolescentem, cui Rex Hunericus iusserat linguam exscindi, fidem Christi clariùs

Psal. 9. 19.

Psal. 8. 3.

Vide Baronium. to. 6. Anno 484.

1. Cor. 1. 26. clariùs prædicatam. Itaq; *videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro, in conspectu eius.* Non glorietur in stemmate suo sanguis regius; non in eloquentia sua Demosthenes; non in gladio suo Alexander: Deus per simplices & piscatores Apostolos totum mundum subiugauit: hodiéque non infrequenter 1. Reg. 2. 8. *de stercore eleuat pauperem, vt solium gloriæ teneat*, de quo potentes deponit. Inter Angelos ea est subordinatio, vt superior illuminet inferiorem, non autem inferior superiorem. Quia vbi iam nullum est superbiæ periculum, neq; debet esse causa humiliationis. Inter homines autem facilè doctior est inflatior; & pronissimum est, vt superior despiciat inferiorem. Quamobrem diuina sapientia constituit, vt sæpe simplicior erudire debeat prudentiorem; & vel eruditissimus discat ab omnium scientiarũ imperito. Sunt enim eruditi, tegulæ domus in alto positæ, simplices, terræ subiacenti similes. Super tegulas pluuiæ de cœlo cadunt, sed citò delabuntur in terram, quam faciunt virere. Ita cõtingit in alta cathedrâ constitutis, cœlestis doctrina, instar pluuiæ, per mentem eorum transit, non imbuit voluntatem. At simplices, minùs quidem intelligunt, plus tamen volunt. Possunt igitur docere affectu, à quibus intellectu superantur.

VI.

Sur. in vita S. Ægidij 23. April. tõ. 7. *Venit aliquando* ad Ægidium D. Francisci simplicissimum discipulum, *quidam ordinis Prædicatorij valdè eruditus Sacræ Theologiæ, qui multis annis mirè vexatus fuit hæsitatione quadam de perpetuâ Matris DEI virginitate. Videbatur enim ei fieri non posse, vt simul Mater esset & Virgo. At tamen dolebat ei plurimùm, vtpote viro bene Catholico, isthæc hæsitatio, cupiebátq; ab homine diuinitus illustrato de hac quæstione doceri. Audierat verò, fratrem Ægidium egregiè illuminatum, & sæpius rapi in DEVM, itaq; statuit ire ad eum, confidens, eius sermonibus hac ambiguitate liberatum iri. Cùm autem iam esset in viâ, Ægidius spiritu cognouit & tentationem & aduentum eius, procedénsq; ei obuiam, priusquam quicquam diceret, baculo terram percussit & ait: Frater prædicator: S. MARIA virgo est ante partum, móxq; illic ortum est elegans lilium. Iterum humum cædens, Frater*

Prædi-

Prædicator, inquit, S. MARIA Virgo est in partu, & confestim alterum erupit lilium. Tertiò solùm feriens, Fr. Prædicator, ait, S. MARIA, Virgo est post partum, simúlq; tertium enatum est lilium. Mox autem Ægidius aufugit, & Doctor ille curatus est. Postquam autem didicit, eum fuisse Ægidium, multò deinceps amore & illum & ordinem eius complexus est. Consimili modo, *in Campania Galliarum prouincia, in monasterio Cisterciensis ordinis, quod Argensoles dicitur, Abbatissam vidimus*, ait Cantipratanus, *quæ sine vlla litteratura artis Grammaticæ, non solùm libros Theologiæ; verùm etiam libros Augustini de Trinitate plenissimè intelligebat, & difficillimas quæstiones eorum lucidissimis solutionibus exponebat.* Thom. Cantiprat. lib. 2. cap. 46. §. 4.

VII.

Quàm verè dixit Christus: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Quem locum exponens S. Augustinus ita scribit: *Nomine sapientum & prudentum superbos intelligi, ipse exposuit, cum ait: Et reuelasti ea paruulis. Quid enim paruulis, nisi humilibus?* Addit D. Gregorius: *Nec dixit: Reuelasti ea stultis, sed paruulis, tumorem se damnasse innotescens, non ingenij acumen.* Perpendant ergo, qui se supra ceteros sapere arbitrantur, quàm exiguam caussam habeant, se circumspiciendi, quasi plus alijs sciant; cum diuina Sapientia, in rebus maximis, plus reuelet paruulis, & piscatoribus Apostolis, quàm tumidis Philosophis; plus Ægidio, quàm Theophrasto; plus Paulo Simplici, aut mulierculæ rudi, quàm Socrati sapienti; imò cum per pueros doceat senes. Sic constituit iuuenem Ioseph principem Domus Pharaonis, *vt erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*, in medio sapientium Ægyptiorum. Sic cum Susanna innocens *duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. Et dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Sic ipsum puerulum IESVM parentes *inuenerunt in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt.* Ita enim interrogando discipuli egit partes, vt ab omnibus Doctor Doctorum esse videretur. Et fuit hic ipse quoq;, ni fallor, puerulus, qui magnum illũ Augustinum docuit, non nimis alta de SS. Tri-

S. Augustin. serm. 8. de verb. Dom. S. Gregor. c. 9. sup. Iob. 36. l. 27. Moral. Matt. 11. 25. Ps. 104. 22. Dan. 13. 45. Luc. 2. 46.

nitate disputare. Dabo authorem pium, ea de re, quæ alioqui controuertitur, non dubitantem. Cuius hæc sunt verba.

VIII. Thom Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 48. §. 3.

Quid te inflas, humana superbia? quò tenderis? quò assurgis fortiùs, tantò turpiùs conquassaris. Audi, quid de Beato Augustino S. Volusianus in Laude mirabili testatur, dicens: In alijs sacerdotibus per mundum quomodocunq; toleratur inscitia, id est ignorantia, cum autem ad Augustinum ventum fuerit, Legi Dei deesse creditur, quidquid eum contigerit ignorare. Quid autem tam magnifico viro, super profunditate Sermonis & arduarum rerum disputatione, contigerit, audiamus. Inter miracula quædam Beati Augustini tale quid de eo reperitur. Eo in tempore, quo Beatus Augustinus librum de Trinitate composuit, illi tale miraculum Deus ostendit. Hipponensis ciuitas Africæ nobilis, in quâ Beatus Augustinus Episcopatum administrabat, super littus maris pulcherrimè sita erat. Beatus autem Augustinus in consuetudine habebat, vt, post diurnum studium ac laborem, vespere super littus maris, sequentibus eum à longè Episcopis & Clericis, qui eum, pro consilio & negotio vniuersalis Ecclesiæ, frequentabant, solus antecedens deambularet: ne scilicet eius contemplationem & studium fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus, vice quadam, incederet, puerulum miræ pulchritudinis super littus maris sedentem inuenit, qui factâ in terrâ fossâ paruulâ, sicut pueri in plateis ludentes solent, cochleari argenteo aquâ de mari hauriebat, & in illam fossam paruulam effundebat. Quem vt Beatus Augustinus ita seriosè sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit. Procedénsq; inde, puerum salutat, & inquirit, quid agat: Et puer cum magno serio respondens, volo, inquit, totum mare istud exhaurire, & isti fossæ, si possum, infundere. Quo responso, quasi puerili, vir sanctus in risum decentissimum concitatus, respondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer, hoc poteris? ingens mare est, paruum cochlear, quo exhauris, parua etiã fossa, in quam infundis. Et mox puer: possibilius, inquit, mihi est hoc facere, quod intendo, quàm te implere, quod cogitas. Ad hoc Beatus Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, interrogat. Et puer: Cogitatu, ait, voluis, & æstimas volumine breui concludere, quid sit illud indiuiduæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossæ paruulæ potiùs totius maris vndas infundam. Hæc dicens puer repentè disparuit. Beatus verò Augustinus Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

IX. Hæc ad Liburnũ, portũ Pisanorum contigisse tradit Iacobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puero IESV

IESV ei apparente res probabilior est, quàm quòd S. Hieronymo appartuerit; non solùm quia epistola illa D. Augustini ad Cyrillum fictitia est; sed quia etiã vetustissima, in Ecclesia, picturae st D. Augustini, cum puero ad littus & pedes illius sedente, atque cochlear tenente, quo mare in effossam scrobem colligit: quidquid nonnulli etiam hanc imaginem sublæstæ fidei esse arbitrentur. Quod si ergo historiam esse ponamus, voluit & hunc Doctorem Puer IESVS docere, & voluit vtique sanctus hoc Doctor libenter ab hoc Puero doceri, tanquam à Sapientia Patris, magistróque veritatis; qui per veros aut ætate, aut sapientia mundana pueros, complures alios, in humanis oculis grandes instruxit, vt Mundi sapientiam confunderet; docerétque, nullum pusillum, nullum quantumuis simplicem esse contemnendum. Sic exaltatur à Deo humilitas, sic sublimitas humiliatur.

In tom. 2. D. Augustini Appendice epist. 17. Io. Molan. de hist SS. Imaginũ lib. 3. cap. 36.

X.

Nicephorus, Sozomenus aliique complures testantur, fuisse Iconij senem quendam Episcopum Amphilochium dictum, antiquæ simplicitatis hominem, qui Theodosium Magnum Imperatorem ausus est adire, eique libellum supplicem dare, quo Theodosius monebatur, vt impios Arianorum conuentus, ex vrbibus proscriberet. Neque enim minùs nocere infectione hæreticos censebat, quàm pestilentia correptos, qui luem, etiam in maximè cautos, propagant. Imperatori durior ea inhumaniórque petitio videbatur, vt qui clementia atq; beneuolentia capiendos Arianos putaret, imprudentémque Episcopi zelum in alia tempora quietiora differendum arbitraretur. Quid ibi fecit sapientissima Amphilochij simplicitas? quibus machinis porrò quatere Imperatoris animum instituit? Est tempus, cum silendo plus efficimus, quàm loquendo. Igitur quàm sincerâ ingenuitate petitionem suam explicauit, tam prudenti patientia repulsam passus tacuit. Existimauerat Imperator homini aquam hæsisse, nec iam argumenta solùm, verùm etiam verba deesse. Erras, erras, ô Imperator, non est stultitiæ signum, posse tacere. Garrulorum sermo, vti vilis, ita & excors est. Solus ille verè sapit, qui habet linguam in potestate. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & precioſi ſpiritus vir eruditus.* Hinc, *ſtultus quoq;, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.*

Nicephor. Callist. l. 11. hist. Eccles. c. 9. Sozom. lib. 7. c. 6. Theodor. l. 5 c. 16. Trip. c. 35.

Prou. 17. 27

XI.

Amphilochius igitur, tanquam elinguatus, abijt; sed silens

lens consilium coxit, toti Ecclesiæ profuturum. Paulo enim post facinus dignum memoria fecit; & vtiq; alijs quoq; imitandum, si mortales tam facilè pro Christi gloria, quàm pro Principum oblectatiunculis, stulti sustinerent reputari. Quippe occasionem captauit, vt cum alijs Præsulibus in aulam venientibus, & ipse veniret. Ibi, vti mos, & par erat, cum alijs Episcopis Imperatorem quàm decentissimè consalutauit. Recta inde ad filium ipsius, qui admodum nuper ad Imperium lectus fuerat, digressus, eum impolitè atq; inurbanè gestúque subrustico tractare cœpit. Neque enim eadem illi, quæ patri eius, obseruantiæ honorisque signa exhibuit; sed, tanquam si de vulgo, aut coloni terræue filius esset, ita cum eo, quasi cum puero colloquens, manúque eum, contra omnes leges aulicas, demulcens: *Salue & tu, ô puer*, inquiebat. Hæc cum videret Theodosius, senem Amphilochium ætate desipere existimabat, & vtiq; rudiore animo, rusticum, nõ aulicum, in aula, agere cogitabat. Itaque simplicitatem hominis instruendam censuit, docuítque, quibus cærimonijs filius esset salutandus. Iterum erras, ô Imperator, non tu illum, ille te docebit: tui, non illius mores sunt culpandi.

XII. Audijt igitur Amphilochius Imperatorem, institutionémque illius, leui risu, refutans quasi per contumaciam, respondit: sufficere filio eius iam exhibitum à se honorem. Hoc dicto Theodosius ira percitus, & non secus, ac si filius atroci iniuria affectus esset, grauiter commotus, Episcopum delirantem, cum conuicio, abduci iussit. Cithara vt sonet, percutienda est: idem huic Episcopo accidit. Tangebatur iam & satellitum manu ignominiosè foras protrudebatur, cum renidente ac sereno ore cõuersus, consiliúmq; in animo occultatum sonantissima voce pferens: *Videsne, ô Imperator*, inquiebat, *quàm tu indignè illatam filio tuo iniuriam feras? Vides, quàm vehementer & incensè, ob compellationem minùs vrbanam decentémq;, in me, exardescas? Sic scilicet existimare te oportuit, succcensere etiam cœlestem Imperatorem & Patrem Vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, sed dissimilem & longè minorem Patre vocare audent.*

XIII. Hîc vidisses, quid diuina possint. Etenim Imperator, cum inde rem actam intelligeret, & verba illa confidentissimè aptissiméque prolata admiraretur, velut fulmine ictus, ita quàm primùm sacerdotem Dei ad se accersiuit, atque ad pedes eius ce-

cidit

cidit veniam petens, publicáque voce professus est, non Episcopum, sed se simplicem fuisse atque ignorantem; neque aliter, quàm ipse dixisset, se rem habere. Igitur in ea sententia confirmatus, postea eos, qui aliter, quàm Nicææ statutum fuerat, opinarentur, extremè auersatus est. Contentiones in foro, & inanes conuentus inhibuit; disputationibus, de Deo & natura eius, finem omnino imposuit, & constitutione publicè proposita, periculum, qui ei non parêrent, denunciauit, pœnásque, contra hoc edictum acturis, seueriſſimas est comminatus. Ita factum, vt, Arianis & Eunomianis pulsis, τῷ ὁμοουσίῳ *consubstantialis* fidei professores Ecclesias moderarentur. Ita astutiam simplicitas supplantauit.

XIV.

Liceat saltem mihi, ex hac historia, aliquid discere, si alij nolunt. Nempe illud disco, vt non diffidam simplicitati meæ, sed quæ ad diuinum honorem; quæ ad Religionem orthodoxam & conseruandam, & propagandam; quæ ad iustitiam pacis & belli obtinendam faciunt, & quæ mihi à bono Genio, immò à bono Deo suggeruntur, ea, cum locus aut tempus iubet, liberè proferam. Si apud Principum aures, si in curia Regum, si in maximis aulis mihi locus non est; saltem illis identidem occinam, & circa illorum aures circumsonabo, qui proximi sunt Principibus, qui Regum aures tenent apertas, qui cuiuscunque Dynastæ aut curiam, aut animam habent, occupántque. Non sum exercitatus in schola Machiauelli; non didici gryphos; non sectatus sum artes & ambages Politicas; at meliorem magistrum Spiritum S. humilibus promissum inuocabo, quia *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Iob. 32. 8. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Psal. 93. 12. Sapientior enim euadet, quàm Athenienses, & omnes Mundi sapientes. Timebat Moyses, cum eum Deus mitteret ad Pharaonem, & dicebat: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Exod. 4. 10. Etsi enim eruditus esset, omni sapientia Ægyptiorum, &, vt Origenes ait, eloquentia incomparabili, tamen *ab heri, & nudius tertius*, postquam Deum loquentem audiuit, intellexit ruditatem suam; sicut rusticus, licet, cum iumentis suis comparatus, sapiens videatur; collatus tamen Doctoribus imperitiam suam agnoscit; ita Moyses vidit, omnem humanam sapientiam, coram Deo, stultitiam esse. Sed Deus illi dixit: *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum?* Age igitur, quod agis, tu linguam dabis, ego suggeram verba. Quo pacto etiam Christus

Matt. 10. 19. Apostolos suos animauit dicens: *Nolite cogitare, quo modo, aut, quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hoc idem & alij, quibus cum magnatibus est negotium, aut occasio colloquendi, debent secum cogitare, insisteréque viæ Apostolorum, qui *cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S.* (non prout Spiritus Mundi) *dabat eloqui illis.* O quanta facerent, pro pauperibus, Principes, pro populis Reges, pro Ecclesia Imperatores, si Amphilochios multos haberent; si essent, qui eorum vultus, rugas, iras, fulminantes oculos possent pati; si Episcopi ipsi, si Ecclesiarum præsides, si Concionatores, si conscientiarum moderatores, non essent *canes muti, non valentes latrare*; qui magis Principis, quàm Numinis gratiam captant; idque illico rectum esse pronunciant, quod Regi, non quod iuri & æquitati vident conuenire; apud quos, quidquid Domino illorum displicet, iniustum est; rectũ, quiquid placet? Sic nimirum sapiunt Mundi sapientes. Sic canunt, similes ranis, quæ etsi multùm canant, parum laudantur. Nec enim ranæ, nisi ranis placent. At Paulus sic loquitur: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conuersati sumus in hoc Mundo.* Quid quòd & bonæ mentis Principibus, magis probatur sincera simplicitas, quàm astutia vulpina?

Act. 2. 4.

Isa. 56. 10.

2. Cor. 1. 12.

XV. Sæpe *deridetur iusti simplicitas*, interim reipsa, *simplicitas iustorum diriget eos.* Nam talibus vtitur diuina sapientia, cum & minùs superbiant, & magis veritati, quàm subtilitati obediant, conscij propriæ imbecillitatis. Sed & Dei virtus, illis aliquid, quod vires sapientum excessit, efficientibus, magis elucescit. Minùs enim simplex addit de suo; & plus gloriæ Numini relinquit inexploratus homo, quàm de quo fuit magna expectatio. Qua ratione Anno 325. Catholica Religio, per Spiridonem Episcopum Trimithuntium triumphauit. Confluxerant, eo anno, ad Nicænam Synodum, non solùm Episcopi Catholici per litteras accersiti; sed & ex Philosophis plerique, qui apud Gentiles pro sapientibus habebantur, disputationibus, in hoc Concilio, agitatis, dedita opera, interfuerunt. *Quorum nonnulli, quænam tandem esset Christiana doctrina, admodum scire auebant: alij odio in Christianos propterea animati & inflammati, quòd superstitiosa Gentilium religio nuper antiquari cæpta erat, quæstionem de fide Christiana propositam, ad inanem*

Iob. 14. 4. Prou. 11. 3.

Sozom l. 1. c. 1. Ruff. l. 1. Euseb. l. 10. c 3. Niceph. l. 8. c. 15.

quandam

quandam verborum concertationem deduxerunt: adeò vt ipſi, inter ſe, digladiari, & ſecum pugnare viderentur. Inter hos vnus, tanquam nouus Goliath, in medium proceſſit, & inſolenti dicendi arrogantia ſe iactare, magnásque glorias verborum flare cœpit. Dixiſſes militem glorioſum. Neque ſe duntaxat circumſpiciebat ac prædicabat, ſed ſacerdotes inſuper Dei præ ſanè confidenter ac proteruè eleuabat, contemnebat, irridebat. Spiridon nequaquam ſuadæ filius, artísque dicendi, multóque minùs fallendi, ac præſtigiarum omnium expers, hanc Philoſophi ſuperbiam non tulit, ſed & ipſe, ad certamen cum eo ineundum, ſurrexit. Habuit diuerſos ea res motus. Petulantes riſu, modeſtos impleuit metu. Veriti enim ſunt, ne iuueni ſenex, homini facundiſſimo & eloquentiſſimo indoctus atque indiſertus ſuccumbens ludibrio exponeretur. Itaque ceteri, qui aderant Epiſcopi, libenter receptui cecinisſent. Sed veneranda eos canities illuſtris Confeſſoris abſterruit, reuerentiáque ipſa illi fecit authoritatem. Data eſt ergo illi, liberè, quæ vellet, loquendi poteſtas. Ille, ſine exordijs, ſine colore, ſine arte, eiuſcemodi oratione eum contriuit: *In Nomine IESV Chriſti, Philoſophe, audito. Vnus eſt Deus cœli, terræ, & omnium rerum tam oculis ſubiectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia & virtute Verbi fabricatus eſt, & ſacrato Spiritus S. afflatu ſtabiliuit. Quare hoc Verbum, quod nos Filium Dei nuncupamus, miſertum humani erroris, & belluinæ viuendi rationis, ex Virgine naſci, cum hominibus vna verſari, próq; ijſdem, mortem oppetere voluit. Eſt quoq; iterum venturus, de ijs rebus, quas quiſq; geſſerit in vita, dicturus ſententiam. Iſta ita ſe habere, ſine vlla alia curioſa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide duntaxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis, laborem fruſtra conſumere, quærere ue, quì iſta fieri, aut non fieri poſſint? Quod ſi credis, mihi quidem ſciſcitanti reſponde.* Quaſi de cœlo tactus, ita ſapientiſſimâ dictionis ſimplicitate obſtupefactus Philoſophus, illico reſpondit: *Credo.* Mox etiam ampliſſimas illi gratias egit, quòd ipſum & viciſſet, & erudijſſet; proteſtatus, ſe eadem cum ſene ſentire. Quin conſilium etiam illis dedit, qui perinde erga fidem Chriſtianam, atque ipſe antè, affecti erant, adhortatúsque eſt, vt doctrinæ Chriſtianæ aſſentirentur, iureiurando confirmans, ſe non modò non ſine diuino Numine mutatum eſſe; ſed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Chriſtianam fidem conuerſum.

XVI. Eant nunc Mundi sapientes (quorum tamen non nisi septem numerantur) & spernant simplicitatem. Eant Stoici, Peripatetici, Academici, & disputationes acutissimas vanitati vendant. Eant & doctissimæ subtilitatis Theologi, &, quæ nemo intelligat, scribant, dictent, explicent. Præ illis Deo, cuius est *cum simplicibus sermocinatio*, Spiridones, Pauli Simplices, Simeones Sa-
1.Cor.1.19. li, Iacoboni placuerunt. *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi?* Supercilium igitur ponant, qui sibi de magna eruditione tumidè plaudunt, ac fastidiosè despuunt ineruditos. Deus sapientissimus, sicut per simplicitatem Spiridonis, acutissimum Sophistam conuertit, quem tot ac tanti, in eodem Concilio collecti Patres conuertere non potuerunt; ita & nunc sæpe, per non admodum doctum, sed pium ac zelosum sacerdotem, plurimos hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, pereuntes ad salutem trahit; cum plurimi Theologiæ Doctores grandia de Deo loquentes ne vnum quidem hominem conuerterint, aut ad vitam traduxerint meliorem; ne dicam, conuertere dignati sint. Quod non eò intellectum volo, quasi eruditionem aut eruditos eleuem; sed ne scientia inflati, simplices putent à Deo minùs æstimari; atque ipsi beneficijs saginati pecunias magis, quàm animas venentur, curámque religionis indoctis relinquant; quasi qui plùs sciunt, minùs facere teneantur; cum, Christo teste, *omni,*
Luc.12.14. *cui multum datum est, multum quæratur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petant ab eo.*

CAPVT XXII.

Per bestias, etiam illas, à quibus alioqui cauemus, Deum nonnunquam succurrere, & miranda exhibere.

I. Vemadmodum, in hominibus, ita & in ipsis etiam bestijs, contrarios sæpe euentus ostendit *ludens in*
Prou.8.31. *orbe terrarum* diuina sapientia; qua duce prosunt
Supra, c. 16. ipsæ noxiæ animantes. Supra dixi, per coruos, voraciss-

meissimum animal, Prophetæ & Eremitæ, pérque calidissimam bestiam, Chuthberto cœlestem œconomum, cibos misisse. S. Ægidium cerua sustentauit. Cyrum canes, Androdum, vel, vt alij legunt, Androclum leo nutriuit. Vestalis Romulum & Remum *paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit; ad vagitum lupa accurrit, eosq; vberibus suis aluit.* In vita S. Athenogenis Abbatis ac martyris legimus, imperante Diocletiano, in ciuitate Sebaste, eundem Abbatem antè, quàm ad martyrium raperetur, ceruæ suæ, quam aluerat, benedixisse, eíque à Deo precatum, vt stirps eius non deficeret. Ab eo tempore quotannis, die 17. Iulij, quo S. Athenogenes, cum suis fratribus, Christi caussa, interfectus est, quando Euangelium canebatur, venit cerua in templum, cum hinnulo, quem inibi reliquit, quasi Numini, in memoriam Sanctorum Martyrum, sacrificium obtulisset. Vrspergensis aliique historici scribunt, Hunnos citra Mæotidem paludem habitasse, venationibúsque suis contentos, de alijs regionibus solicitos non fuisse, immo neque putasse, in altera ripa, terram cultam aut homines reperiri. Verùm, cum fortè venatores quidam conspicerent ceruam, lento gressu, paludes transeuntem, atque interdum, quasi vadum exploraret, subsistentem, donec in alteram ripam euaderet, idque illis mirum & insolitum videretur; eius semitam subsecuti regionem amplam & à Scythis habitatam inuenerunt. Hunni ergo rati, à cerua sibi vadum diuinitus indicatum esse, coacto exercitu, traiectóque lacu, Scythas & finitimos nihil tale opinantes oppresserunt, eóque progressi sunt, vt toti orbi formidabiles redderentur. Amonius refert, simili modo, ceruam Clodouæo Francorum regi, contra Gothos pugnaturo, vadum in flumine Vigenna demonstrauisse. Quod etiam S. Itæ è Tokhenburgensi arce innocenter præcipitatę accidit. Nam, ceruâ præuiâ, aptum solitudini locum inuenit. Capitolium olim anser; Casiblim accipiter, contra hostes, defendit.

Iustin. lib. 1. Gell. l. 5. c. 4. Plin. l. 8. c. 17 post Liuium lib. 1. Aloysius Lipomanus ex Simeone Metaphrast. 17. Iulij.

Sozom. l. 1. c. 37. ait bouem œstro percitum fuisse.

Amon. lib. 1. c. 21. de gest. Franc.

Fazell. de reb. Sic. dec. 2. l. 9. cap. 6.

II.

Fundensis monasterij monachus, cui excolendi hortos cura erat, cernens, in eo olera partim pedibus conculcata, partim sublata furto, &, reperto aditu, quo fur ingredi consueuerat, serpenti præcepit, vt illum custodiret, nec inde, nisi iussus discederet. Prô pudor! Irrationale animal seruo Dei obediuit, homo damnum irrogare non dubitauit. Fur ergo peruersus, cum serpentem conspexisset, præ timore, se retroferre voluit; &, pede vepribus implicato, pronus pependit, donec

S. Greg. l. 1. Dial. cap. 3.

ab ipso olitore superueniente expeditus fuit. Sic serpens, qui in primo horto hominem fecit nocentem, in hoc horto, innocentis excubitor fuit; & qui olim furtum pomi suasit, nunc obstitit, vt homo neque oluscum posset furari. *Educata à Virgine, apud Sestον vrbem, Aquila retulit gratiam, aues primo, mox deinde venatus aggereus. Quin, dum mortuæ Virginis cremarentur ossa, in defunctæ regum se coniecit volucris, simúlq; conflagrauit.* Aquila hæc, beneficij memor, gratum se exhibuit; alia nullo beneficio obligata, idem beneficium sponte præstitit Pyrrho Epirotarum regi; & idem alia Ptolomæo Soteri Arsinoës filio. Ast alia (Xiphilino, Suetonio, & Dione testibus) Octauio Augusto, cum puer adhuc ruri, quarto ab vrbe lapide, via Campana educaretur, in nemore prandenti, ex improuiso de manibus panem rapuit, móxque altissimè euolauit, quæ paulo post leniter delapsa ex improuiso eundem ei reddidit. Quod non solùm, cum Imperij portento, ei accidit, sed etiam vt constaret, eadem animalia cibum auferre, & offerre posse. S. Medardum adhuc puerum pecora pascentem à pluuijs, Iosephum Anchietam à Solibus, expassis alis, aquila defendit. Atque vt rursus à nostris, ad Ethnicorum mira regrediamur, Zonaras, Anno, ante Christum 346. tempore Alexandri M. pueri nouem annorum, narrat, Gallis Italiam populantibus, Romanísque resistentibus, Gallum processisse magnitudine atque armis insignem: qui quatiens scutum hasta, cum silentium fecisset, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui secum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adolescens; priùs scitatus consulis sui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus processit. Ei repentè coruus in galea consedit, in hostem versus: qui non solùm tenuit semel captam sedem: sed quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os oculósque hostis rostro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis visu, oculísque simul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conspectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Consule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

Plin. lib. 10. cap. 5.

Sur. tom. 3. in vita eius.

III.

Quia luculentum est diuinæ prouidentiæ ac bonitatis, in alia historia, exemplum, neque fortasse in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam historiam verbis nonmeis dabo, quam, ex Ioannis Fischeri Roffensis Episcopi opere, quod

Io. Fischer. lib. 4. contra Oecolamp. c. 22.

quod Anno 1526. aduersus Oecolampadium edidit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem, ait, quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans, desiliisset, neque reducem quaqua versum exitum comperisset, neque vnde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se fame moriturum coniecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niue super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tempestate, antra sua exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorum quandam credidit illusionem, aut spiritus fortè malignos, qui tali specie simulatà ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectà versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant, ibiq; aliquot factis reflexibus cœperunt eundem lingere. Ipse interim anxiè eos respectans horam præstolabatur, quà impetu facto ingrederentur speluncam ad se deuorandum. At vbi illi aliquandiu lapidem linxissent, regressi sunt, eâdem, qua venerant, viâ, in sua antra. Summas igitur Deo agit gratias, qui tali eum metu liberasset, dormiuitq; nonnihil, per noctis reliquum, absq; cibo diem sequentem transiens, nihilq;, præter candorem niuis terram latè operientis, & lucem cœli videns. Secundà & tertiâ nocte, horâ eâdem, reuersi serpentes fecerunt similiter, & abierunt. Tum demum credidit naturales serpentes, sed mirabatur, quidnam ita lapidem lingerent. Iam penè viribus destituto incidit cogitatio, quòd fortè animalia illa ostenderent, quid sibi faciendum esset, in sua necessitate; tumq; ad lapidem accedens cœpit eundem similiter lingere, & ecce (res stupenda) inter lingendum, ita fuit restitutus quasi cibo refectus. Tali itaq; modo, totâ hyeme, sub rupe, latitans contra frigus & famem se defendebat, donec, in fine Aprilis, niue solutâ, peruys iam factis alpibus, quosdam audiret in vicino colloquentes, ijsq; se comitem præbuit ad peregrinationem suam complendam.* Hæc Richeomus.

Ludouic. Richeom. in Peregrino Lauretano cap. 138.

Ergo, si vult Deus, serpentes, quos in aliorum supplicia immisit, in auxilia immittit aliorum. Nullius igitur temeritas accusare

IV.

accusare debet Mundi Conditorem, quòd noxia animalia creârit; quemadmodum Manichæus quidam, apud D. Augustinum, simplici cuidam Catholico, Deum malum esse, persuasit, quòd muscas, quas ille tunc infestas patiebatur, condidisset. Hunc errorem fusè impugnat S. Chrysostomus, S. Edmundus, S. Damascenus, Philo, & alij. Nemesij sunt ista: *Si aliqua sunt, quæ fructu nõ ferant, contrâq; perniciem homini important, sciendum est, cum quæ ad hominum usus valent, primario loco creata essent, tum cetera omnia, quæ natura ferebat, esse condita; vt ne res vlla, quæ fieri posset, ab hoc opificio abesset. Quanquam ne ista quidem planè eiusmodi sunt, vt nullam ex ijs homo vtilitatem capiat. Nam etiam venenatæ bestiæ emolumentum illi faciunt, propterea quòd eis ad curanda vulnera ab illis ipsis illata ceterósq; morbos sanandos abutitur. Tales sunt theriacæ quædam compositiones, quæ vocantur, quas ratio excogitauit, vt per eas etiam illis dominaretur, & velut à deuictis hostibus commodum perciperet. Sed habet homo infinitas vires his contrarias à Deo acceptas, quibus arcere, & vlcisci & corrigere eorum iniurias possit. Alia enim alios vsus habent, communiter tamen omnia ad hominis commoditatem natura conferunt, etiam illa, quorum alioqui nulla vtilitas appareat.* Lactantius proposita hac Stoicorum, vt ait, responsione: *Quòd nihil sit, cuius non sit aliqua vtilitas, tametsi occulta plerumq; lateat,* & ideò purgari Deum à calumnia, ex rerum noxiarum productione ipsi illata, scribit, hanc responsionem esse ineptam, & respondendum potiùs fuisse, istiusmodi mala facta fuisse, vt homo haberet, in quo datam sibi sapientiam & rationem exerceret. Est quidem hæc aliqua etiam ratio, sed tamen neque Stoicorum responsio est reijcienda, quam tot SS. PP. & ipsæ experientiæ approbauerunt. Certè documenta & medicamenta ab eiuscemodi bestijs habemus. Si Scorpij malum est venenum, est & oleum Scorpij bonum. Quin idem Scorpius dum sauciat, sanat, si, in ipso ictu, vulneri facto interatur. Certè qui dixit: *Dentes bestiarum immittam in eos: cum furore trahentium super terram atq; serpentium;* idem etiam dixit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.*

S. Augustin. tract. 1. in Ioan.

S. Chrys. hom. 12. ad pop. S. Edm. in Speculo Eccl. cap. 6. tom. 5. Biblioth. Damascenus 2. Fid. cap. 10. Phil. lib. de Pronid. Nemesius l. de homine. c. 2.

Lactant. lib. de Ira. c. 13.

Deut. 32. 37.

Psal. 90. 13.

V.

De dracone victo & contemtim interfecto, historia Danielis Prophetæ loquitur. Et de serpentibus, paulo supra docui. Idem etiam Daniel inter famelicorum leonum rictus, in lacu, illæsus mansit. Abbas Sergius leoni, in via iacenti, panem porrexit, & recede-

Supra n. 2. & 3. Dan. 14. Io. Euirat. in prat. Spir. c. 125.

& retedere iussit, vt iumenta, salua transire possent. Accepit leo panem & mandatum. Simonidem quoque Monachum, scribit Theodoretus, viatoribus in viam reducendis duos leones, è nemore aduolantes attribuisse, qui eos non deseruerunt, donec rectum denuò iter tenerent. Narrat Hugo Præmonstratensis Abbas, Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, cuidam puero ouium pastori petenti, in gregis custodiam, sibi canem dari, respondisse: *Cum lupus aduenerit, rapueritq; ex grege aliquid, iubeto ei, nostro nomine, ne quid attingat.* Felix simplicitas pueri fuit. Paruit Nortberto; ob quod, etiam lupus paruit puero. Iam lupus in gregem irruptionem fecerat, iam ouem ore arreptam asportauerat, cum puer præcepti memor cursu prædonem persequi & clamare imperiosissimè cæpit, vt domini ouem dimitteret, sic dominum mandare. Audita hac voce, lupus ouem illæsam reddidit. Est scilicet ita, qui Deo obedit, etiam creaturas facit sibi obsequentes. In statu iustitiæ originalis, omnia animantia, quantumuis fera, hominis imperio erant subiecta. Quod idem obtinuêre multi viri sanctitate præditi, quibus bestiæ ad nutum paruerunt. Admirandum est, quod in Chronico Minorum legitur, de S. Francisco. Lupus quidam fame rabidus ciuitatem Eugubinam velut obsederat; vt nemo vel ingredi, vel egredi, ac ne comitatus quidem, posset. Superuenit D. Franciscus. Audita feræ immanitate, statuit vrbem liberare. Eo ad bestiam in campum prodeunte, vndique ciues è turribus atq; fenestris, tanquam ad funestum prælium, prospexêre. Vix in conspectum belluæ venit, cum illa truculentè in eum irruit. Expalluerunt, qui spectauerant. At Franciscus venientem hostem vltro, & nominatim vocauit, ferocientémque signo crucis compescuit. Vidisses miram illico metamorphosin. Nam lupus extemplo caput demittens, neq; aliter ac si in agnum esset mutatus, ad S. Viri pedes se se prostrauit. Ita supplicem, de illata vastitate, verbis acribus castigauit, expositis ciuium querelis. Postea indicauit ei, venisse se, vt pacem inter ciues & ipsum componeret. Pacis conditiones erant, vt lupus posthac nulli damnum inferret, ciues ei non nocerent, sed iniuriarum obliuiscerentur. Addidit, fore, vt alimenta nunquam deessent. Post hæc audita, & velut intellecta, lupus capitis inclinatione, aurium, caudæ, & totius corporis gesticulationibus annuebat, vt signis eiusce modi omnia approbare videretur. Quin & petenti dexteram in-

Theodoret. in hist. Relig. c. 6. Hugo Præmonstr. in vita Norberti c. 73.

Chron. Minor. lib. 10. c. 29.

signum fœderis, sancto viro dextrum pedem porrexit; inuitatémque, in oppidum, vt coram pactas conditiones firmaret, velut agniculus secutus est. Fit concursus totius ciuitatis. *Ibi D. Franciscus grauiter denunciauit populo, huiusmodi plagas à Deo immitti puniendis mortalium criminibus; alios esse in inferno lupos; rabiem inferni barathri ardentisq; fornacis voraciorem rictu infausto huius belluæ, quæ, præter vitam mortalem, auferre nihil posset. Tunc exposuit, quas cum lupo extra portas inisset conditiones vtrimq; pactas. Easdem probarunt ciues. Ijsdem quoq; indicijs, quæ ediderat, assensus est lupus, pedémq; rursus poscenti B. Francisco eleuauit, & in eius manu reposuit. Omnes lætitia exilientes benedixerunt Dominum.* Neque hactenus tantùm pertinuit cicuratio. Siquidem, ab eo die, lupus quotidie, canis blandissimi instar, vrbem obiuit, atque ad singulorum fores subsistens, alimenti sui portionem ostiatim emendicauit. Quocunque ibi, gratissimus adueniebat, & cum applausu, in omnium ædibus, excipiebatur. Quódque mireris magis; nullus vnquam eum canis allatrauit, nulli & ipse vnquam ferox visus est. Duos annos id miraculum tenuit; postea lupus desijt viuere, cum magno populi luctu; nam in eius innocentia plebs D. Francisci intuebatur sanctitatem.

V I. Quid autem dubitemus de eiuscemodi facto, cum *non sit impossibile, apud Deum, omne verbum?* Possunt homines dicere: *Reddam ego te, ex fera, fame mansuetem*; & Heliogabalus, teste Lampridio, *habuit leones & leopardos, quos edoctos, per mansuetarios, subitò ad secundam mensam iubebat accumbere*; cur id Deus non posset? cuius clara est promissio: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur &c. serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Serpentes tollent*, inquit Theophylactus, *sicut Paulus viperam in manu sustulit, nihil ab ea offensus. Et si mortale quiddam biberint, non nocebit eis. Sæpe enim & hæc facta sunt, vt in historijs inuenimus. Multi enim & venenum bibentes, per signaculum crucis, illæsi conseruati sunt.* Atque, vt hæc tanta miracula fide sint digniora, ea naturæ vis est, ea industria artis, vt ipsum virus prosit. Nam & in veneno inest medicina; & pernicioſissimæ animantes sanare possunt, cœlo dirigente. Cuius etiam beneficio bestiæ hominem, contra bestias, defendunt. Nam contra serpentes hominem ab aquila defensum Crates Pergamenus historia insigni docet, quam etiam Stesichorus Poëta poëmate prosecutus est, & Ælianus, in

Plaut. Asinar. Lamprid. in Heliogabalo. Marc. 16. 17

Theophyl. in c. 16 Marci. Act. 12.

nus, in hunc modum recitat. *Decem & sex viri frumentum in area perticis excutientes, in maximis solis ardoribus, cum ardentissimè sitirent, vnum ex suis, vt aquam de proximo hauriret fonte, miserunt. Is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat. Vbi verò ad fontem venit, offendit aquilam quàm strictissimè, cautéq; serpente circumplicatam, iamiam proximam, vt strangularetur. In eam enim aquila inuolauerat: veruntamen non compos voti & insidiarum, in ea ipsa expugnanda, euaserat: neq; pullis, vt Homericè dicam, epulas attulerat: sed spiris illius, ceu laqueis, circumuenta, vicina erat, ad pereundum. Agricola vel quòd non ignoraret, vel quòd auditione accepisset, Aquilam Iouis nunciam & ministram esse: & item quòd egregiè teneret, feram & improbam bestiam esse serpentem, falce eam dissecuit: & vinculis aquilam, vnde effugere non poterat, exoluit. Quumq; his obiter gestis reuertisset, atq; haustâ aquâ vinum temperatum omnibus ministrasset; ij quidem auidissimè copioséq; in prandio bibere ingrediuntur: is autem, qui aquam hausisset, iam post illos bibiturus erat. Ad labia igitur poculum cum admouisset, seruata aquila circum locum illum etiam nunc versans, vt hanc mercedem suæ salutis persolueret, sic in poculum inuolauit, vt potio effunderetur. Ille, quòd grauiter sitiret, indignatus ait: Háncne gratiam, cum sis illa (nam auem recognoscebat) tuo conseruatori refers? itáne Iouem gratiarum inspectorem & & præfectum vereris? Quum hæc locutus in siti, se ad alios conuerteret, videt ex venenata potione palpitantes, extremum spiritum efflare. Serpens, vt conijcere licebat, suo veneno fontem imbuerat. Itaque redemptionis præmium ei, qui se conseruasset, Aquila cum pari salute compensauit.* Ælian. l. 17. c. 37. de animal.

Quod beneficium longè inexpectatius est in lupo, qui *puellam adultam inuasit, dentibus brachium illius tenens; quam cum secum traheret, quoties illa clamare cæpit, clamantem durius pressit, & tacenti pepercit. Quid plura? ducta est ab eo in siluam ad alium lupum, cuius gutturi os fuerat infixum; qui cum nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellæ in guttur hiantis mittitur, à qua os, quod inhæserat, extrahitur. Sanatus verò mox cum suo collega puellam ad villam propriam reduxit.* Cæsarius lib. 10. c. 66.

VII. Verùm hoc iterum, vti & aquilæ commemoratæ, gratitudinis & relati beneficij exemplum est; alia aquila, beneficio non accepto, benefica fuit; quin & vulpes, licet inuita, sed à Mundi Domino vel docta, vel ducta. Siquidem Pausanias author est, Aristomenem, miro ab aquila modo, è Ceade (sic altè dehiscentem Pausan. l. 4.

foueam vocabant) liberatum. Cuius rei historia cum insolens sit, ac auditu periucunda, placet verba scriptoris apponere. *Aristomenem*, ait, *qui sæpe aliàs, idem & tunc Deus seruauit: cuius, qui res gestas magnificentius extollunt, aduolasse aquilam dicunt, quæ cadentis corpus passis alis subiens, ita illum liberauerit, vt omni ex parte illæsus ad eius barathri ima delatus fuerit. Fato certè nescio quo exitus ei è tetro illo hiatu monstratus est. Nam cum in imo iam specu constitisset, veste obuolutus decubuit, extremam, quam proximè adesse putabat, vitæ horam expectans. Triduum erat ibi iam commoratus, cum audito strepitu quodam, retecta facie, per sublustres tenebras, vulpem vidit cadauera appetentem. Cogitans itaq; per ostiolum omnino aliquod bestiam illuc penetrasse, vt ea quantis per propius accederet, operiebatur. Id cum, vti volebat, accidisset, feram manu altera comprehendit; altera, quoties se illa conuertisset, manu chlamydem mordicus prensandam obiciebat, & currentem quidem, qua se via dabat, cursu consequebatur; trahendum verò se belluæ, per inuia, præbebat. Vidit postremò cuniculum nihilo ampliorem, quàm vnde posset vulpes euadere, per quem luminis se aliquid ostendebat. Per illum quadrupes, vt primùm dimisit eam quasi manu missam Aristomenes, lustrum suum repetiit. At ille angustam illam, & minimè peruiam cauernulam manibus aperiens intrans, ad suos tandem euasit. Fuit eius fortuna, cum captus est, mira & inopinata; maior enim viri spiritus erat, maior, ex rerum gestarum magnitudine, audacia, quàm vt quisque capi illum posse sperare debuerit. Sed nihil fuit admirabilius; nullum certius præstantiæ huiusce argumentum, quàm quòd è Ceada elabi potuerit.* Huc vsque Pausanias. Nimirum

Psal. 62. 11. sicut, qui, castigante Deo, *introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, & partes vulpium erunt*; ita vicissim, pro quibus Deus pugnat, vel ipsis vulpibus hostes vastabunt, quod legimus

Iudic. 15. 4. Samsoni accidisse; qui, per faciferas vulpes, longè latéque incendit segetes Philisthæorum.

VIII. Ex eiuscemodi historijs elucent varia diuinæ bonitatis iudicia. Nam 1. ostenditur, Deum in omnibus creaturis esse laudabilem, etiam ijs, quæ noxiæ vocantur. Hinc Dauid non ait

Psal. 148. 1. tantùm: *Laudate Dominum de cœlis* &c. sed etiam: *Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi:* nec *reges* duntaxat *& omnes populos, principes & omnes iudices terræ*, sed etiam *bestias & vniuersa pecora*, itémque *serpentes* ipsos in Dei laudes trahit. 2. Si vtilia magis laudamus, demonstrat talibus euentis vniuersi Gubernator, pos-

tor, posse se etiam de ipsis pernitiosis eruere hominum emolumenta. Hoc nimirum est etiam inter homines discrimen. Probi norunt etiam malis bene vti: impij autem ipsa bona rapiunt in malum. 3. Hinc intelligimus, omnia homini seruire, si Deus velit; dominiúmque illud ab initio hominibus datum, in peccati pœnam à iusto iudice, subductum, aut limitatum. Manichæi solebant dicere: *Quomodo accepit homo potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum & ferarum, cum videamus à multis feris homines occidi, & à multis volatilibus nobis necessaria rapi, quæ volumus vel vitare, vel capere, & plerumq; non possumus? Quo modo ergo in hoc accepimus potestatem? Hoc illis primùm dicendum est*, ait S. Ambrosius, *quòd multum errant, qui post peccatum considerant hominem, cum in huius vitæ mortalitatem damnatus est, & amisit perfectionem, qua factus est ad imaginem Dei. Sed si dominatio eius tantum valet, vt tam multis pecoribus imperet: quamuis enim à multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, à nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas, & prope omnes domet. Si ergo hæc hominis dominatio tantum valet*, quid censendum est in statu innocentiæ valuisse? *Timemus*, inquit Ioan. Constantinopolitanus Episcopus, *bestias & pauemus, non contradico. Sed non hoc ostendit legem Dei esse mendacem. Ab initio enim non ita res erant dispositæ, sed timebant & tremebant, & subijciebantur Domino. Et quoniam à fiducia decidimus pro peccato, profectò & ab honore. Vnde hoc manifestum est? Adduxit enim Deus bestias ad Adam videre, quid eas vocaret, & non resiluit Adam tanquam timens. Hoc vnum signum, quod non fuerunt homini ab initio terribiles bestiæ. Secundum aliud isto manifestius, quæ fuit ad mulierem, per serpentem disputatio. Si enim essent bestiæ terribiles hominibus, non vtiq; mulier viso serpente mansisset, nec accepisset consilium, non ei cum tanta sermocinaretur fiducia, sed statim ad eius expauisset & resiluisset aspectum. Nunc autem & disputat, & non timet. Nondum enim erat timor iste, sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea, quæ honoris sunt. Quamdiu quidem habebat ad Deum fiduciam, terribilis bestijs erat; sed quia offendit, extremos etiam conseruorum suorum tam pauet.*

S. Ambros. lib. 1. de Genes. c. 18.

Apud S. Ambros. lib. 1. contra Iulian.

4. Hinc discimus, penes Deum esse, vt nos creaturæ illius vel lædant, vel defendant. Itaque *de generibus animalium venenosis & perniciosis quæri solet, vtrum post peccatum hominis, ad vindictam creata sint, an potius, cum iam creata essent innoxia, non nisi*

IX. S. Ambros. lib 3. super Genes. c. 15.

postea peccatoribus nocere cœperint? Neq; hoc mirum est, quandoquidem in temporibus huius vitæ & laboriosæ atq; ærumnosæ, cum sit nemo ita iustus, vt se perfectum audeat dicere: vnde exercendæ atq; infirmitate perficiendæ virtuti, necessariæ sunt tentationes & molestiæ corporales: tamen & S. Daniel, inter leones saluus atq; intrepidus vixit: qui nõ vtiq; Deo mentiens in oratione, non tantùm peccata populi sui, sed etiam sua fatetur. Et Apostoli manui mortifera vipera inhæsit, nec læsit. Potuerunt ergo etiam ista creata nihil nocere, si causſa non extitisset, vel terrendorum puniendorúmq; vitiorum, vel probandæ perficiendæq; virtutis: quia & exempla sunt demonstranda patientiæ, ad profectum caterorum: & ipse homo sibi in tentationibus certius innotescit; & iustè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est, per voluptatem, fortiter recipitur, per dolorem. Totum ergo penes Deum est, vt nos bestiæ lędant, vel protegant; protegunt, cum iubentur; non læderent, nisi nos earum Authorem læsissemus. Postquam contra illum pugnauimus, non iam grus contra pygmæum duntaxat, sed mus quoque pugnat contra elephantum; seu, vt apertè dicam, mure minor musca mordere audet Pharaonem, elephanto superbiâ maiorem.

X. 5. Deniq; negari non potest maxima mortalibus damna ab eiuscemodi belluis sæpe prouenire. Alibi leones itinera faciunt infesta; vrsi alibi: alibi lupi, &, in Paraquaria, integri siluestrium equorum exercitus, quidquid offendunt, proterentes. Sed & draconum metuendæ sunt insidiæ; tigridum item velocitas, immanitas leopardorum. Sunt in sacris & profanis innumeræ historiæ. Nihilominus hæc ipsa tam præsentia vitæ discrimina summam pariunt vtilitatem. Nam incommodis maximis, quæ inferunt, fastidium pariunt vitæ terrestris, desideriúmque excitant, vt ex hac peregrinatione ad cœlestem patriam, ex hac lachrymarum valle ad ęternam securitatem, ad summum illud bonum, quod omni molestia carebit, tantò impensiùs anhelemus. Quo desiderio roborati martyres ad bestias damnati, inter leonum rictus, cum S. Ignatio Episcopo Antiocheno; inter virulentos angues cum D. Thecla; inter mille aliarum belluarum laniatus, cum alijs Dei athletis exultauerunt. Et vniuersim, esse maximum bonitatis Dei & affectûs, in optimos quosque, quos hîc varijs incommodis exercet, argumentum, præter D. Dionysium, & alios, Gazæus declarat.

S. Dionys.

clarat. Philo ita loquitur: *Oportebat, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia bonitatis summæ, quæ Deus est.* Areop. De diu. nom c. 8 S. Aug q 82. ex 83 Gazæus in suo Theophrasto. Philo l. 2 Allegoriar.

CAPVT XXIII.

Mirabile diuinæ æquitatis & bonitatis, per Lupos, auxilia facientis exemplum.

QVoniam superiore capite ex profano authore ostendimus, diuinam bonitatem, etiam in vulpe liberatrice, succurrentem, atque è barathro, siue Ceadâ educentem, addam hîc, quod ab homine fide digno, pio, docto, & verè Religioso, eóq; Societatis nostrę candidissimæ mentis sacerdote, ac sene audiui, quem meritò omnes ex Iouis tabulis testem dicebant esse potuisse, *in quo dolus non erat*, & in cuius ore *non est inuentum mendacium.* Is, cum aliquando nobis sermo, de varietate Dei homines ad Societatem nostram vocantis, incidisset, cum alto suspirio, mihi dixit, narraturum se admirabilem vocationem, stupendo modo, miserentis Dei, si ei promittere velim, me nomen eius non interrogaturum, de quo historiam verissimam vellet recitare; nam & nomen sibi constare, & notum virum; sed causas esse, cur non proderet. E quibus dictis, aliisque rebus, quas de eo noueram, aliud conijcere non potui, quàm illum ipsum esse, cui id euenisset. Præsertim quia sæpius postea rogantem me, vt nomen & personam interrogandi potestatem faceret, ille ipse me longè vehementiùs rogauit, ne interrogarem: vt proinde visus sit mihi, malle Deo taciturna humilitate, quàm apud homines vocatione prodigiosa notus esse. Quare, imitatione D. Ioannis Euangelistæ (qui & ipse, quæ de se refert, tanquam de tertio, solet commemorare) eum, cui ipsi omnia reliqua narrationi adiuncta quadrabant, in hunc ferè modum, & ordientem, & perorantem, sitientissimis auribus, audiui. I.

Adolescens erat, in terra Germania, non obscuris natalibus oriundus; neque opibus destitutus, si eum parentes pecunijs corrumpere voluissent. Sed illi alienis exemplis cautiores, cum eum, à se, ad studia litterarum amandarent, quia intelligebant, quàm magnum sit vectigal parsimonia, bonæ frugi filium facere malue- II.

Io. 1. 47. Apoc. 14 5.

maluerunt, quàm comessatorem. Itaque scholas adeunti rerum necessariarum nihil deesse patiebantur, sed neque luxu diffluere sinebant. Sic factum est, vt breui, in scientijs & pietate, pari progressu, proficeret, desiderióque se magis perficiendi incensus animo circumspiceret, qua viuendi ratione potissimùm posset etiam in alios olim scientias ac pietatem deriuare. Quia autem virtus illi placuit, mores primùm seculi displicuerunt, mox ipsum etiam seculum desipuit. Statuit ergo animum conferre ad Ordinem aliquem Religiosum, in quo & bibliothecæ vigerent, & morum disciplina non negligeretur. Itaque multarum Religionum statuta, leges, vestiendi & habitandi genus; sed præcipuè Religiosos ipsos etiam atque etiam considerauit. Nec diu anceps stetit. Illorum se statuit vitæ addicere, quorum assueuerat doctrinæ; ratus nullos sibi esse perspectiores, quàm quos in schola atque de cathedra noscere didicisset. Certa iam erat illi hæc sententia; & quiescebat animus, immo, *nunc Dij beati*, gaudens dicebat.

III. Ceterùm quis nescit cereas esse mentes adolescentum, præsertim cum nullum ducem directoremúe admittunt consiliorum? Nam sicut vites vlmo non alligatæ in terra iacent, & computrescunt ignauæ; ita etiam florentissimorum iuuenum animi, si non habeant, à quo erigantur, in fructus speratos non maturescunt: aut, quemadmodum excussa è silice scintilla, etiam in bonum fomitem incidens facilè extinguitur, si flatu oris non foueatur; ita ardentes hominum etiam proborum cogitationes diuino igne conceptæ citò vanescunt, si illis non detegantur, quorum ignito eloquio possunt in validam flammam promoueri, sed veluti cinere sepultæ prunæ sepeliantur, & suffocentur. Itáq; & huic adolescenti euenit. Pascetis semiobolus dici poterat. Spem in flore fecit, in messe propemodum decepisset. Nam, vt sibi prudentulus videbatur, mentis suæ arcana quàm secretissima habuit, consiliúmque religionis ineundæ, neq; illi quidem, qui ei à sacris confessionibus erat, patefecit. Interim non defuêre socij, qui in contraria omnia eum impellerent. Inuitabant ad hortos suburbanos; 11 trahebant ad hausstus frequentiores; inde ludo chartarum eum implicabant: tandem ad choreas ventum est, & pro virginibus Musis, virgines interpoles placuerunt. Sicut ventus nubes absstergit, ita deliciæ omne Deo, in religione, seruiendi consilium abstulerunt. Iam sæpius abesse lectionibus, morbos fingere, prætexere

xere; caussari occupationes, negligere res diuinas, nimium curare res humanas; emere chirotheculas, & sindones precioſas; cultiùs incedere, & in Nympharum cultus pecunias perdere, neq; libros quidquam pensi habere, denique alius esse passim dicebatur.

Neque latebat hęc mutatio parentum vigilantiam, qui mirabantur, sumtus priores non sufficere, ad se rariùs à filio litteras venire; carúmque loco varias vndique monitiones, suspiciones, querelas emergere. Igitur non dormiendum rati, gnatum vnicè dilectum ad alias Athenas migrare iubent, cum loco atq; socijs sperantes vitia quoq; deserturum. Et, vt seueritate terrorem injcerent, viatici exiguitate puniunt. Viam igitur pedes, & solus ingręssus, quà IV.

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia siluæ,

rectum quidem tenuit tramitem, sed opinione prolixiorem. Itaque die destitutus, angi animo cœpit, & compendia, non sine dispendio quæritare. Sed nec in eo ipso dispendio diuina consilia defuêre. Nam Deus *accelerauit coruscationes emittere iudicij sui*; & Eccli. 43. 14. errore errorem voluit corrigere, vt animam illius in viam reduceret, cuius pes exorbitaret. Per inuia multa, per tesqua densa, per paludosa, cæca illum nox duxit, molestissimis ambagibus, donec tandem, per rariora arborum, conspexit, nescio vnde, lumen quoddam allucere. Hominum habitationem inuenturum se ratus, sequi cæpit, quò radij inuitabant, tandémque difficulter eluctatus ad magalia peruenit, in quibus existimauit, pastores cum pecoribus suis habitare. Adit. pulsat. sperat. Sed mox intelligit, ad Orci se ianuam delatum esse. Nam ad ostium, cum lumine, progressa anus, vbi iuuenem vidit, haud illiberalem, miserta periclitantis, illico facessere iussit, & aliò properare. Iuuenis inhumanitatem rusticæ Baucidis interpretatus, impensiùs rogare instituit, vt id noctis admitteretur, promittens, se sine molestia mansurum, stramine aut fæno, in lecti vicem, contentum esse posse, &, si quid panis aut offæ daretur, pecunia abunde compensaturũ. Non est, mi fili, aiebat anus, quòd ista excuses: mihi à te nullum metuo incõmodum; tibi, tibi metuo, cui certum est exitium, si hîc diuertis. Non sunt hæc pastorum mapalia, vt arbitraris, non colonorum casæ, sed immanissimorum latronum receptacula; qui, cum bona tua fortuna, nunc absunt, aurigæ insidiantes, quem eorum vnus, in pago proximo explorauit, hac nocte, transiturum. Iuerunt ergo

ad funestam homicidij tragœdiã, cui tu tuo exitio epilogum addes, si vel hîc permanseris, vel in eorum hinc abiens incideris crudelitatem. Dixit hæc anus, & flens iuueni, manum simul ac panem dedit, lachrymis testata dictorum veritatem. Sed, vt periculum declinaret, semitam ostendit, in diuersum à latronibus ducentem.

V. Quid tunc animi fuisse desertissimo adolescenti putatis? Ibat solus. viam ignorabat. tempus erat nocturnum. magna siluæ densitas & longitudo horrorem incutiebant; sola latronum formido ab itinere atque inedia fatigato pedes restaurabat; cui accessit creperum lumen lunæ iam iam se se supra terras attollentis. Viam igitur volare potiùs, quàm ambulare cœpit, timore pedibus alas faciente. Spatium iam sufficiens se existimauerat euasisse, cum repentè animaduertit, euenisse sibi, quod sphæræ per præcipitium volutæ solet contingere: ad calamitatem enim suam fuit celer. Nam in eos ipsos latrones, quos fugit, incidit, adhuc occisum aurigam terra adobruentes. Illi, siue quia, inter nocturna silentia, strepitum euntis perceperunt; siue quia per emissitios ac venaticos excubitores prædam odorati; extemplo iuueni manus iniecêre. Frustra ille elabi, frustra innocentiam, frustra inopiam, frustra adolescẽtiam obtendere conabatur. Tanquãm molossi Anglici metuentem ceruam, cinxerunt, insolentissimísque clamoribus, veluti latratibus externarunt. Ibi mox prædonum vnus, qui ceteris videbatur immanior, mutato sermone, fictitiáque lingua, & syllabis præposterè pronunciatis, ceteros adhortabatur, vt pecunia vestibúsque detractis contenti, vitam tã tenere donarent ætati: cui alius mollem animum, & insulsam misericordiam opprobrans dicebat: proditorem se dimissuros, si viuum dimitterent. Tertij consilium placuit, suadentis, vt vacuum è curru dolium deijceretur, cui velut caueæ inclusa præda tantisper sineretur viuere, donec, cœna repleti, ad eum, cum ludo ac voluptate, ad plures mittendum reuerterentur. Hæc dum sua lingua dicerent, intelligi se ab adolescente non putabant. At ille inter æquales dudum sic nugari didicerat: omnia proinde intelligebat.

VI. Vix pedibus in eam sententiam iuerant, cum illico doliũ de curru, & adolescens in dolio fuit. Discedunt ad latibulum suum latrones. Adolescens in capulo, non in dolio se reperit, viuúmque sepultum credit. Et, vtinam, inquiebat, sepultus essem, nec in liberam mihi auram prodeundum foret! Nihil metuerem,

lanienam

sanienam non expectarem, neque carceris mei angustias sentirem. O quàm crudeliter mecum ludent! ô per quot vulnera sanguis exibis! ô quot ficas purpurabo! aut fortasse de tot aridis arborũ ramis ignem suscitabunt, qui illis luceat, mihi ardeat? Certè immania mihi minati sunt. Nihil tam crudele est, quod timere non possim ab ijs, quibus cruor in desiderio; homicidia sunt in voluptate. At quid parentes mei charissimi facient? vbi me quærent? Nulla vnquam Ceres pro sua Proserpina tam solicita fuit, quàm mea pro me mater erit: quæ si me reperire volet, ad Proserpinam ipsam & generum Cereris debebit descendere. Sodales verò mei, illi dulcissimi compotores, quò me locorum deuenisse dicent? Sed non curanda mihi est amplius fama, postquam actum est de vita. In singula momenta cultrum expecto, cur moror, quid de me dicant homines? Hæc nox in æternam mihi noctem claudet lumina. Vixisti, miser. Et, vt mortem magis sentias, in flore ætatis tuæ, occumbes. Huccine nascimur, vt pereamus? & desinimus, postquam vix cæpimus viuere? ô spes inanes! ô stulta mortalium vota! destinatis, quid in senecta ætate facturi sitis, & in prima iuuentute è vita exturbamini. Sed cur hæc fiunt? naturámne accusabo, an Deum? neutrum meritò possum. Natura me diutiùs sineret vitam prorogare. Deus, sine quo, ne capillus quidem de capite nostro perit, vtique caussam habebit, cur ita permittat. Sine illius voluntate, ne passer quidem de tecto cadit; multò minùs ego, sine illius nutu, in latrones incidi. Ita me magistri ab ineunte pueritia docuerunt. Qua verò id permisisse de caussa putem? Dudum memoriæ iussus sum mandare aureum illud dictum: *Non iudices contra iudicem: quoniam secundùm quod iustum est, iudicat.* Eccli. 8. 17. Cur igitur hanc meam calamitatem iustam esse putem? Lusi? sed permissa est adolescentibus honesta relaxatio. Potaui? sed semper, citra ebrietatem. Multa puellis donaui? sed mea erant, sed non memini, limites honesti me transilijsse.

VII.

Hæc talia omnia, cum infra miseriæ suæ meritum esse existimaret anxius adolescentis animus, tandem, velut orta luce, clariùs videre cæpit fundum totius calamitatis. Nam meminens, se antehac à Deo vocatum ad Societatem Iesu ingrediendam, applicatáque ad aratrum manu, retrò respexisse, enimuerò etiam procul resilijsse, illico in has voces erupit. Ah video, Domine, quid in me plectas. Contempsi te: hinc reus sum. Extendisti & porrexi- Luc. 9. 62.

sti mihi manum, non aspexi. Annusti, renui. Habuisti, deserui. Præter æquum igitur nihil facis, si deseris desertorem, & vitam mihi abscindis illam, quam tibi viuere negaui. Hoc dudum, prædixisse te, audiui. Tua enim sunt illa: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia:* in quali ego nunc sum. Suscipiam igitur, quod merui, &, qui religiosè nolui viuere, conabor saltem religiosè mori: &, dum spiritus supereſt, inconstantiam meam non desinam plangere; peccatáque, quæ lachrymis nequeo delere, sanguine ac nece lubens expiabo. Dixerat hæc calentibus verbis adolescens, cum ei in mentem venit, non ita ad extremum omnia ducta esse, vt Deo non supersit modus succurrendi. Subibat, è medio leonum lacu, Danielem; ex incendio Babylonico, tres pueros; ex ipsis ceti visceribus viuum atque incolumem Ionam Propheten eductum esse. Occurrit & illud: *Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Hinc spes illi accensa, hinc oratio in hunc ferè modum effusa est: *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea.* Itémque: *Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.* Móxque voto se obstrinxit, in proximo Societatis domicilio, si ferale illud claustrum manúsque sanguinarias euasisset, petiturum, vt in album Sociorum reciperetur; addiditque illud Propheticum: *Quæcunq; voui, reddam pro salute Domino.*

Prou. 1. 26.

Ion. 2. 1

1. Reg. 2.

Ion. 28.

Psal. 118.

Ion. 2. 10.

VIII. Vouerat, & extemplo serenitas menti reddita est, nondum etiam cognita securitate. Erat tunc non sine luna cœlum, & per os cupæ radij clariores in captum incidebant. Ea dolij apertura, pro fenestra, vsus, ad luporum accurrentium vlulatum excitatus prospexit. Ibi nouus eum horror inuasit, nam complures vidit lupos dolium vndique, in omnem partem, circumeuntes, & naribus hariolantes, quid intus esset. Cœnam nimirum famelici, ex odore, indagabant. Ibi demum cæpit iuueni carcer suus esse charus, cuius effractores nolebat esse lupos. Sed intelligite potentem Dei sapientiam atque bonitatem. Quàm ex exiguo malo ingens procurat bonum? Ex metu iocum, ex ioco quantum attulit beneficium? Dum lupi circa dolium súsque déque vagantur, ca-

súne

sûne dicam, an diuina manu, vnus appendiculæ summitatem, per os vasis, immersit, eáque faciem adeò ipsam intus prospectantis leniter demulsit. Ibi, seu natura, seu bonus potiùs, Genius suggessit, extemplo iuuenis palpum vtraque manu arripit, caudámque lupi omnem, aduersis pilis, intro ad se trahit, ante interitum suum, vltimò lusurus. Lupus vbi se captum sensit, primò horrendùm cæpit vlulare; ad quam vocem ceteri omnes in fugam se dederunt; deinde conari institit, an se posset è vinculis liberare. Lepidum erat, funesto tempore, certamen, hinc lupi trahentis, inde retrahentis adolescentis, lupûmque, quanta maxima vi poterat, tenentis. Bestia, quò magis se se astrictam colligatámque animaduertebat, eò magis nitebatur in contrarium euadere; tantóque impetu ferebatur, vt dolium ipsum, vnà cum suo incola, post se, ad abruptum aliquem saxosûmque locum raperet. Ridebat intus vector, mirabatúrque, tam citò è cupa rhedam esse factam, & ex victima aurigam. At vbi, acto, per præceps, & lupo, & dolio, impactóque identidem in scopulos, ac tandem etiam rupto solutóque vase, se in auras editum vidit, lupum manu misit, qui, libertate accepta, ne respiciens quidem, diffugit.

IX. Adolescens autem in pedes pariter & spem euadendi erectus, per auia & inuia, se quàm longissimè inde proripuit, intercurrendum, Deo laudes dicere non oblitus, sed illud, aut aliud quid simile identidem vsurpans: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Nam, quod voui, exequar, non executurus, nisi me in extremum discrimen coniectum sapere docuisses. Nullus enim vnquam Diogenes, in dolio tam vtiliter est Philosophatus. Hæc ærumna mea, fuit schola tua. Maxima gratia fuit, in latrones incidisse; illi me ex laqueis diaboli, ex ipsis incendijs inferni, eripuerunt. *Cognoui, Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Hæc angustia cor meum dilatauit. Hæc nox mentem meam illuminauit. Proximus morti, didici viuere. Viuam, & vt tibi viuam, Domine, Mundo moriar. Hæc talia, per totam noctem, cum Deo, & secum est locutus, diéque reddita, aliò, quàm priùs iter instituit. Nam ad proximum Societatis Collegium profectus, admitti in tirocinium flagitauit. Admissus est, & in religione constanter viuens, Deo, pro tam mi-

Ion. 2. 3.

Psal. 118.

rabili vocatione, nunquam se satis esse gratum posse, agnouit; vt qui eum, per errorem siluæ, in viam salutis; per captiuitatem lupi, in libertatem; per latronum pericula, ad veram securitatem reduxisset. Dubium non est, latrones postea, ad iuuenem è custodia eximendum atque contrucitandum reuersos capere non potuisse, quibus alis, dolium è loco suo auolârit: cum ne vespertilio quidem, qui sine plumis volat, volet sine alis.

X. Scio consuetum multis, vt Tellenis cantilenas canant, qui vtiq; hanc à me narratam historiam dicent, esse pulchram fabulã. Cum illis non contendam. Suo nimirum pede alios metiuntur: nam cum ita se gerant, vt nemo illis possit credere, etiam ipsi credunt nemini. Qui autem norunt, quàm sit *mirabilis Deus in sanctis suis*, diuina opera, nequaquam humanis iudicijs temerant, sed suspiciunt ac venerantur dicentes: *mirabilia opera Altissimi.* Qui & alios complures *deduxit in via mirabili.* Nam prope similimam historiam prolixè describit Ludouicus Richeomus; de Tristano, qui itidem priùs in latronum manus incidit, quàm nuncium Mundo remitteret; immo præsentiori periculo ereptus est. Etenim Vincentius, Theodosius & Lazarus eum repererunt, in silua, *sub ingenti & procera quercu, solo iudusio tectum, terræ porrectum, & instar eorum, qui rotæ supplicio afficiuntur, palis quatuor alligatum*, ac lupum manu tenentem, qui eum, cum alijs quatuor, deuoraturus erat, nisi diuinitus ereptus fuisset. Historiam curiosè iucundam, cum & longa sit, & author in manibus habeatur, piget exscribere. Sufficit, quod ego narraui, exempli similitudine confirmauisse; eiúsque bonitatem laudauisse, *qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus*; illique paruisse, qui ait: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei; & narrate omnia mirabilia eius*: neque aliquid fortuitum vocate, si in casum inopinatum inuoluamini; sed agnoscite hominis casum, Dei esse consilium; Fortunam mortalium, Numinis aut gratiam aut pœnam; stultorum denique *Fata*, non esse, quod ipsi fingunt, tollentia, sed punientia malè vsurpatam peccantium libertatem. Neque enim in casibus humanis *Fortuna* aut *Fatum*, sed diuinæ Prouidentiæ iudicia dominantur.

Pſal. 67. 36.
Eccli. 11. 4.
Sap. 10. 17.
Ludou. Richeom. in Peregrino Lauretano. cap. 147.
Iob. 9. 10.
Isa. 12. 4.
Pſal. 104. 2.

CAP. XXIV.

CAPVT XXIV.

Quid non sit, aut quid sit FORTVNA, CASVS, FATVM? *& in his omnibus Deum dominari.*

I.

PRæcipuus ferè error est mortalium, vt credant, *Fortunam*, aut *Fatum*, in casibus humanis, dominari: quorum vno Prouidentiam è medio tollunt, altero necessitatem ipsi Deo imponunt; & vtroque efficiunt, vt Deus non esse Deus videatur. Si enim Deo necesse est Deam adiungere, quæ *Fortuna* vocetur, atque hunc Mundum regat; conficitur, Deum non sufficere, ad hunc Mundum gubernandum. At qualis ille esset Deus? quàm parum omnipotens? quámque inops, si *Fortunæ* ope auxilióque indigeret? Quod etiam consequens est, si vlla *Fati* necessitate vrgeatur. Siquidem nulla est omnipotentia, vbi necessitas manum iniicit aliquid facere cupienti. Quin neque illi ipsi rectè sunt ratiocinati, qui, cum omnia assererent fortuitò contingere, *Fortunam* esse Deam crediderunt. Si enim Dea illa aliquid fieri voluit, ergo id, non *fortuito casu*, sed Deæ consilio ac voluntate euênit, aut si fortuitò euenit, ergo id Dea nulla voluit euenire. Qua de caussa Epicurus, teste Nicephoro, *nullos Deos asseruit, omniaq; fortuitò, & sua sponte existere sensit, & Mundum, nulla prouidentia regi, apertè docuit.* Quid necesse est prouidere, si omnia quadam *Fati* necessitate fiunt? quid consulto opus est, si omnia fortuitò contingunt?

Nicephor. lib. 10. hist. Eccles. c. 26.

II.

Et tamen fuêre, qui ita stulteserent? Apud Poëtas, *Fortuna gubernans, cæca, fatalis, omnipotens* vocatur. Poëtas secuti sunt oratores. Tullius scribit: *Magnam esse vim, in Fortuna, in vtramq; partem, vel ad secundas res, vel ad aduersas, quis ignorat?* Idem alibi, *dominam rerum Fortunam* appellat. Iam si de Philosophis sit sermo, *Fortunam insanam esse & cæcam, & brutam perhibent Philosophi*, ait author ad Herennium, *saxóq; instare globoso prædicant volubili.* Ex Niceta constat, *Fortunæ* imaginem, apud quosdam, nouaculæ impositam, vel globo, ad properæ *Fortunæ* periculum & instabilitatem designandam: quod habet etiam Dio Chrysostomus. Apud alios, erat gubernaculum nauis insertum manibus eius,

Lucret. l. 5. Cic. l. 2. Offic. Cicer. pro Marcello. Author ad Heren. Nicet. 4. thesaur. in appendic. 1. ad hæres. 42. Dio Chrys. orat. 64.

eius, tanquam rerum vniuersitatem moderantis. Certè, præter Epicurum, paulo priùs, citatum, Democriti & Empedoclis, vt testatur Aristoteles, sententia fuit, omnia, in Mundo, formata esse ex fortuito impetu atque concursu atomorum: omnia item, quæ in Mundo fiunt, fieri *casu*. *Cebes Philosophus*, teste Cicerone, *aliiq; veteres Fortunam cæcam effinxerunt, furenti similem, volubili saxo pendentem. Quo picturæ artificio significare volebant, eam nihil ratione aut iudicio, omnia temerè & cœco impetu administrare; rerum humanarum aleam susq; déq; vertere; iniquam vexatricem esse; malis propitiam; bonis aduersam; vagam ac versatilem; & in sola leuitate constantem.* Quid multis opus est? eò dementiæ ventum est, vt Romani *Fortunam* Deam maximam cum putarent, illam tamen, vt notat Clemens Alexandrinus, in sterquilinio locarent, scilicet *dignum Deæ templum secessum tribuentes*, ait idem. Nondum satis est: vsque eò Romani insaniuerunt, vt hanc Deam, in sterquilinio, collocatam, adorarent; immo etiam *Malæ fortunæ* aram in Exquilijs extruerent. Seruius Tullius non solùm, in Capitolio, *Fortunam Primigeniam* & *Obsequentem* dedicauit; sed etiam iactare & prædicare ausus est, sibi consuetudinem intercedere cum *Fortuna*, quam, per fenestram quandam, in suum cubiculum, ad se delabi dictitabat. Euersum eius templum, grauiter vltum Iulianum, quasi summum nefas esset factum, scribit Nazianzenus. Nimirum rectè dictum est à M. Tullio: *Non ipsa solùm Fortuna cæca est, sed eos etiam plerunq; efficit cæcos, quos complexa est.* Et ille:

Fortuna, nimium quem fouet, stultum facit.

Aristot. l. 2. Phys. c. 4.

Clem. Alexandrin. in protrepr.

S. Greg. Nazianz or. 3. Cic. in Lælio.

III.

Quod vtinam Ethnicis tantùm contigisset! Nunc, non modò Bupalus, apud Smyrnæos, sed etiam Christiani, Ethnicismũ obolentes, Deam hanc nudam, cœcam, secundo flatu carbasa ventilantem, in libris, in nummis, in scutis, in columnis, in ipsis ædium vestibulis pingunt & suspendũt, vt necesse esset vel ipsos, qui transeunt, cœcos fieri, ne impudentem Deam aspicerent; vel nudam vestiri, vt aspici non posset. Neque satis est, Veneream imaginem huic Deæ poni; à plurimis Dea habetur, à plurimis, vt Dea colitur: à plurimis, cum Sallustio, dicitur, *Fortuna in omni re dominatur: ea, res cunctas, ex libidine magis, quàm ex vero celebrat obscuratq;* An non enim multi, sermone quotidiano, *Fortunam* suam vel laudant, vel accusant; vel etiam inuocant? An non *Fortunæ* plurima attribuunt? An non dicunt, inter ludendum, sibi *Fortunam* fauisse,

Paulan. l. 4.

aut

aut defuisse? in prœlijs, in negotijs, in venatu, in itineribus, in matrimonijs contrahendis, & denique, in qua re, non tribuunt primas *Fortunæ?* Huic victoriæ, huic lucra, huic prædæ, huic optata omnia ascribuntur. Ita vanitas veritati, & Dea falsa, vero Deo antefertur. *Toto Mundo & locis omnibus*, ait Plinius, *omnibúsq; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur: volubilis, à plerisq; verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramq; paginam facit; adeóq; obnoxiæ sumus sortis, vt sors ipsa pro Dea sit.* Nisi quòd *Fortunam* Deum à Philosophis quibusdam dictum, quam vulgus *Fortunam* nominat Lactantius & Arnobius referunt & refellunt. Parum enim refert, virum an fœminam esse fingas, si mentiaris.

Plin. lib. 2. Lactant. l. 3. c. 28. & 29. Arnob. l. 3.

S. Augustinus, quia ipsius tempore multæ adhuc supererant reliquiæ Gentilium *Fortunam* pro Dea habentium, ne illis daretur occasio errandi, aut superstitio eorum authoritate ipsius confirmata videretur, etiam quòd nomen *Fortunæ*, licet bono veróque sensu, vsurpârit, seipsum reprehendit. Refert ergo plurimùm, ad diuinæ Prouidentiæ laudes redintegrandas; errorémq;, plus, quàm vulgò putatur, pernicioſum rudi popello eripiendum, vt ostendamus, nec *Casum* pro Deo, nec pro Dea *Fortunam*, sed, in vtrisque, Deum verum rebus humanis omnibus dominantem esse agnoscendum. Veteres enim, quia latentes antea, subitóque erumpentes inexpectatos euentus animaduerterunt, quorũ caussam cum ignorarent, nec tamen nullam esse, sibi persuaderent; occultum quoddam Numen esse, à quo ij prouenirent, id est, *Fortunam* statuerunt, ipso Cicerone dicente: *Ignoratio rerum atq; caussarum Fortunæ nomen induxit.* Testatur Nicephorus, nonnullos Græcos Philosophos pugnauisse *præstantibus libris aduersus Epicuri sectatores*, Fortunæque cultores. quod & Paulinus fecit epist. ad Iouium, & S. Hieronymus in cap. 65. Isaiæ, ad illud: *Ponitis Fortunæ mensam*, aliique.

IV.
S. Augustin. l. 1. Retract. c. 1.

Nicephor. lib. 10. hist. Eccles. c. 26.

Egregiè Lactantiùs hanc superstitionem, vnà cum origine sua, attingens, antiquos stultos potiùs, quàm sapientes perstringit, his verbis: *Non dissimili errore credunt esse Fortunam, quasi Deam quandam res humanas varijs casibus illudentem; quia nesciunt, vnde*

V.
Lactant. l. 3. diuinar. Institut. c. 27.

sibi bona, & mala eueniant. Cum hac se compositos ad præliandum putant, nec vllam tamen rationem reddunt, à quo, & quam ob causſam; sed tantùm cum Fortuna se digladiari mentis omnibus, gloriantur. Iam quicunq; aliquos consolati sunt, ob interitum, amissionemq; charorum, Fortunæ nomen acerrimis accusationibus prosciderunt: nec omnino vlla eorum disputatio de virtute est, in qua non Fortuna vexetur. M. Tullius in sua consolatione pugnasse se semper contra Fortunam, loquitur; eámq; à se esse superatam, cum fortiter inimicorum impetus retudisset; ne tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus, patria caruit. tum autem cum amiserit charissimam filiam, victum se à fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, & manum tollo. Quid hoc homine miserius, qui sic iaceat?

VI. Erigendus est igitur, & docendus homo, quid nõ sit, aut quid sit *Casus* & *Fortuna*. Nam, teste Augustino, *omnino audiendi non sunt, qui putauerunt, sublimes quidem Mundi partes, id est, à confinio corpulentioris aëris huius, & supra, diuinâ prouidentiâ gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam, aërisq; huius vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubésq; consurgunt, Casibus potiùs & fortuitis motibus agitari. Contra hos loquitur Psal. qui, cum explicasset laudem cœlestium, se etiam ad ista inferiora conuertit, dicens: Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi: Ignis, grando, nix, glacies, & spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum eius. Nihil enim tam videtur Casibus volui, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies vertitur & variatur. Sed cum addit: quæ faciunt verbum eius; satis ostendit, earum quoque rerum ordinem diuino subditum imperio latere nos potiùs, quàm vniuersitatis deesse naturæ. Quod autem ore suo Saluator dicit: Vnum passerem non cadere in terram, sine Dei voluntate; & quòd fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse idem vestiat, nonne confirmat, non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas eius & abiectissimas particulas diuina prouidentia regi?* Immò vsque adeò *Fortunæ* cultus, immo mentio displicet D. Augustino, vt in libris Retractationum, non dubitet, suos de ea loquendi modos corrigere. *In tribus libris meis de Academicis*, inquit, *non mihi placet, toties me appellasse Fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in ex-*

S. Augustin. lib 5. super Gen. c. 21.

S. Augustin. l 1. Retract. c. 1.

terius

ternis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forsan, forsitan, fortassè, fortuitò: quod tamen totum ad diuinam reuocandum est Prouidentiam. Hoc etiam ibi non tacui dicens: Etenim fortassè quæ vulgò Fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; nihilq; aliud in rebus Casum vocamus, nisi cuius ratio & caussa secreta est. Nihilq; seu commodi, seu incommodi contingit, quod non conueniat & congruat vniuerso.

VII. Lactant. l. 3. cap. 28.

Elegantissimè rursum & disertissimè Lactantius *Fortuna*, inquit, *per se nihil est: nec sic habendum est, tanquam sit in aliquo sensu. Siquidem Fortuna est accidentium rerum subitus atq; inopinatus euentus. Verùm Philosophi, ne aliquando non errent, in re stultâ, volunt esse sapientes: qui fortunæ sexum mutant, eámq; non Deam sed Deum esse dicunt. Eundem tamen interdum naturam, interdum fortunam vocant; quòd multa (inquit idem Cicero) efficiat inopinata nobis, propter obscuritatem, ignorationémq; causarum. Cum igitur causas ignorent, ppter quas fiat aliquid, & ipsum, qui faciat, ignorent, necesse est. Idem in opere valdè serio, in quo præcepta vitæ deprõpta ex Philosophiâ filio dabat, magnam, inquit, esse Fortunæ vim in vtramq; partem, quis nesciat? Nã & cum prospero flatu eius vtimur, ad exitus peruenimus optatos, & cum reflauerit, affligimur. Primùm, qui negat, sciri posse quicquam, sic hoc dixit, tanquam & ipse, & omnes sciant. Deinde, qui, etiam quæ claræ sunt, dubia conatur efficere, hoc putauit esse clarum; quod illi esse debuit vel maximè dubium, nam sapienti omnino falsum est. Quis, inquit, nesciit? Ego verò nescio. Doceat me (si potest) quæ sit illa vis, qui flatus iste, & qui reflatus? Turpe igitur est, ingeniosum hominem, dicere id, quod, si neges, probare non possit. Postremo, quòd is, qui dicit, assensus esse retinendos; quod stulti sit hominis incognitis rebus temerè assentiri: is planè vulgi & imperitorum opinionibus credidit, qui fortunam putant esse, quæ hominibus tribuat bona & mala. Nam simulachrum eius cum copia & gubernaculo fingunt; tanquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Virgilius assentit, qui Fortunam omnipotentem vocat: & historicus, qui ait: sed profectò Fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris Dijs loci superest? cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest, aut sola colitur, si omnia? vel si tantùm mala immittit; aliquid causæ proferant, cur, si Dea sit, hominibus inuideat, eósq; perditos cupiat, cum ab his religiosè colatur: cur æquior sit malis, iniquior autem bonis. Cur insidietur, affligat, decipiat, & exterminet: quis illam generis hominum perpetuam vexatricem con-*

stituerit: cur deniq; tam malam sortita sit potestatem, vt res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obscuretq;. Hæc, inquam, Philosophos inquirere oportuit potius, quàm temere innocentem accusare Fortunam: quæ, etiam si sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quàm putatur. Itaq; illæ omnes orationes, quibus iniquitatem fortunæ lacerant, suásq; virtutes contra fortunam superbissimè iactant; nihil aliud sunt, quàm deliramenta inconsideratæ leuitatis. Quare non inuideant nobis, quibus aperuit veritatem DEVS: qui, sicut scimus nihil esse fortunam, ita scimus, esse prauum ac subdolum spiritum, qui sit inimicus bonis hostisq; iustitiæ; qui contraria faciat, quàm DEVS, cuius inuidiæ causam in secundo libro explicauimus. Hic ergo insidiatur vniuersis: sed eos, qui nesciunt DEVM, errore impedit; stultitiâ obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad Diuini hominis peruenire notitiam; in quo vno & sapientia continetur & vita perpetua. Eos autem, qui DEVM sciunt, dolis & astutiâ aggreditur, vt cupiditate & libidine irretiat; ac peccati blandimentis deprauatos impellat ad mortem, vel, si dolo nihil profecerit, vi & violentiâ deijcere conatur. Hic ergo humani generis, ab initio, deceptor homines inducit, vt *Fortunam* aliquid esse existiment, quod sit inuocandum; &, dum bonos vexat, malos tanquam suos fouet, *Fortunam*, tanquam Numen inuexit. Diximus, quid non sit *Fortuna*.

VIII. S. Augustin. lib. quæst. XCI.

Quid ergo tandem est *Fortuna? Fortuna intelligenda est pro ijs rebus*, ait D. Augustinus, *quæ fortuitu videntur accidere, non quia numen aliquod sit, cum hæc ipsa tamen, quæ fortuita videntur, causis occultis diuinitus dentur. Vnde etiam verba, quæ nemo potest auferre à consuetudine loquendi parata sunt, id est, Fortè, Fortassè, Forsitan, & Fortuitu.* Et alio loco: *Secundùm opinionem hominum, ea dicuntur esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes contingunt.* Ab Aristotele *Fortuna* & *Casus caussa per accidens*, vocantur, ratione hominum scilicet, qui causas illas ignorauerunt, aut non prospexerunt: ratione autem Dei viuentis & omnia videntis, nihil casu aut fortuitò euenire potest: quia, eodem S. Patre teste, *Prouidentia Dei summi, non fortuita temeritate, regitur Mundus. Nam*, vt idem alibi disputat, *cũ extrema & exigua corpora à nutu & regimine Dei prouidentiæ tanta dispositione formentur, vt aliquando diligentiùs cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem, & cum animæ natura ratione corpori antecellat, quid est dementius, quàm putare, nullum esse prouidentiæ iudicium, de moribus hominũ:*

Idem lib. 5. de Ciu. Dei. cap. 1.

Aristot. 2. Phys. c. 5.

S. Aug. l. 9 de Ciuit. c. 13.

Item lib. 5. super Genes. cap. 22.

cum in-

tum in eorum carne tantæ eius solertiæ clareant, & demonstrentur indicia? Sed hîc, vt in re obscura & magni momenti, clarum ac firmum fundamentum iaciamus, aliquantulum nobis Philosophandum est.

IX.

Ex Aristotelis igitur, ac vero Philosophorum sensu, *Fortuna* & *Casus* numero caussarum efficientium accensentur; etsi *caussæ per accidens* debeant appellari. Pone eundem & architectum & Musicum. Architectus est *caussa per se* domus, Musicus dicitur *caussa per accidens* domus eiusdem; quia ars canendi coniungitur planè per accidens cum arte ædificandi, in architecto: adeò vt *per accidens* Musicus ædificet. Potest tamen & solet contingere, vt duæ caussæ inter se quidem *per accidens* coniungantur, effectum tamen *per se* producant coniunctæ. Atque tunc dicuntur singulę, ratione illius effectus, *caussæ per accidens*, & *Fortuna* vel *Casus*. Sic, ad inuentionem thesauri, concurrunt & ille, qui thesaurum defodit, & ille qui effodiendo terram (agri alioqui colendi caussa) thesaurum inuenit. at qui defodit, & qui effodit, singuli sunt caussa *per accidens* inuentionis thesauri. Quare infossio, vel etiam effossio illa terræ *Fortuna*, vel *Casus* appellatur. Quod vtique est ratione thesaurum abscondentis, qui non voluit thesaurum ab altero inueniri; itémque etiam respectu thesaurum inuenientis, qui agrum colere, non thesaurum inuenire intendit. At Deus intendit, vt vno thesaurum abscondente, & altero, alia de caussa, terram fodiente, thesaurus & ab illo amitteretur, & ab isto reperiretur. Sic enim vtriq; conducebat. Hoc igitur pacto, neque *Fortuna*, neque *Casus* erat; sed ratione amittentis, pœna; ratione inuenientis, gratia. Disposuit ergo Deus, vt & infossio, & effossio concurrerent: qui concursus, aut quod complexum non est *Fortuna* aut *Casus*, sed est *caussa per se*, cum infossionem thesauri, & effossionem terræ, eodem loco, inuentio thesauri necessariò ac determinatè sequatur; sicut ex igne calefactio. Quod si infra Deum foret aliqua naturalis quoque caussa superior, quæ vim haberet coniungendi has duas caussas, defossionem scilicet vnius, & effossionem alterius, ex qua inuentio thesauri sequitur, tum non diceretur illa caussa superior, *caussa per accidens*, sed *caussa per se*; quemadmodum, si quis duos habens famulos, Petrum & Paulum, iuberet Petrum defodere arcam auro plenam, & deinde Paulum iuberet inibi effodere terram, non diceretur ille Dominus *casu* thesaurum reperisse, aut *bonam Fortunam* habuisse;

Aristot. 2. Physic. tex. 39. Vide & 5. Physic. tex. 57.

idque ob duas causas, primò, quia, ex intentione thesauri reperiendi, iussit Paulum effodere terram; secundò, quia per se, mediante Petro infodiente, & Paulo effodiente, ad inuentionem thesauri concurrit. Quod sanè Deus, in omni *Casu* facit. Vnde, tametsi multa contingant *casu*, & *fortuitò*, ratione agentium creatorum, secundarúmque causarum, nihil tamen contingit *casu*, ratione Dei; qui multas rationes habet, cur illas causas *per accidens* vel concurrere sinat, vel ipse coniungat. Atq; hic concursus, seu ista causarum complexio, vna cum causa summa illas connectente atque ordinante, *Fatum* dicitur, quod Boëtius definit: *inhærentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam diuina Prouidentia suis quæq; nectit ordinibus.* Diuina, inquam, Prouidentia, nō *cœlum*, quod quidam putant esse causam per se connectentem alias causas inferiores.

Boët. l. 5. de consolat. pros. 6.

X. Sic explicatâ *Fortuna* & *Casus* naturâ, duo obserue, primum est, ab Aristotele aliisque compluribus, ipsam fossionem, qua thesaurus obruitur, vel eruitur, *Fortunam*, aut *Casum* nominari; vnde etiam *Fortunam* & *Casum* ad causam efficientem, licet *per accidens*, & præter intentionem vtriusque fodientis, reuocat: ab alijs autem ipsum euentum, seu inuentionem thesauri *Fortunam*, aut *Casum* nominari. Quod parum interest, cum ipsa etiam inuentio, sit quædam effectio, seu causa, ob quam thesaurus habetur, & non rarò effectus à causa denominetur. Alterum est, ferè idem esse *Casum* atque *Fortunam*, nisi quòd hæc presiùs, in ijs duntaxat posita sit, quæ ex proposito & consultò, seu propter finem, ex electione geruntur; *Casus* autem magis latè patens, sit *causa per accidens* etiam in illis, quæ alicuius gratia quidē, & propter finem, sed siue cum, siue sine electione fiunt. Hinc lapides, è quibus Deorum altaria constarent, non, nisi similitudine quadam, Protarchus *fortunatos* vocauit.

XI. Qui hæc fundamenta penetrat, facilè vitat errorem Ethnicorum, & magna luce perfusus multas à se propellit animi perturbationes. Tametsi enim, non rarò, horrendi quidam Casus, præter mentem voluntatémque hominum, aut secundæ alicuius causæ ingenium, accidunt; non accidunt tamen præter voluntatem Dei, qui est causa prima, liberè, prouidè & creaturarum naturis congruè mouens & inter se connectens causas secundas. Itaque mortalibus aliquid fortuitò contingit, quia ignorant diuinæ pro-

næ prouidentiæ consilia & scopum, ac, in cœlestibus arcanis, consultissimum cõcursum, vel impedimenta caussarum aliarum Deo, cuius sapientia omnia regũtur, & cuius oculis omnia patent, nihil est fortuitũ, aut inopinatum. Omnia aut definit, aut permittit, atq; in bonum finem dirigit, etiamsi ipsa mala sint, & contra mentem votúmque caussæ particularis. Scitissimè Hipponensis Antistes: *Nihil*, inquit, *in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaq; Rep. est, quod non de interiore atq; intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur.* Et rursum. *Quidquid Casu fit, temerè fit, sine prouidentia fit: sed nihil extra diuinæ prouidentiæ regulam accidit: ergo, respectu illius, nihil temerè, aut vice fortuita potest accidere.* Vulgus igitur & plebeia insciticia, stultorúmque error ac superstitio Deam Fortunam credit; quæ negotia humana regat. Qui rectè sapit & censet, non *Fortunæ*, sed Deo sacrificat; neq; cæcam Deam, quæ nescit & non videt, cui det, vel neget, sed omnia videntem diuinam bonitatem, rebus gerendis aduocat. Christianè Ethnicus poëta:

Prou. 16. 2.

S. Aug. l. 3. de Trin. c. 4.

Iuuenal. Satyr. 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus, Fortuna, Deam, cœlóq; locamus.

Quare certa sententia tenendum est, ea, quæ, hominum iudicijs respectúque, *Casu* eueniunt, apud Deum omnia clarissimè intuentem, consilio certo iustóque euenire; item quæ, apud nos, fortuitò fiunt; fieri, apud supremum rerum omnium Moderatorem, omnes rerum caussas casúsque prouidentem ac disponentem, sapientissimâ destinatione. Nihil illi incertum est. Ipsa etiam contingentia necessariò nouit. Nunquam dubitat, etiamsi nostro se sermoni accommodans videtur subinde loqui dubitanter.

XII.

Reperimus, apud Ieremiam, Deum sic loquentem: *Noli subtrahere verbum, si FORTE audiant, & conuertatur vnusquisq; à via sua mala:* & apud Ezechielem: *Hæc dicit Dominus Deus, si FORTE audiant, & quiescant,* & similia complura, in quibus formulis, fatetur D. Ambrosius apparentem quidem, re autem ipsa planè nullam dubitationem esse. Neque enim Deus, humana incertitudine dubitat; sed dubitanter loquitur, vt humano more loquatur. Quin neque homines ipsi semper dubitant, quando dubitanter loquuntur. Sic enim Ioël ait: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, qui benignus, & misericors est: patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malicia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat,*

Ieremi. 26. 3.

Ezech. 3. 11.

S. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 4. & 5.

Ioël. 2. 14.

noscat, & relinquat post se benedictionem? Et paria habentur, apud Ionam. Quibus locis non dubitatur de Dei misericordia, licet in sermone figura sit dubitantis. Enimuerò, *ipsi sapientes seculi*, ait S. Ambrosius, *omnem gloriam suam statuunt in expressione verborum, quæ Latinè FORTE dicimus, Græcè τάχα, non vbiq; pro dubitatione posuerunt.* Quod etiam Homeri exemplo docetur.

Ion. 3 9.

Iliad. 6.

XIII.

Cur autem Deus quoque hac loquendi formula subinde vtatur, præter caussas, quas modo attigi, tradit D. Gregorius, quando Deus dubitantis in morem loquitur, mysterium subesse, vult enim innuere, vel voluntatis nostræ libertatem, cui nimirum diuina voluntas, aut præscientia nõ imponit necessitatem: aut difficultatem rei, vel paucitatem facientium id, quo de agitur. Quòd si homo aliquis dubitanter loquatur, obseruandum est, an res sit eiusmodi, vt turpe sit, illum de ea dubitare. Nam quando Petrus ad Simonem dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, non dubitauit de remissione culpæ; cum ea ipsa sententia ostenderit, spem veniæ & pœnitentiæ locum nemini esse negandam. Iubet enim pœnitentiam agere eum, *quem*, vt S. Ambrosius ait, *per magitam vanitatem, blasphemantem in Spiritum Sanctum, & puram fidei conscientiam non habentem, Apostolica iam auctoritate condemnauerat.* Igitur non dubitauit de misericordia Dei Petrus, si Simon ageret pœnitentiam: cum, præcipuè si hæc adsit, valde æquum sit, vt peccatori sua culpa remittatur; neq; dubitari fas sit de eo, quod adeò asseueranter affirmat Deus dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quia itaque de hoc Petrus non potuit dubitare, cur ait, *si forte remittatur tibi?* Nempe quia dubitare potuit, an vera esset futura Simonis & pœnitentia, & oratio; itémque, quod attinet ad pœnam, an tantus futurus esset dolor, vt totius pœnæ remissionem mereretur. Quod si verò neq; homines, cum videntur dubitanter loqui, semper dubitant, quanto minùs Deus, quem nihil latet? Nimirum hoc est inter hominem ac Deum discrimen: homo, quia mentiri potest, multa, de quibus dubitat, pro certis affirmat; Deus, qui nec fallere potest, nec falli, etsi omnia certissimò nouit, tamen, vt se se homini accommodet, loqui dignatur, per modum, dubitantis; certus ipse, quid in vtramque partem euenturum sit; immo ita caussas secundas, iuxta earundem naturas, disponens, & complicans, vt sit futurum,

S. Gregor. homil. 9. in Ezechielē.

Act. 8. 22.

S. Ambros. loc. cit. & S. August. l. de vera & falsa Pœnit. c. 3.

Zach. 1. 3.

Ribera in Ioëlem c. 2. à n. 22.

CAP. XXV.

CAPVT XXV.

Remedium impatientiæ est, scire CASVS à Deo esse; quibus hominem vel extollit, vel deprimit.

HOc est *Fortuna*, quod diximus, & aliud nihil. Immo ipse M. Tul. ait: *Quid est enim aliud sors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere, atq; euenire, vel aliter cadere atq; euenire potuerit?* Quod cum ita sit, mirandum est, hominem tam sapientem, siue immemorem, alibi Fortunæ tantùm tribuisse. Qui etiam illud ad Atticum suum scripsit: *Sed hæc Fors viderit, ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio potest.* Quantò sapientiùs Comicus ait?

I. Cic. lib. 2. de Diuin.

Cic. lib. 14. ad Attic.

Illud, quod cecidit Forte, id arte corrigas.

Terent. Adelph.

Etsi enim, quod factum est, infectum fieri non possit; potest tamen fortiùs tolerari, si ars, immo si virtus sit, qua agnoscatur à bono Deo permissum, aut immissum; quàm si ab Ate aliqua, aut mala *Fortuna* existimetur præparatum. Nam multinominis est: &, vt docet Firmicus Maternus, in cœlo, veteres posuerunt, *bonam Fortunam*, & *malam Fortunam*. Bonam, quam ἀγαθὴν τύχην vocant, 5. ab horoscopo signo; malam, quam κακὴν τύχην nominant, 6. ab horoscopo signo constituerunt. Vtramque, vt inquit Pacuuius, *insanam, & cæcam, & brutam esse perhibent.* Quis *cæcæ* non indignetur, quæ nihil cernit, quò se applicet? quis non succenseat *insanæ*, quæ tam atrox & instabilis est, nulla de caussa? quis non irascatur *brutæ*, quæ dignum, aut indignum nequit internoscere? At si quid à Deo est, est ab intuente omnia, est à sapiente, est à iusto, est à bono. Necesse est ergo, & ipsum esse bona mente datum. Æquiùs autem etiam mala ferimus, si constet, bona mente profecta.

Vnde calamitatis suæ remedium habent, qui *Casus* siniſtros atque inopinatos iracundè ferunt: qui incendia, furta, rapinas, spoliationes, naufragia *Fortunæ* suæ iniquitati ascribunt; neque vnquam desinunt, *Sortis* suæ temeritatem accusare, identidem dicentes: *malo se astro natos; Fortunam alijs bene velle, sibi nouercam esse; aut Superos humana non curare.* Deo conscio, omnia contingunt; & sæpe quidem nostram patientiam exercente; sæ-

II.

pissime autem nostram puniente impietatem. Quid *Fortunam* in ius vocant, quæ culpa caret? quid de *Casibus* queruntur, qui humani sunt, & fiunt, sicuti fieri solent; immo sæpe etiam, sicut fieri debent? Quid *Fatum* odiosum esse dicunt, quod eorum delicta non præcedit, sed sequitur? Fortasse enim infelices esse meruerunt? aut, si dispositio illa seriésque causarum, absque eorum peccato, miserias illis aduexit; non aduexit, vt fierent impatientes, sed vt occasionem haberent virtutis exercendæ. Itaque, cum talia incidunt, summi Gubernatoris laudent bonitatem, qui eos aduersis *Casibus* vult erudire, vt Hercules, aut potiùs Iobi & heroës patientia clarifiant; aut, ne nimium secundis rebus se se efferant atque insolescant. In hunc finem *Fortuna* est

Horat. l. c. 35.

Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Quid ais, Poëta? non Fortuna, aut Antij Diua, sed Deus est, qui superbis resistit, eósque, cum merentur, deijcit; humilibus autem dat gratiam. Ille est, qui, ab initio, *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Non *Casus* id fecit, sed Deus, per *Casum*. Quare qui *Casum* accusant, mordent, lacerant, cani sunt similes, lapidem inuadenti, cum non videt eum, qui proiecit. Itaque si *Casus* in pœnam est, iudici ascribite; si in gratiam, ascribite benefactori, & exclamate: *Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.*

Luc. 1. 52.

Psal. 99. 6.

III. Vultis videre regnum eius? Vt olim, per ipsum mare, duxit Israëlitas in terram sanctam; ita quotidie adhuc homines, per medios fluctus, per tumentes procellas, per breuia & Syrtes; per prosperos & aduersos casus, ducit ad portum æternæ felicitatis. Nunquid enim innocentissimum Iosephum, per inuidiam, per odia, per coniurationem insidiásque, & immites fratrum manus, per cisternam, per seruitutem, in quam, pro mancipio venditus est; per impurissimæ lenæ & leænæ calumniam, per diuturnum carcerem (nam tribus annis in custodia fuit detentus) denique per ingratissimi pincernæ obliuionem, vexatum, probatúmque duxit? Et quò, per tot casus, duxit? ad summum penè culmen dignitatis. Nam fratrum terror, patris nutritor, Ægypti Seruator, regi proximus fuit. Ita, de mala *Fortuna*, in bonam translatus docuit nos, diuinæ Prouidentiæ bonitatem, etiam in tristissimi

Iac. Salian. Año Mundi 2316. & An. 2317.

Casi-

Casibus non defuisse. Quò celsiùs turris educenda est, eò profundiora necessaria sunt fundamẽta. Extollere Ioſephum voluit Deus; vt in altum efferret, profundè humiliauit. Magis splendent, quæ magis poliuntur. Quid quòd ea sunt Numinis iudicia, vt voluerit illos ipsos fratres, per eum viuere, qui ei mortem sunt machinati: *Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt, in compedibus, pedes eius: ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius.* Non ergo impatiens, non pusillanimis factus est, in vinculis, Ioseph, non accusauit *fortunam* suam, non cogitauit de laqueo; &, quod admirandum est patientiæ exemplum, cum pincernæ diceret: *innocens in lacum missus sum*, non addidit, cuius id culpâ, aut calumnia sit factum, neque impiam mœcham voluit diffamare; sed cętera Dęo committens, generosamente, expectauit, *donec veniret verbum eius*, fierétque, quod ei Dominus, per manipulos & stellas eum adorantes, prædixerat. Itaq; *eloquium Domini inflammauit eum*, vt spe inflammatus, neque *Fortunam* suam ex impatientia; neq; Deum suum, ex ignorantia, accusaret. Quare tandem, constituto tempore à temporis authore, *misit rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ*: & Principem omnis possessionis suæ. Quis hoc fecit? Deus fecit, per varios casus fecit. deniq; per somnium Pharaonis fecit. Non liberauit illum carcere pater, qui existimabat mortuum: non fratres, qui de eo nihil ampliùs cogitauerunt: non pincerna ingratus, qui, plus quàm duobus annis, tam boni vatis immemor fuit. Quid facit Deus? somnium mittit regi. nemo intelligit. septem boues pingues & septem macilentæ, pincernæ memoriam refricuerunt, & Ioſephum extraxerunt è carceris squallore; maiorémque fecerunt, quàm domi, apud parentes, vnquam extitisset. Hæ sunt viæ Domini. Quas qui non nouit, à Domino esse, nequaquam potest esse *sorte sua* contentus; qui autem perspectas habet, *Casum* non tam *Casum*, quàm diuinum consilium appellat. Quale vtique fuit etiam illud, cum Saul amissas asinas quærens regnum inuenit. Misit eum Cis pater, vt iumenta reduceret; at Deus misit, vt in regem vngeretur. Hic *casus*, Sauli accidit, qui vtiq; nescíuit, simul quæri asinas & coronas: atqui Deo *casus* non fuit, qui illi vnam viam ad vtrumque fecit. Age igitur, quò nos *Casus* trahunt retrahúntque sequamur.

Pſ. 104. 17.

Gen. 40. 15.

1. Reg. 9. 3.

Quidquid erit, superanda omnis Fortuna ferendo est. Virg. 5. Æn.

IV. Sed videamus alios *Casus*, diuino iudicio, hominum consilijs aut factis intercedentes, qui vulgò temerè aut fortè fortuna existimantur interueniſſe. Atque, vt à vero caſu ordiamur, Syrna, Cariæ ciuitas à Podalirio eſt condita, quem caſus extulit alienus. Is enim cum, in Caria, à caprarum paſtore ſeruatus, ad Damęthum regem, foret perductus, eius filiam nomine Syrnam tecto delapſam, miſſo ex vtroque brachio ſanguine, perſanauit. Quod rex admiratus, generum ſibi optauit, Cherſoneſo illi tradita: in qua Podalirius ciuitatem condidit, de vxoris nomenclatura *Syrnem* appellatam. Syrna igitur cadendo Podalirij primùm artem, tum etiam *fortunam* extulit in ſublime. Hoc conſilium fuit Dei, fortè non meritam deijcere puellam, vt medicum erigeret, Sic enim etiam de cæco à ſe illuminando, *reſpondit Ieſus; neq; hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.*

Cælius l. 14. cap. 13.

Ioan. 9. 3.

Bonfin. l. 5. Dec. 1. Qua de cauſſa D. Martino quoque, è ſcalarum caſu, multis vulneribus affecto, in ſequenti mox nocte, Angelus contuſi corporis ita liuores ſalubri vnguento deliniuit, vt poſtero die, nihil omnino incommodi perſentiſceret: ſcilicet *vt manifeſtarentur opera Dei in illo*; aut vt ipſius quoque D. Martini ſanctitas manifeſtaretur. De his talibus dici poteſt.

Virgil. 5. Æneid. *Attulit ipſe viris optatum Caſus honorem.*

nam & diuina potentia, & ipſi, in *caſu*, ſunt honorati. Sic ſæpe conſilium eſt Numini, honorem ſuum aut aliorum Sanctorum propagandi, cum ſe homines putant, *caſu* ægrotare. Morbo ſiquidem adacti Diuorum patrocinia implorant, &, non rarò, ad ſaniorem mentem, per malè habitum corpus, reuertuntur.

V. Vult Deus nonnullis etiam oſtendere, non ingenio, vel arte, eos conſequi poſſe, quæ, præter opinionem, diuinâ ope, aliunde conſequuntur. Itaque efficit, vt *caſu* aliquo, atque *fortuna* habeant cauſſam nominis & celebritatis. Pictorem memorant, equum cum pingeret, ac reliquis quidem partibus & coloribus ſucceſſum habuiſſet, ſpumæ verò, quæ ad frenum allidebatur, atque cum anhelitu excidebat, raritatem non probaret, in pingendo ſæpius eam abſterſiſſe, tandem irritum impegiſſe impatienter tabulæ ſpongiam, ſic, vt coloribus erat infecta; quàm iniectam mirificè expreſſiſſe & reddidiſſe, quod optauerat. *Hoc artificioſum proditum eſt memoriæ vnum Fortunæ opus*, ait Plutarchus. At non tam *Fortunæ* (quæ cæca cum ſit, pingere nequit) quàm

Plutarch. de Fortuna.

Dei erat opus dicendum; Dei, inquam, per *casum*, humanæ artis superbiam erudientis, docentisque, sæpe, in re leuissima, humanam industriam deficere, & insciam aliunde fulciri, vt indaget, vnde fulciatur.

VI. Olaus Magn. lib. 9. c. 28.

Huc spectat & illud, quod de puerulo memorat Olaus, cui itidem & *Casus*: & Deus insignem gloriam peperit, quando, hoste Groningam Frisonum vrbem obsidente, artem parentis imitari volens innocens filiolus, igne in magnum tormentum bellicum immisso, caput illustrissimi ducis, in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, auulsit, & obsessis quietem peperit. Lusit tum puer, sed Deus seriò egit, qui pueri manum in hostem direxit. Dixit olim Elisæus ad regem Israël: *Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cúmq; aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam.* Sic nimirum Deus manum nos iubet admouere operi, sed manui nostræ manum ipse suam superponit. Nos arcum tendimus, Deus dirigit sagittam. Nostrum est telum iacere, Dei destinare. Quemadmodum, quando *vir quidem tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Sagittarius, *casu*, Deus consilio regem percussit. Nos quoque omnes sæpe, nescij, cum Deo, immo Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciúsque finit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat, vulnere indigentem, & ex eo ictu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorsum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

4. Reg. 13. 16

3. Reg. 22. 34

VII. Cæsarius lib. 4. c. 55.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina prouidentia, mirabili casu, in ordine Religioso conseruauit. Is à fallaci dæmone & Mundi illecebris irretitus cogitauerat Cænobio, & Deo nuncium remittere. Ea in cogitatione noctes diésque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, &, alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quóue modo, ordinem deserere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos cantus neglexerat. Ventũ erat ad *Laudes*. Ibi,

dum Canticum Habacuc psalleretur (erat enim feria sexta) Abbas Philippus, eius postea rei testis, velut circitor, vigilias obibat, visitabátque fratres, an rei diuinæ animis adessent. Inter circumeundum, reperit Monachum illum, tentationi vacantem, &, vicecantus, nictantem. Quid aliud censuisset, quàm somno victum ac semisopitum esse? Igitur, tanquam ad dormitantem, se inclinans, versiculúmque illum ipsum, qui eo temporis momento canendus erat, in aurem vocaliter admodum ingessit. Erat autem casu ver-
Habacuc. 3. siculus ille: *Egredietur diabolus, ante pedes eius.* Hac voce, & ille ad se, & tentatio ab illo ijt. Existimans enim, Abbati cogitationes suas è cœlo reuelatas, eáque propter, his Prophetæ verbis, castigatas; ipse quoque non aliter Prophetam intelligens, quàm si de eiuscemodi desertore esset locutus, noluit maledictionem hanc abeundo mereri, & diabolum viæ suæ ducem habere. Itaque plagam suam Abbati patefecit, qui mirari satis non potuit diuinæ sapientiæ, per tam inopinatum exitum, medicinam.

VIII. Noui & ego religiosissimum alioqui virum, qui, post quadraginta annos, in religione, exactos, tandem diuturnæ tentationi succumbens, è suo, ad ordinem PP. Carthusianorum transiuit; ad suum tamen ordinem, paulo post, ferè simili ratione, postliminiò reductus est. Nam eum, inter confabulandum, vt fit, iuuenis tiro interrogauit, quàm diu in priore vitæ statu vixisset? cui ille, *Quadraginta*, inquit, *annis.* Tum nouitius, Deus bone, inquit, quadraginta iam annis inibi mansisti, &, tanto tempore, non didicisti, per reliquum, quod tibi adhuc parum superest vitæ porrò perseuerare? Tetigit hoc dictum adeò hominem, vt illico suæ pristinæ se se religioni restitueret; quod planè tiro ille efficere ne-
Psal. 8. 3. quaquam cupiebat. Sed Deus, qui *ex ore infantium & lactentium* perficit laudem suam, sæpe per os aliud loqui volentium, aliud &
Ioan. 11. 51. ipse loquitur; sicut & per Caipham oraculum illud fudit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc enim à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat, pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*

IX. Quæ recensui, aliter dicta atq; aliter accepta, eò spectabant vt, profugos, ad semel piè inchoatum vitæ statum continuandum, reuocarent. Addam aliud, quod docet, Deum casu hominis vsum, ad eundem statum inchoandum: quod etsi ex mente loquentis euenit,

nit, euenit tamen planè, præter mentem eius, qui audiuit. Venerat aliquando in Germaniam S. Bernardus Abbas, ad pacem conciliandam, inter Lotharium regem Romanorum, & anteceſſoris eius Henrici nepotes. Venienti Albertus Moguntinorum Præſul, honoris ergo, Clericum, Maſſelinum nomine, obuiam miſit. Hic, vbi Bernardum ſalutauit, inter cetera, dixit, *ſe miſſum à Domino ſuo, ad ei ſeruiendum.* Quod vbi audiuit Bernardus, pauliſper eum intuitus, reſpondit: *Alius Dominus te miſit ad ſeruiendum ſibi.* Expauit, ad tam inſperatum dictum, Clericus; &, vbi ſe ſe collegit, denuò dixit, ab Epiſcopo ſe miſſum. Cui Bernardus, *Falleris*, ait, *maior Dominus miſit te Chriſtus.* Tum demum intelligens Clerus, quorſum ea verba irent, ait: *Nempe Monachum me velle fieri exiſtimas? Apage, cum tuo cucullo, quem nunquam ſomniaui.* Non paſſus eſt ſe repelli D. Bernardus, ſed, quantumuis Clerico reclamante, perſtitit, affirmauitque fore, vt cucullum Monachúmque indueret; non quòd ipſe, ſed quòd Deus iter illius ita deſtinârit. Dedit manus illico Clericus, atque, in eodem adhuc itinere, Mundo rem ſuam ſibi habere iuſſo, Monachus Clareuallenſis factus eſt. Hic *caſu* ſe obuiam miſſum exiſtimans Bernardo, magno Dei conſilio, obuiam miſſus eſt. Supra memoratis duobus, aliò, & caſu dicta, ſi vel iocantes ac mordentes, vel aliud monentes conſideres; diuinâ prouidentiâ tamen, ad conſtantiam & ſanitatem profuerunt.

Cæſar. lib. 1. cap. 8.

Notum eſt illud, ſed ad rem facit, quòd Hieronymus Platus, è Prædicatorum hiſtorijs, in hunc modum, recitat. *Bononiæ, in primis ferè Dominicani ordinis initijs, vir magnus, clárúsq; doctrina, cœleſtium bonorum amplitudine, ad hanc (* Religioſam *) vitam illectus eſt. Cum enim Reginaldus, vnus ex præcipuis illius familiæ, magno hominum concurſu, & approbatione, verbum Dei prædicaret; Monetus (ſic enim is appellabatur) de induſtria illius congreſſum & ſermonem fugere conſueuerat, multùm ſibi ab eo metuens. Tamen in Stephani martyris natali, ad eius concionem, comitum importunitate, pertractus, primis ſtatim verbis captus eſt, cum illam vocem exponeret:* Ecce video cœlos apertos. *Ita enim diſſerebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita vt quiuis ingredi poſſit; qui autem negligentes eſſent, & qui Deo cor ſuum clauderent, ijs viciſſim cœlos claudi, vt deinde intrare non poſſint. Nec pluribus opus fuit; ſtatim enim, corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à Religione, Religionis voluntà-*

X.

Hieronym. Plat. l. 3. de Bono ſtat. Relig. cap. 38.

luntatem concepit, finita concione, Reginaldum adijt, animum suum exposuit, eúmq; voti etiam vinculo adiuncto, confirmauit. Alia mens fuerat Moneti, cum templum intraret, alia ipsius Reginaldi, concionantis atque de Moneto nihil cogitantis. Itaque casus fuit, vt vnus hoc ad populum diceret, veniente altero; & vt alter veniret, cum hoc ipsum diceretur, per quod Deus volebat, alioqui satis sibi cauentem, trahere ad Religionem. O quàm mirabiles hîc modi possent enumerari Vocationum, quibus homines Deus, nihil simile cogitantes, è seculi vanitate extraxit! Et aliquammultos Platus cit. loco recensuit; quos nolo hîc recoquere: qui tamen, si rectè expendantur, ad diuinam Prouidentiam videbuntur spectare; tametsi alioqui, ratione hominum, planè meri *Casus* possent censeri.

XI. Marineus l. 10. rer. Hisp.

Quis non Deum potiùs, quàm *Casum* agnoscat, in eo, quod Marineus refert, de Maria Petri Aragonum regis septimi vxore? quæ, antea sterilis, filium, quem tandem peperit, statim ad Ecclesiam misit, ante effigiem Virginis Mariæ, offerendum? Ingrediebatur, cum infante, magna caterua aulicorum, eo ipso tempore, quo sacerdotes, qui matutinas preces cantabant (de aduentu, immo de ortu regij infantis ignari) incipiebant canere: *Te Deum laudamus.* Paulo post hinc tota pompa, ad aliam Ecclesiam, cum recens nato filio Reginæ, venit: vbi itidem sacerdotes, nihil minùs, quàm de tali hospite cogitantes, sub ipsum ingressum venientis turbæ, canere cœperuut: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Omen hoc fuisse diuinitus missum, comprobauit rei euentus. Siquidem infans ille Iacobus appellatus, reliquos omnes virtute superauit; pòst etiam, ob res præclarissimè gestas, *Fortunatus* dictus est. Haberemus fortè & nos plures *fortunatos*, si plures ad templum, eiuscemodi tempore, quo talia solent cantari, venirent. Sed pauci tam citò se è lecto tollunt, vt matutinis precibus possint interesse. Et putant aliqui, *Te Deum laudamus* cantandum esse, si vel accedant ad preces Vespertinas.

XII. VVilhelm. Malmesb. de gestis reg. Anglor. Psal. 108.

Persimili, sed infausto *casu*, cum pueri Kenelmi corpus Winchelcumbam veheretur, soror eius Quendrida, quæ eum, regnandi cupiditate, innocentem iusserat trucidari, ad illum Psalmi locum peruenit: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* Hæc dum, de fenestrâ, noua Michol, irridendo & ad psallentium lætitiam inter turbandam,

bandam, caneret, oculi, vi diuina, cauis veneficæ orbibus euulsi illum ipsum versum cruore notabilem fecerunt. Fuit autem & illud luculentum diuini iudicij testimonium; quòd, postquam Kenulphus Merciorum rex Kenelmum Quendridæ sororis fidei, fratrem ipsius, filium suum commendauit, eáque illum, per speciem venationis, in siluas eductum à satellite obtruncatum, tanquam nouum Polydorum, inter fruteta sepultum, occultauit, Romæ columba, super altare S. Petri, membranam litteris Anglicanis exaratam deiecerit, in qua, ordine, & latrocinium, & locus sepulturæ occisi Kenelmi detegebatur. Sic omnia fiunt palam, sed nihil minùs latet, quàm homicidæ: & innocentiæ *Casúsq; Deúsq;* patrocinatur.

XIII.

De Gregorio Papa VII. refert Cæsar Baronius, eum fuisse patria Soanensem, è Tusciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro (quod ignominiæ caussa aduersarij illi obiecerunt, cũ tamen ipse Dei Filius *fabri filius* voluerit dici) cum puer esset, lusitasse ad pedes patris ligna dolantis; atque tum ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formasse, ex quibus simul coniunctis illud Dauidicum exprimeretur oraculũ: DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE; quo significaretur (manum pueri ductante Numine) eius fore amplissimam in Mundo auctoritatem. *Hæc cunabula eius, & quod in puero præsbensum est diuinitus signum*, ait Cardinalis. Vnà ergo fuit videre, in puero casum, & à Deo vaticinium; quod nequaquam credendum est, *casu* accidisse, sed consilio diuino. Quemadmodum & illud, quod Gotfridus Viterbiensis de Conrado II. Romanorum Imperatore refert his verbis: *Cuano dux erat, summus inter Principes, sperans sine dubio Imperium obtinere: qui à ceteris principibus interrogatus: Quisnam ad imperium aptior videretur? Respondit quasi deridendo, dicens: Nepos meus dux Conradus videtur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, vniuersi laudant eundem Conradum, & eligunt eum. Dux verò Cuano contra dixit. Sed tamen prævaluit electio vniuersorum.*

Baron. tom. 11. Annal. An. Christ. 1073. n. XVI.

Psal. 72.

Gotfr. Viterb. part. 17. Chronici.

XIV.

Addam, quod oculatus testis retulit, de Sartore quodam, qui iuuenis adhuc, in Austria, magistro suo 50. florenos subduxit, & cum illis abiens varias prouincias est peruagatus, donec & ipse Magistrum ageret. Abierunt à furti tempore 50. itidem anni. Ac-

cidit ergo vt grandæuus, in foro obambularet, pueris in tabula nugas agentibus, cretáque, haud scitè, varias lineas ducentibus, per modum litterarum. Accedit senex sartor, bis vtique puer, scripturæque omnis ignarus etiam ipse iocari pingeréque incipit: & ecce nescius, quid scriberet, eleganter in valua hæc verba exarauit: EGO SVM FVR. Quæ verba cum aliqui scholares pueri legere nossent, factus est repentè clamor ingens iuuenilis turbæ sartorem FVREM FVREM proclamantis. Inde fama facta est, eum furem esse. Defertur res ad senatum, citatur reus, examinatur. fatetur priscum crimen. suspenditur leue quidem, sed triste pondus. Ita ludendo se prodidit, prodendo crimen, in hac vita luit, quod in alteram vitam dilatum, æternis ignibus nunquam satis expiasset. Scilicet duplex & diuersa est ratio hominibus oculos aperiendi, per secundos *Casus*, & per aduersos, vt se, & Deum nôrint. Olim Ionathas filius regis *extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum*
1.Reg.14.27
Tob.11.11. *suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Tobias autem felle piscis visum recepit. His vtiq; duplex modus illuminandorum hominum significabatur. Alij melle beneficiorum, alij felle tribulationis curantur, vt agnoscant eum, qui prosperitate potest homines regere, & aduersitate. *Cum prosperitas adest*, inquit S. Chrysostomus, *tunc maximè tempus orationum est, lachrymarum, & compunctionis, & cautelæ. In tribulatione namq; ipsa tribulationum natura vel inuitos nos corripit, & modestos facit: ablato verò tali fræno, timendum, ne ad torporem declinemus: ne de nobis Psalmista dicat: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Ita in vtrisque, prosperis & aduersis, *Casibus*, Deus dominatur.
S Chrysost hom. 17.

CAP. XXVI.

CAPVT XXVI.

CASVVM fortunatorum & infortunatorum aliæ causſæ, aliáq; exempla, viciſſitudinem inconſtantiámq; docentia humanæ felicitatis.

I.

AT omnia ſúsque déque eunt in Mundo? nulla eſt cõſtantia? vexantur boni, mali exaltantur? Perimit innoxios, & *ſeruat multos Fortuna nocentes?* Qua de cauſſa *Pittacus Mitylene templis ſcalam fecit, ad nullum aliũ vſum, quàm vt eſſet dedicatum donũ, adumbrans fortunæ repentinos aſcenſus atq; deſcenſus: aſcendentibus quodammodo his, quibus fortuna aſpirat: deſcendentibus verò, qui miſeriis premuntur.* Recte quidem Pittacus, ſi per *fortunam* intellexit eas res, *quæ fortuitu videntur accidere,* cum interea *cauſſis occultis* diuinitus dentur. Nã *Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & ſubleuat,* vel, ſicut Auſonius loquitur: *Fortuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu: Semper mouetur, variat, & mutat vices. Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit.* Quod ſi Pittacus ex hac rerum humanarum varietate Deam voluit procudere, quæ *Fortuna* appellanda ſit, Deum & ipſe ignorauit, cuius ſapientiſſimæ potentiæ opus eſt, in Mundo ſúsque déque ire res plurimas, & tamen Mundum conſeruari; &, in tanta inconſtantia, Vniuerſum tamen conſtare. Quòd autem vexentur boni & mali exaltentur, cacodæmone quidem procurante, inuidia eſt; at Numine permittente, beneuolentia eſt, magnam inde virtutibus exercendis occaſionem ſuppeditante. *Idcirco enim,* malus ille ſpiritus, ait Lactantius, *in primordijs tranſgreſſionis non ſtatim ad pœnam* (quoad locum & alligationem in Inferno, non quo ad ignem, quo ſtatim torqueri cæpit) *detruſus à DEO eſt, vt hominem malitia ſua exerceat ad virtutem. quæ niſi agitetur, ni aſſidua vexatione roboretur, non poteſt eſſe perfecta. ſiquidem virtus, eſt perferendorum malorum fortis ac inuicta patientia. Ex quo fit, vt virtus nulla ſit ſi aduerſarius deſit. Huius itaq; peruerſæ poteſtatis cum vim ſentirent virtuti repugnantem, noménq; ignorarent, Fortunæ vocabulum ſibi inane finxerunt.* Sapientiùs fuiſſent facturi, ſi Dei arcana, in talibus malis, penetrare,

Ælian. lib. 2. Variar. c. 29.

1. Reg. 2.

Lactant. l. 3. diuin. Inſtit. cap. 28.

netrare, rerúmque caducarum fragilitatem, agnoscere, indéque & modestiam, & patientiam, & fortitudinem, aliáque præclara opera exercere didicissent; cristásque demisissent, quas, in sublimi *fortuna*, nimium quantum erexerunt. *Siue alios obseruare volueris*, ait Seneca, *(liberius enim inter aliena, iudicium est) siue te ipsum, fauore seposito; & senties hoc, & confiteberis, nil, ex his optabilibus & charis, vtile esse; nisi te contra leuitatem casus, rerumq; casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna, dixeris: DIIS ALITER VISVM EST.* Visum est enim, non oportere esse, in hac vita, felicitatis stabilitatem.

Senec. l. 1. epist. 98.

II. Nam, vt taceam, sicut, in pictura, differentia colorum; in Musica vocum varietas; in theatro, personarum multitudo gratiam habet; ita & in hoc Vniuerso venustam esse rerum mutabilitatem; vtilitas præterea maxima *Casibus* inest. Fastidiretur Mundus, si omnia vnus campus essent. Sunt igitur montes, in quos ascendamus; sunt valles, in quas gradum reuocemus: neq; in plano aliquis tam suauiter quiesceret, si in alto non adeò fatigaretur. Sic euenit in hominũ vita; ibi ipsi morbi cõmendant sanitatem; calamitas illustrat felicitatem. Hæc rota est *Fortunæ*; hæ scalæ Pittaci; immò & Iacob, Patriarchæ, ni fallor, qui *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes, per eam, & Dominum innixum scalæ.* Nempe Domini hoc est opus; sic ad eum ascendendo itur; per prospera, per aduersa; per summa, per ima; & sæpe descendendo ascenditur, sæpe descenditur ascendendo. Multi enim pereunt promoti ad altas dignitates: multi corriguntur & recti fiunt, dum desinunt esse rectores. Ipse Nabuchodonosor, nisi comparatus iumentis insipientibus, ad pecudes, abiectus fuisset, nunquam sapere didicisset. Hac ipsa de caussa Lotharius & Isaacius Impp. Vgo Coenredus, Rachis, Sanctocopius, Petrus Aragonius, aliique complures reges à sceptro & purpura, ad vilem tunicam & solitariam cellam descenderunt, vt ad cœlestem coronam eleuarentur. Nec alia de caussa Carolus V. solio relicto, se abdidit, quàm vt, in terris, se humilians, in cœlis exaltaretur. Credo, ipsum orbem terrarum volubili *Fortunæ* globo idcirco similem esse, vt intelligamus, nihil in eo constare; nec figi in eo gradum posse. *Quis tam stupidus est*, inquit ille, *qui instabiles & repentinas fortunæ commu-*

Gen. 28. 12.

Baron. an. 835. & anno 1059. & 750. Plat. l. 2. de bono stat. Rel. cap. 26. Beda lib. 5 hist. cap. 20. Ælian. l. 4 Variar. c. 8.

commutationes ignoret? Sanè Lacedæmonij, cum Thebanorum domini essent, adeò rursus ab illis fuerunt subacti, vt Thebani non solùm in Peloponnesum peruenirent, verùm etiam Eurotam transirent, & Lacedæmoniorum terram deuastarent, & propemodum ciuitatem etiam ipsam cepissent, nisi veritus esset Epaminondas, ne vniuersi Peloponnesij, conspiratione facta, pro Sparta, dimicarent. Sic Dionysius tyrannus, sic Amyntas Macedo, sic Dion Hipparini filius effecit, vt, *in quo statu ipse fuisset antea, in eum tam suæ calamitatis auctorem detruderet.* Ibid.

Quid facis, ah demens? cur, si Fortuna recedat, Ouid. l. 4. de
Naufragio lachrymas eripis ipse tuo? Pont. eleg. 1.
Hæc Dea non stabili, quàm sit leuis orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, & quauis incertior aura,
Par illi leuitas, improbe, facta tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito Casu, quæ valuêre, ruunt.
Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracusa modò formidatus in vrbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipse rogauit
Submissa fugiens voce clientis opem.
Cuiq; viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Iugurthino clarus Cimbróq; triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit:
In cæno Marius iacuit, cannaq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.

III. Hæc felicitatis mutatio superbiam domat, frenátque insolentium immanitatem. *Sesostris rex Ægyptiorum victorijs illustris,* vt Paulus Diaconus refert, *currum aureum preciosissimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens à quatuor regibus deuictis plaustra subeuntibus se trahi passus est. Cum festo quodam die, regum vnus oculis conuersis, continuò retrospiceret, rotæ volubilitatem intuens, Sesostrisq; caussam respectus percontaretur, respondisse fertur: Cum stupore admiror Rotam, cum eam instabili modo ferri, atq; aliàs aliter volui, &* Paul. Diacon. de reb. Rom. lib. 17.

nunc quidem sublimia demittentem, rursus demissa sublimantem conspicio. Sesostris, vbi dictum illud intellexit, statuit, ne illi posthac currum traherent. In hac igitur felicitatis infelicitatisque rota, & metus est felicium, & spes miserorum. Quicunq; elatus est, cuicunque omnia ad votum fluunt, quoties mendicum, quoties captum, quoties miserum aspicit, putet illum sic loqui: *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Hæc qui audit, non præsumit: qui spernit, cadit. *Cræsus consultus à Cyro de bello suscipiendo contra Tomyrin reginam Massagetarum. Si tibi, ait, esse videris immortalis, nihil est opus, vt meam tibi sententiam dicam. Si verò te quoq; agnoscis hominem, illud inprimis discito, talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinat. Cyrus, imperandi libidine accensus Cræso non paruit. Itaq; in eo bello periit.* Cautior est, qui se meminit, esse mortalem: & qui se hominem esse nouit, nihil humani scit à se esse alienum. Quidquid ergo acciderit sic sapienti, non est inexpectatum, cum & illud præceptum teneat: *Fortunam reuerenter habe*; & fictam hanc Deam sciat globo insistere; aut rotæ instar volui. *Sic composito,* ait Sapiens ille, *nihil accidet. Sic autem componetur, si quid humanarum rerum varietas possit, cogitauerit antè, quàm senserit: si & liberos, & coniugem, & patrimonium sic habuerit, tanquam non vtiq; semper habiturus, & tanquam non futurus, ob hoc, miserior, si habere desierit. Calamitosius est animus futuri anxius, & ante miseriam miser, qui solicitus est, vt ea, quibus delectatur, ad extremum vsq; permaneant. Nullo enim tempore conquiescit, & expectatione futuri, præsentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo est autem dolor amissæ rei, & timor amittendæ.*

Eccli. 38 23.

Brusonius l. 2. cap 37. ex Herod. l. 1.

Senec. lib. 1. ep. 98.

IV. At mala contingunt, & sæpe, quæ omnium sunt molestissima? Iterum hîc errant homines, qui planè sua maximè æstimant, & ibi, quod dicitur, vbi dolent, manum habent. Nam sicut inuidorum oculis

Vberior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq; pecus grandius vber habet,

ita vicissim mala nostra, mala maxima putamus: & quocunque corporis membro vlcus hæret, putamus esse loco incommodissimo. Quia hominem cæcus amor sui non sinit rectè iudicare. Solon, qui *neminem, dum adhuc viueret, beatum dici debere arbitrabatur; quòd ad vltimum vsq; fati diem ancipiti fortunæ subiecti essemus: idem aiebat, si in vnum locum cuncti mala sua conuiserent, futurum,*

Val. Maxim. lib. 7. cap. 2.

vt pro-

vt propria deportare domum, quàm ex communi miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent. Quo colligebat, non oportere nos, quæ fortuitò patimur, præcipuæ & intolerabilis amaritudinis iudicare. Optimũ ergo doloris remedium est, maiores aliorum dolores expendere; morbum cum morbo; paupertatem suam cum paupertate aliorum comparare: denique seriò cogitare, quid, qui in inferno cruciantur, sustineant. Quid, miser, quiritaris? forsitan hic dolor tuus tibi est, loco æternorum suppliciorum? Nimis felices vereri debent, ne de illis dicatur: *receperunt mercedem suam, in vita sua.*

V.

Vnde, qui prudenti iudicio calculum subduxerunt, *Fortunam*, quæcunque ea demum esset, magis timuerunt blandientem, quàm sæuientem. Ipse Deus ait: *Fili, magis placent mihi patientia & humilitas, in aduersis, quàm multa consolatio & deuotio, in prosperis.* Et Christi prudentes altè cordi suo infigunt illud: *Extrema gaudij luctus occupat*; multóque magis istud: *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Præstat, post luctum, gaudia, quàm, post gaudia, luctum expectare. Philippus Macedoniæ rex, cum, vno eodémque tempore, tribus nuncijs lætissimè exhilaratus fuisset, intellexissétque, equestri cursu, quadrigas suas Olympijs vicisse; Olympiadem vxorem Alexandrum filium peperisse; Parmenionem denique, ducem suum Dardanis in pugna superiorem fuisse; sublatis in cœlum oculis: *At tu*, inquiebat, *Fortuna, pro tot bonis, leue aliquo nos affice malo.* Adeò suspecta illi fuit nimia felicitas, vt velut nimis melleam promulsidem absynthio censuerit temperandam. *Theramenes*, (qui Athenis in XXX. tyrannis fuit) *cum in quadam domo versatus, inde prodijsset, illa subito lapsu corruit. Atq; cum Athenienses alij aliunde ad eum confluerent, & inopinatæ saluti congratularentur: ille, præter omnium opinionem, respondit: O Iuppiter, cuinam me tempori reseruas? Nec multo post à reliquis tyrannis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere.* Quàm sapienter facerent, qui exemplo Theramenis, inter læta, tristium meminissent! & cum Ennio dicerent: *Nimium boni est, cui nil mali est*, quã sententiam etiam M. Tullius magni æstimauit. *Ne dicas: sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessimabor? In die bonorum, ne immemor sis malorum. Quantum autem mali metuendum sit ijs, quos peruersa vulgi opinio putat felices, quia opibus affluunt, illo exemplo discimus*, inquit Marulus, *quo traditum est* (à Paulino in vita S. Ambrosij) *Ambrosium Episcopum, cum apud diuitem quendam, hospitandi gratia, diuertisset,*

Thom. de Kemp. lib. 3. de Imit. cap. 57.
Prou. 14. 13.
Luc. 6. 25.

Plutarchus in orat. consolator.

Ælian. lib. 9. Variar. c. 21.
Plutarch. in orat. Consolat.

Eccli. 11. 27.

M. Marulus lib. 5. cap. 3.

rissetꝫ & ille se nihil vnquam, in vita, aduersi passum iactaret; è vestigio, cum suis, recessisse, dixisséq;, ideò se inde fugere, ne, vnà cum homine perpetuis prosperitatibus vsò, simul pereat. Haud ita procul excesserant, & respicientes, vident ædes illas, cum omnibus, qui ibi erant, terræ hiatu iam absorptas. Quam ergo melius agitur cum ijs, qui identidem seculi huius premuntur angustijs, vt illic felicitatem quærant, vbi casus timeri non possit? Hæc ille, quia, vt vel Ethnicus ait: *Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem ac minui.*

Senec. lib. 1. epist. 74.

VI.

Non præteribo hîc luculentum eiusce rei exemplum, quod Æmilius & Platina memoriæ prodiderunt, de Hugolino Girardesco, ciue Pisano, Guelfarum partium principe, qui, contraria factione, partim pulsa, partim perculsa, eò potentiæ domi peruenit, vt nutu omnia administraret, patriæque dominus & esset, & haberetur. Festiuo suo die, natalitia dabat: inuitauerátque, ad conuiuium, regio apparatu, factum, omnes amicos suos. Interepulandum, Fortunam suam ipse fando mirificè extulit, atque, vt laudibus suis alieno testimonio coronidem adderet, quendam ex intimis amicis Marcum interrogauit: *Quid tandem sibi deesse arbitraretur?* cui Marcus Philosophicâ libertate, *Sola*, inquit, *Numinis ira procul diúq; abesse à tam secundis rebus non potest.* Dictum graue, sed verum fuit. Nec enim multò pòst, Guelforum viribus' consenescentibus, Gibellini arreptis armis ædes eius expugnauerunt: vnum è filijs & nepotibus vim arcere conatos occiderunt: ipsum, cum duobus filijs & tribus nepotibus, comprehensum atque in turrim conclusum, fame dirissima mori coëgerunt. Hic est fortunatorum exitus; vt meritò metuere habeant, *Numinis iram procul diúq; abesse à tam secundis rebus non posse*, quibus omnia ad votum fluunt; quemadmodum spe magna se solari possunt, qui aduersis innocenter atque immeritò exagitantur. Vertitur enim *Fortunæ* rota, vna parte auream, ferream altera habens curuaturá: vt quæ hodie sunt summa, cras fiant ima; & nunc prospera, paulò pòst mutentur in aduersa. Quali in rota circumuoluti sunt diues ille purpureus epulo, in summo solio, accubans, & vlcerosus anteimas fores iacens Lazarus. Nam paulò pòst, ex infimo loco, Lazarus in Abrahæ vsque sinum est eleuatus. Tumidus autem ille vsque in Infernum est deiectus. Hanc rotam Abraham sic expressit:

Æmil. lib. 8. Platina in Nicolao III.

pressit: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hîc consolatur, tu verò cruciaris.* Hanc metamorphosin metuant, quotquot, de ijs, quæ opinione tantùm bona sunt, déque *fortunæ* sibi fauore blandiuntur. *Quid enim stultius, quàm aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? omnia ista nobis accedant, non hæreant; si abducantur, sine vlla nostri laceratione, discedant. Vtamur illis, non gloriemur: & vtamur parcè tanquam depositis, apud nos, & abituris. Quisquis illa sine ratione possedit, non diu tenuit. Ipsa enim felicitas se, nisi temperat, premit: si fugacissimis bonis credidit, citò deseritur, &, vt non deseratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit. Ceteri cum his, inter quæ eminuêre, labuntur, & illos degrauant ipsa, quæ extulerant.* Nemo igitur magnæ fortunæ credat. Nunquam immodica durauerunt. Omne lætum, tandem admiscet fletum. In orbe nihil constat. Placidum ventis mare subitò amat fieri procellosum. Vna hora cœlum sudum videt ac turbidum. Luc. 16. 25. Senec. loc. cit.

VII.

Sed & rursum, post nubila, Phæbus; post magnos imbres, magna solet remigrare serenitas. Accidunt sæpe tristia, quæ lætissimo fine terminantur; vt Deus virtutem vno tractu probet, & coronet; discántque, qui in angustia sunt, animum non despondere, sed potiùs dicere: *Tu es refugium meum à tribulatione:* itémque: *Educes de tribulatione animam meam.* Pulcherrimus virtuti stimulus est, & castimoniæ cõstantiæque, nec non admirabilis fortunę, si ita loqui licet, exemplum, quod, ante viginti circiter annos, Roma ad nos perscriptum, certísque testibus, enotatum accepi. Erat tum Romæ par coniugum, quale fuit, cum Collatinus & Lucretia viueret. Sed, quia non solet esse æqualis virtus & Fortuna, pectus latum, res angusta ambobus domi erat. Superuenit egestati annonę caritas. Igitur ad summam inopiam redacti, vt vitam sustentarent, æs alienum contraxerunt. Mos est ijs, qui lucrum student mutuo multiplicare, vt certum soluendi terminum præstituant, vsurámque aut menstruam, aut annuam iubeant pendere; quod ni fiat, extrema minantur, instar illius, *qui tenens suffocabat* debitorem dicens: *Redde, quod debes*, patientiámque rogantem *misit in carcerem, donec redderet debitum.* Ad hunc modum etiam tunc miseris illis euenit. Cum enim, ad constitutum diem, debitum expungere non possent, pecuniásque accipere magis, quàm expendere tempus & necessitas flagitaret, maritus in vincula ductus est, Psal. 31. 7. Ps. 142. 11. Liu. lib. 2. Matt. 18. 28.

ctus est, vt captus esuriret, vxore domi famem perferente; cui orbitas, quàm inedia maiorem luctum imposuit. Itaque, per Vrbem, sursum ac deorsum solicita cucurrit, omnémque, quod dicitur, lapidem mouit, vt pecuniam conquireret, pro coniuge redimendo. Periculosum est feminis, in publico comparere, aut vagari per ciuitatem. Quare & ista, dum nummos quæsiuit, in adulteros incidit, quanquam magis pudicitiæ illius testes futuros, quàm corruptores. Horum igitur vnus, cui non ignota erat patris familias absentia, intempesta nocte, adest; ferit ianuam; iubet aperiri. Pro ianua, illa fenestram reserat, & quia virum fores pulsantem neque de voce, neque de facie poterat noscere, modestè excusat, nunc tempus non esse conueniendi, solam se domi agere; marito absente, non decere alium admitti: si quid illi sit negotij, clara die veniat; nihil honesti cogitari de ijs, qui id noctis negotientur. Hæc illa & fortiter & prudenter est locuta, si dicta constantiam habuissent. Nam, qui fores pulsabat, pertinaciùs arietare, quàm illa resistere institit; & verò manus ac minas simul adhibuit. cum enim necquidquam postes effringere tentasset, ædes totas in cinerem ituras antè, quàm dilucularet, minitatus est, nisi vellet ostium reserare. Antiopæ luctum vidisses. Trepidare illa, &, quid faceret, ambigere; si pessulum reduceret, pudicitiam, si clausum teneret, domum ac vitam amissura. Quid speres? fœmina fuit. cessit. hominem ignotum sola admisit; Lucretia futura, si Penelope esse non posset; illud secum reputans: *In re mala, animo si bono vtare, aduuat.* Nec tamen se se dedere illico statuit. Igitur ingressus nefarius homo, continuò illi vitium obtulit; quod illa recusauit adeò vehementer, vt, Christiana generositate, mori mallet, quàm fœdari. Vterentur & aliæ fœminæ simili constantia, ni vinci mallent. Vicit ista, quia restitit. Hostis ergo non hostis, ne sine crimine abiret, Furinæ voluit litare, quando Veneri non potuit. Quare quidquid domi pecuniarum, vestium, vasorum habeat, apportare actutum iubet. Cui illa. quid, miser, ages, inquit? paupercula sum, *hoc quod induta sum, summæ opes*: cur vacuam vis spoliare? Instat ille; &, ni nummos afferat, pugnos intentat, verbera, vulnera, funera, incendia minatur: & addit vultum testem, se non iocari. Tanto illa perculsa metu fatetur, se duos aureos habere reconditos, præterea ne teruncium quidem, eósque ipsos ait, se, in mariti redemtionem, mutuos accepisse. Hos ipsos promere iubet.

Plaut. in Capteiu.

iubet. Promit illa; sed quia non admodum promtè, idcirco interrogat trifurcifer: An nullum domi funem habeat? eo vtique illi animam præclusurus, quod quidem facilè ærumnosissima fœminarum suspicari potuit; sed, quia mors vnicum solamen erat tam nefastæ noctis, non censuit hoc celandum. Dixit itaque, funem sibi esse, sed alium nullum, nisi quo asellus, in stabulo esset alligatus. Mandat tenebrio, ad stabulum se adducat. facit mulier, quod erat iussa. Ibi, dum sceleſtus funem impeditiùs dissoluit, subit animum feminæ, suauius esse occidere, quàm occidi; neque id legibus aut diuinis, aut humanis vetari, si quis vitam suã aliter tueri non possit, quàm alterius nece. Dum hæc talia cogitat, prægrandem clauam, qualis vel Herculi suffecisset, ponè videt parieti aclinatam, quam vtraq; manu arreptam, improbo capiti, à tergo, validissimè impingit. Cadit ille primo ictu; sed nondum exanimatus nititur denuo se in pedes erigere, surgentem illa altero fulmine prosternit, semianimémque penitus conficit, ausúque feliciter potita, se, & sua asserit in libertatem. Cadauer, ea nocte, prope asini stratum, permansit, vt eius contubernium haberet, cuius sepulturam meruisset. At mulier, quæ iam insperatam vitam viuebat, ipsâ suâ victoriâ, tristabatur. Ecquis enim, inquiebat, credet veritatem narranti? An non facti rea agar, & de homicidio conuicta vitam, cum fama, amittam, quam domi occisa honestiùs posuissem? sed Deo fidendum, qui me vtique, apud iustum tribunal, tueri poterit, quando domi contra tam iniustum defendit inuasorem. Sic nox abijt. Reducto die, adit Magistratum, &, quid domi actum sit, refert. Mittuntur ad ædem eius, qui cadauer inspiciant. Accurrunt multi, & mortuum viuúmque asinum simul reperiunt. Diu nemo inueniebatur, qui nosset occisum, adeò mors vultũ mutauerat. Tandem tamen vnus superuenit, qui varijs indicijs testaretur, hunc ipsum ante annos aliquot Roma proscriptũ, atque in eius caput trecentos aureos constitutos. Defertur res ad Senatum, inquiritur, & in tabulis publicis, nomen, & crimina, & signa rei reperiuntur. neque amplius dubitatur. Decernunt igitur feminæ, quòd perditissimum hominem è medio sustulisset, pactos trecentos aureos exsoluendos. Habuit ergo fortissima hæc Iudith, vnde & debita & maritum solueret, & vitam deinceps honestè sustentaret, tanto vtique iucundiorem, quanto è maioribus procellis emerserat.

VIII. Sic *ludens in orbe terrarum* diuina sapientia, tristia lætis, lætáque tristibus permiscet, vt neque miseri desperent, neque felices insolescant, &, contra Pindari præceptum, Dij esse velint.

Prou.8.31.

Pindar. Hymn.5 Olympiacon. Euripides in Supplicibus.

τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς
οὐκ ἔστιν ὅδὲν ἄμοτέλως εὐδαιμονεῖν.
Siquidem vniuersis rebus in mortalium
Nil continenter & vndecunq; prosperum est.

Nam etsi *cœlestes omnia possunt*, tamen fallit illud prouerbium: *semper feliciter cadunt Iouis taxilli.* Quanquam enim ita Deus quibusdam fauet, vt vel inuitos beare velle videatur, tamen neque tunc est insolescendum. De Polycrate Samiorum tyranno proditur, (quod & Nazianzenus versibus complexus est) cum summa frueretur felicitate, admonitum ab Amasi Ægyptiorum rege, vt aliquo saltem, quamuis leui incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem. Annulum ergo in mare proiecit, quem habebat charissimum, eiúsque iactura vehementer dolere videbatur. Paulò pòst piscator quidam captũ piscem Polycrati dono obtulit, quo exenterato, ille idem annulus in visceribus repertus est, quem Polycrates abiecerat, quasi non posset esse infortunatus. Sed nec illud ipsum quidem bonum omen fuit. Quare ibi tunc Amasis Polycrati amicitiã renunciasse dicitur, cum apertè deprehenderet, fortunam, ad grauiores casus, eum reseruare. Nec defuit euentus. Ab Oræte enim Darij regis præfecto, in sumo Mycalensis montis iugo, cruci affixus est. Eò nempe vsq; Fortuna illum extulit, quæ à Comicis initijs orsa, in fine paratragœdiatur. *Fronti nulla fides.* Si venit, renidente vultu, cogita, cum furore abituram. Si cum alijs sæua est, tibi parcit; suspectam habe clementiam: nam moræ vsuram exiget. Est sæpe fauor Dei, mala euadere. Maius tamen diuini amoris indicium est tribulatio, quàm prosperitas. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vnde, *quem diligit Dominus, castigat.*

Herodotus lib.3. Sabellicus lib. 7. Ænead. 2.

Act.14.21.

Hebr.12.6.

IX. Non tamen ita semper castigat, vt nullis lætis eiuscemodi euentis exhilaret. Qua de caussa S. Benno clauem in aquas proiectam, à pisce; S. Franciscus Xauerius Crucem in mare prolapsam, à cancro recepit. Quæ talia, sine Numine, non fieri ostendit illud, quod Christus Petro dixit: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem.* Sciuit ergo Christus & staterem in ore piscis; & piscem eum

Matt.17.26.

eum primum ascensurum; & fecit, vt primus ascenderet; & fortasse staterem in ore piscis solo verbo formauit. Illius ergo, non *Fortunæ*, fauore hæc talia accidunt, ad iuuandos homines, in tempore opportuno, aut consolandos; si quidem ipsi fauorem non repudient, aut in odium conuertant benefactoris; vel *Fortunæ bonæ* munus non sinant ab alijs euerti.

X.

Omnem admirationem superat, quod S. Adamannus Scotus, de S. Columba itidem Scoto, qui circa annum Domini 565. floruit, simplici, sed veraci stilo commemorat. Ad S. Columbam Presbyterum, in Scotia versantem, aliquando venit plebeius homo, eius regionis incola, quæ stagno Aporico est adsita, extrema egestate pressus. Quippe qui neque se ampliùs præ inopia, ne dum vxorem ac liberos, poterat sustentare. Miseratione tactus Columba, pauperum pater, I, inquit, contum tibi, in vicina silua, succidito, & actutum ad me afferto. Paret ille, & fustem bene magnum robustúmque festinatò apportat, Sanctóque viro porrigit. Eum ille cultro inspicat, manu benedicit, atq; precantibus verbis sacrat. Sic præparatum pauperculo, eleemosynæ nomine, reddit, cum dicto: Hoc veru diligenter asserua, quod neque homini, neque pecori damnosum fore, scito. Porrò, pro nassa, pro hamo, pro fuscina erit; nam feras, bestiásque aquatiles & volatiles, & siluestres, esui idoneas tibi figet capiétque ad satietatem. Neque deerit tibi familiæque tuæ esca, quàm diu sudes tibi hæc non deerit. Quid mendico tunc lætius fuit beatiusúe? Non poterat se capere, præ lætitia, ex Codro Crœsus repentè factus. Currit lætus domum, non iam baculum, sed virgam diuinam secum afferens, vxorique opes suas exultabundus ostendit. Mox in siluam abit, atque loco ab omnibus vijs remoto in terram defigit, eáque nocte, ita depactum veru relinquit. Die reuecto, spe ardens, ad eundem locum recurrit, & indutũ eo miræ magnitudinis ceruum reperit, assatum iam vtique, nisi ignis defuisset. Ad hunc modum, singulis noctibus aut diebus, prædam inuenit conto hærentem, iam ceruum, iam aprum, iam damam, iam aliam feram culinæ maturam. Neque verò ferinis carnibus suam tantùm familiam, sed totam etiam viciniam abundè satiauit; cui, quod propriæ necessitati superfuerat, haud exiguo lucro, vendidit. Multi mortales non sunt suæ felicitatis patientes; sed, cum illis bellè est, *Fortunæ* ianuam obstruunt, non, ne exeat, sed ne intret. Quamobrem &

S. Adaman. Scot. l. 2. de vita S. Columbę. c. 24. Et Henric. Canisius tõ. 5. Antiq. Lect.

huius viri vxor id facta marito, quod Eua olim Adamo, vtiq; inuidia artibúsque antiqui serpentis, eiuscemodi illum verbis compellauit: Nosti, mi vir, quàm seuerè nunc homines sua damna, quàm rigidè magistratus homicidia vindicent puniántque. Quid si igitur Columba gladium tibi dedit, quo te occideres? quid si sudes hæc, quam Cornucopiam esse nobis arbitramur, vitæ bonorúmque omnium scopulus fiat? An non enim in eam bos aut aliud pecus possunt incurrere? quid si, intempesta nocte, atque in tenebris, homo quispiam, per nemus properans, eo spiculo imprudens excipiatur? quis nos non homicidij reos aget? Periclitabimur ego, tu, liberi nostri, &, vel tanquam magicarum rerum gnari in vincula dabimur; vel, tanquam viarum subsessores, eliminabimur, aut è patria, aut è vita. Quid præstat amittere, lucis huius, an baculi vnius vsuram? Me igitur si audis, sudem franges, ac destrues: præstat illam, quàm nos ipsos in cineres ire. Ad hæc maritus: Sicut intelligis, ita loqueris, inquit: Mentem lingua sequitur. Neque enim scis, quid vir Sanctus, cum sudem bene precando sacraret, mihi diserte promiserit; nullum scilicet vel hominem, vel iumentum eo vnquam, vel in summa cute lædendum. Ne igitur de lite pronuncies, quam non cognouisti. Poterat sufficere hæc responsio, si mulieri imperiosæ quidquam sufficeret. Vrgebat enim illa identidem, ne quid maritus suo sueret capiti; ne vile lignum saluti totius domus præferret: prudentis esse, etiam pericula vitare: serò sapere, qui sapiunt post damnum. Nimirum ita est, multi viri, qui non vincuntur vxorum ratione, vinci se patiuntur earundem importunitate. Ne igitur nihil daret authoritati consiliisque maritæ vxorius paterfamilias, ijt in siluam, sudem abstulit, domúmque reportauit, ac, ne cui noceret, in angulum quendam abstrusissimum parieti acclinem coniecit. Nec ibi sine captura fuit. Mox enim domesticus canis in eum lapsus disperijt. Nouum ergo argumentum nacta anxia materfamilias: Vidésne, inquit, ad maritum, quid fatalis iste fustis nobis minetur? nempe, vt hodie canis eo confossus est, ita cras tibi vnus liberorum tuorum interimetur. Quid tum dices? sobolem, an sudem sublatam males? Commouit ea iterum oratio misellum; qui proinde arreptum baculum rursus in densissimæ siluæ dumeta extulit, eóque loco posuit, ad quem ne feræ quidem vlli accessum patere putauit. At rursum, die postero, cũ Scipionem suum reuiseret, capream eo transfixam

fixam inuenit. Deterritus ergo tam inusitata vi prædas trahendi, & metuens, ne & pecudem pabulatum actam attraheret, inde quoque vellere sudem statuit; & verò eam in fluuio, cui *Nigra Dea*, idiomate gentis, nomen, iuxta ripam, sub aquis fixit, firmauítque. Sequente luce, cum vellet sudem ex amne extrahere inusitatæ magnitudinis piscem *Esocen* vnà extraxit etiamnum palpitantem. Erat autem adeò ingens is piscis, vt conto retentum, atque in humeros reiectum vix solus domum posset reportare. Domi, vt damnum caueret, nec hamo illius quisquam violari posset, in summa tecti parte sudem collocauit. Vix collocauit, & illico coruum vidit, magno volatus impetu, in cuspidem inactum. Quoniam igitur neque in siluis, neque in aquis, neque in tectis, sine alicuius animantis vulnere potuit asseruari Columbanus baculus, luculentam iterum sibi obtigisse calumniandi occasionem rata materfamilias, denuo maritum instigauit ad eum frangendum, atque in ignem conijciendum: ne, vt prouerbio dicitur, inquiebat, in venatione pereamus. Quid non possunt vxorum vel imperia, vel blandimenta? Ascendit simplicissimus homo, sudem deripit, & securi in minutissimas partes diffindit: frusta in focum & flammas mittit. Sic omnis illius abundantia ac prosperitas, penè momento, in penuriam commutata est; artificio cacodæmonis, feminæ suasu, viri stoliditate: qui benedictione S. Columbæ combustâ, ad incitas redactus, omni reliqua vita, mendicare coactus est. Semper abundasset, si Sancti viri vaticinio plus, quàm stolidæ mulieris Panico timori credidisset. Sed quid mirum est, si mulier baculum timuit, quem meruit? Profectò, ni Sanctus, ab eo, hominibus spopondisset immunitatem, illa prima, in eum incurrisset. Certum est, ex hoc exemplo, Numinis veri, non somniatæ ab imperitis *Fortunæ* fauentiâ, hominibus prodigiosè fausta subinde euenire; quin & Sanctorum benedictionem multi precibus obtinent, atque hoc pacto dici possunt, *suæ fortunæ fabri*: nam *sui cuiq; mores fingunt fortunam*, vt ille de Pomponio Attico dixit; nos ita interpretari possumus, vt multa à Deo Diuísque precando fausta impetrari dicamus: certè nihil, *Casui aut Fortunæ*, sed omnia diuinæ ordinationi sunt ascribenda, respondendúmque, sicut Abrahami seruo *responderunt Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam loqui tecum*: non *fati* necessitate coacti, sed tracti diuino nutu ac voluntate, cui

Cornel. Nepos. in vita Pomponij Attici.

Gen. 24. 50.

cui nefas est resistere. Ethnicorum vox est: *Superat quoniam Fortuna, sequamur: Quóq; vocat, vertamus iter.*

CAPVT XXVII.

Nihil FATO vulgi, aut alicui necessitati stellarum esse ascribendum.

I. BAculi supra memorati ineuitabilis felicitas, suspicionem fortè alicui posset gignere *Fati* cuiusdam, cum *Fatis impellentibus adactus* vulgò dicatur, qui vtiq; non sponte, nec rarò, sed velut ineuitabili necessitate, nolens volens vel semper felix, vel semper est infelix. Et Ethnicorum prouerbio iactatum est, *quod fatis decretum esset, id nemini licere euitare.* Quam opinionem didicit docuitque etiam Homerus, cuius versus ita verbatim redduntur;

Homer. Odyss. H.

Post illic, accidet illi,
Quod fatum Parcæq; graues in stamine nêrunt
Nascenti tum, cum matris promergeret aluo.

Et qui arbitrio *Fortunæ*, quæ *campi domina* dicitur, aliquid, tanquã Deæ, tribuunt, facilè in *Fati Fortunæ* cognati errorem incidunt, vt, cum Næuio, dicant: *Fato Metelli Romæ fiunt Consules*; aut vt, cum Priamo, *Fatis* ascribant, quod Helenæ esset imputandum; aut, cum Creonte, pronuncient, *Fato non repugnandum*: aut cum alio, nescio quo, dicant: *Fata viam inuenient*: aut, cum Poëtis, tres Parcas esse credant, quas Cicero Erebi & Noctis filias fuisse scribit, & easdem Fata esse existimat; Hesiodus nascentibus hominibus bonum malúmque conferre censet. Vnde est illud Cleantis;

Cic. l. 3. de Nat. Deor.

Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.

& illud Maronis:

Virgil. 4. Eclog.

Concordes stabili Fatorum numine Parcæ.

Madaurensis Philosophus has ita describit. *Tres Parcæ, tria Fata sunt numero, cum ratione temporis facientia, si potestatem earum ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem. Et quod torquetur in digitis, momenti præsentis indicat spacia. Et quod nondum ex colo tractum est, subactúmq; curâ digitorum, futuri & consequentis seculi posteriora videtur ostendere.* Nomina Parcarum sunt Clotho, Lachesis, Atropos; quarum

quarum prima colum tenet; altera net; tertia filum diffringit. Ab hoc filo vita pendet. Hæ textrices anus omnia negotia mortalium dispensant, apud istos, infallibili quadam necessitate. Huic laqueum torquent, illi nent diadema. Actum est de homine, quàm primùm natus est, rata sunt omnia, si istis credas; sub Ioue natus, certus est de sceptro; sub Mercurio, certus de patibulo.

II. Præsens est iste scopulus, vt supra quoq; memini me dicere, ad homines in desperationem, nostra quoq; ætate, prô dolor, inducendos. Qui etsi ipsa *Fati* explicatione supra allata, satis maneat repulsus, hîc tamen paulò enucleatiùs est destruendus. Multi enim *Fati* legibus ita addicunt astringúntque omnia, vt libertatem arbitrij manifestè tollant. Quidam namque opinantur, *Fatum esse naturalem quandam ac necessariam rerum consequentiam*; eámque ex ipsis astris deducunt. *Homines quando Fatum audiunt*, inquit S. Augustinus, *non intelligunt, vsitata loquendi consuetudine, nisi vim positionis siderum qualis est, quando quis nascitur, vel concipitur.* Alij inquiunt, *Fatum esse indeclinabilem rerum seriem, & catenam, per æternæ consequentiæ ordines, semet implicantem.* De primis Poëta ait: *Nota Mathematicis genesis tua.* Secundi seipsos, ac alios secum, catenâ illâ implicant. Vtrique in *Fato* fiunt fatui: illi quia astris, quibus sapiens dominatur, nimiam tribuunt potestatem; isti, quia non satis dispiciunt, quale sit inter facta & facienda discrimen. Nam etsi quod factum est, infectum fieri nequit; id tamen, quòd faciendum est, non ita faciendum est, vt liberè nõ sit faciendum, aut vt etiam omitti non possit. Tametsi ergo *Fatum*, prout Ethnici sumebant, significabat aliquam in euentis necessitatem, immo etiam necessitatem in ipso Deo; prout tamen ab Aristotele, & rectè sentientibus accipitur, non solùm non infert necessitatem in Deo, cum Deus liberè ordinet fatum; sed etiam in agentibus liberis creatis non ponit necessitatem, cum caussæ proximæ in effectum influentes, influant iuxta modum eius. Quocirca, si sint liberę, influunt cum libertate, seu libertate non euersâ. Nulla ergo neq; à stellis, neq; ab vlla serie caussarum est *necessitas antecedens.* Ita est, non lucent in cœlo sidera otiosè; alios in iram, alios in flaccidum quendam languorem; alios lætos, subtristes alios gignunt; nulli tamen sanæ mentis homini ingerunt necessitatem, nulli adimunt libertatem. Potest lætus tristari, & tristis naturâ, lætari: neque sanè quisquam in lætissimos cachinnos effusior est,

S. Augustin. lib. 5. de Ciuit. cap. 1.

quàm cum melancholicus in risum atq; iocum erumpit. Qui autem, ex positura stellarum, bella, victorias, incendia, nuptias, magnatum mortes, proditiones, fœdera, pacem, amicitias, inimicitias promittunt & antedicunt, malo astro nati, & planè calendario indigni sunt. Nec enim merentur, inter Sanctos scribi, qui docere audent quod Sancti omnes refutauerunt.

III. Pugnat contra fatales stellas, cum Apostolo, D. Ambrosius, qui primò astrologiam hanc ostendit fidelibus esse periculosam his verbis: *Videte, ne quis vos deprædetur, per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa huius mundi, & non secundùm Christum &c.* Deinde indicat, quinam eiusmodi astrologiæ se mancipent. *Quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur oculis suauia, & oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spiritualem rationem despiciendam & ridendam putant desperatione futuri, omnem vim astris assignantes, carnali rationi obnoxij, ne grauia credenda sint, sustolli posse in cœlum, neue leuia, venire ad terras, aut aliquid corporeum, sine rerum admixtione generari, repugnantes potentiæ ac prouidentiæ Dei. Hanc ergo* tertiò *traditionem vel philosophiã fallacem & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potentiam Dei, intra scientiam suam coarctat.* Quartò docet, in quanta absurda abducat hæc opinio. *Nonnulli natiuitatum,* inquit, *tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisq;, qui natus sit: cum hoc non solùm vanum, sed etiam inutile quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quàm vt vnusquisq; persuadeat sibi hoc esse, quod natus est? Nemo ergo debet vitam suam, studium, morésq; mutare, eniti, quo melior fiat. Sed in ea persuasione neq; probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui necessitati natiuitatis suæ respondere videtur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam? & conuersationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud quàm hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studio relinquitur?* Quintò exemplis hanc vanitatem euertens pergit: *Quàm multos videmus ereptos criminibus, atq; peccatis, in meliorem statum esse conuersos? Redemti sunt Apostoli, & congregati ex peccatoribus: non vtiq; natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora Dominicæ passionis redemit à morte. Latro ille damnatius capitis, ille cum Domino crucifixus, non beneficio natiuitatis suæ, sed fidei confessione ad Paradisi æterna transiuit.*

S. Ambros. super epist. ad Coloss. c. 2.

Idem. lib. 4. Hexam. c. 4.

uit. Ionam in mare non vis natiuitatis, sed dissimulatio diuinæ præceptionis præcipitauit, & offensa: eundémq; cetus excipiens ad indicium futuri mysterij, post triduum, reuomuit, & prophetiæ merito gratiæ reseruauit. Petrum de carcere, imminente morte perimendum, Angelus Christi, non stellarum series liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percussum à vipera, turbatóq; naufragio, non remedia natiuitatis, sed deuotionis merita seruauerunt. Quid de illis dicimus, qui eorum precibus cum fuissent mortui, resurrexerunt? Vtrum illos sua natiuitas, an Apostolica gratia resuscitauit? Quid opus fuit, vt se ieiunijs periculisq; committerent? si ad quod volebant, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod si credidissent, dum expectant fatorum necessitatem, nunquam peruenissent ad tantam gratiam.

IV.

Sextò affert alia exempla Hipponensis Antistes, cuius hæc sunt: *Fatum ponentes nolunt aduertere, quòd electo, ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & exorta segete, simul herbescunt, pubescunt, flauescunt, & tamen inde spicas ceteris coæuas, atq; (vt ita dixerim) congerminales, alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines auellunt. Quomodo istis alias constellationes fuisse dicturi sunt, quas tam diuersos exitus habere conspiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, easq; ad cœleste negabunt pertinere decretum, & solos sideribus subdent homines, quibus solis in terra Deus dedit liberas voluntates?* S. Augustin. lib 5. de Ciuit. c. 7. Alterum exemplum, nō de segetibus, sed de hominibus ponit, alio loco. *De geminis hominibus plurima plurimūq; diuersa monstremus. Nati enim sunt duo gemini veterum Patrum memoria, vt de insignibus loquar, sic alter post alterum, vt posterior plantam prioris teneret. Et tanta in eorum vita fuerunt moribúsq; diuersa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, vt etiam inimicos eos faceret inter se ipsa distantia. Vnus à matre diligebatur, vnus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amisit, alter adeptus est.* Eod. l. c. 3. 4. Addit tertium exemplum. *Quid est hoc, quòd vno tempore, momento vno, sub vna eademq; cæli positione de duabus matribus pariter nati, diuersa fata habent?* Ibid. c. 5. Subiungit quartum. *In ipsis geminorum conceptibus, vbi certè amborum eadem momenta sunt temporum, sæpe fit, vt sub eadem constellatione fatali, alter comparetur masculus, altera femina. Nouimus geminos diuersi sexus: ambo adhuc viuunt, ambo ætate adhuc vigent. Quorum cum sint inter se similes corporum species, quantum in diuerso sexu potest: instituto tamen & proposito vitæ ita sunt dispares, vt præter actus, quos necesse* Ibid. c. 6.

est à virilibus distare femineos, ille in officio comitis militet, & à sua domo penè semper peregrinetur; Illa de solo patrio & de rure proprio non recedat. Insuper, quod est incredibilius, si astralia fata credantur, non autem mirum, si voluntates hominum & Dei munera cogitentur, ille coniugatus, illa virgo sacra est: ille numerosam prolem genuit; illa nec nupsit. Quintum denique exemplum ponit in duobus geminis infantibus à meretrice editis, quorum sine baptismo expirauit vnus, alius baptizatus erat, ita scribens: *Hîc non est fatum, quia nec stellæ vllæ ista decernunt; nec fortuna, quia non fortuiti casus hæc agunt, nec personarum, nec meritorum diuersitas hoc fecerunt: quid restat, quãtum ad baptizatum attinet, nisi gratia Dei, quæ vasis factis in honorem gratis datur: quantum autem ad non baptizatum, ira Dei, quæ vasis factis in cõtumeliam, pro ipsius massæ meritis redditur. Sed in illo, qui baptizatus est, non solùm ostenditur adiutorium gratiæ Dei, verùm etiam in non baptizato documentum. Adiutorium, scilicet in vasis misericordiæ; in vasis autem iræ documentum. In eis enim ostendit iram, & demonstrat potentiam suam, quia tam potens est bonitas eius, vt bene vtatur etiam malis; & in eis notas facit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quoniam quod ab iræ vasis exigit iustitia punientis, hoc misericordiæ vasis dimittit gratia liberantis.* Affert D. Chrysostomus & illud Ioſephi exemplum, qui fratrum suorũ perfidiam ac scelus eleuare, eósque consolari cupiens, non eleuauit, per *Fatum*, aut Homericam Aten seu deam, quæ mala & noxia inferre credita est à Græcis ac Gentilibus; sed per prouidentiam Dei, qui peccatum illorum, in gloriam Ioſephi, & ipsorum, bonúmque publicum, ordinauit. Dixit enim: *Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Qua excusandi eos, qui nos offenderunt, ratione vtinam etiam nos vteremur, reperiremus vtiq; omnia nobis mala illata in bonum cooperari, & gaudendi potiùs, quàm irascendi causam haberemus.

S. Aug. lib. 2 contra epistolas Pelagianorum. c. 7.

Genes. 45. 5.

V. His exemplis accedunt & aliæ rationes, quæ ab his aliísque Patribus in medium afferuntur. Nam Chaldæi isti aut Chaldæizantes, qui vim vitæ necísque tribuunt natiuitati, asserunt, eam minutissimis colligendam esse momentis, quæ nisi obseruantissimè colligantur, maximum esse discrimen, vt adeò statim post Esau, Iacob aliquis gignatur: *Breui enim atomo exiguóq; momento distare nati-*

natiuitatem inopis & potentis, egentis & diuitis, innocentis & noxij; & plerumq; eadem hora, generari longæuitati debitum, & primæ pueritiæ ætate moriturum, si reliqua disparia sint, & puncto aliquo discreta. Hoc quemadmodum possunt colligere, respondeant. Constitue partum feminæ. Obstetrix vtiq; eum primò cognoscit, explorat vagitum, quo natiuitas colligitur, attendit, vtrum masculus sit, an femina. Quot vis inter has moras prætexere momenta? Pone Mathematicum præparatum. Nunquid potest vir interesse puerperio? dum mandat obstetrix, audit Chaldæus, ponit horoscopum in alterius sortem. Iam nati fata migrârunt, de altero quæritur, & alterius genitura proponitur. Atque ibidem: *Vitalem*, inquit, *illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt: & quia triginta diebus sol duodecimam partem sphæræ eius, quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas, quas μοιρίδας Græci vocant, vnamquamq; duodecim illarum distribuunt portionem; ipsam quoque portiunculam in sexaginta vices conferunt. Rursum vnumquodq; de illis sexaginta, sexagies secant. Quàm incomprehensibile est, in quo sexagesimo, tot sexagesimæ portiunculæ natiuitatis momenta constituant: & qui singulorum signorum sit aut motus, aut species in natiuitate nascentis? Vnde cum impossibile sit, tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat vniuersitatis errorem, totum negotium plenum est vanitatis. Disputatores eorum, quæ sua sunt, nesciunt, & quo modo aliena nouerunt? Quid sibi immineat, ignorant, quo modo possint alijs, quæ futura sunt, denunciare? Ridiculum est credere. Quia si possent, sibi potius prouiderent.* Hęc Ambrosius: qui addit, nihil mirum esse, *si ibi homines ludantur, vbi signa innoxia blasphemantur: quæ si natura noxia esse creduntur, Deus summus arguitur, si fecit, quod malum est, & fuit improbitatis amator.* Lactantius ita loquitur: *De sapientibus stulti, & de stultis sapientes sæpe nascuntur; quod quidam fato ac sideribus assignant. Sed non est nunc locus de fato disserendi. Hoc dicere satis est; quòd etiamsi astra efficientiam rerum continent, nihilominus omnia à Deo fieri certum est, qui astra ipsa & fecit, & ordinauit. Inepti ergo, qui hanc potestatem Deo detrahunt, & operi eius attribuunt.* At ne quis existimet, saltem à Deo, per astra, hominibus imponi necessitatem, addit statim. *Hoc igitur Dei munere cælesti, atque præclaro, an vtamur, in nostra voluit esse potestate. Hoc enim concesso, ipsum hominem virtutis sacramento religauit, quo vitam posset adipisci.* Non posset autem, si in eius potestate, per contrarias

S. Ambros. lib. 4. Hexam. cap. 4.

Lactant. lib. de opificio Dei. c. 19.

ſtellas, non eſſet, virtutem exercere, atque aſtris quocunque demum inclinantibus dominari. Aut quo modo poſſet virtutem præcipere Deus, quam homo, obſtantibus aſtris, non poſſet exercere?

VI. Hoc *Fato*, igitur accuſatur Deus, excuſatur homo; quia per *Fatum, ad neceſſitatem genitalem, non ad inſtituta morum actus noſtri factáq; referuntur.* Fruſtra ergo leges, fruſtra iura; immeritis præmia, innocentibus ſupplicia proponuntur. Non enim rectè puniuntur, qui aliter facere non potuerunt. Neque neceſſitas, ſed voluntas præmium meretur. Non igitur ſtolida tantùm, ſed & impia eſt hæc Fatalis Aſtrologia. Et tamen quàm innumerabiles, hoc æuo, homines opinione iſta, ſe ſinunt faſcinari? Non recenſebo iam totos libros, ingenti precio, à ſummis, medijs, infimis emtos, quibus credunt, omnia deſcribi quæ ſibi ſunt euentura. Quàm multi, tanquam Sibyllæ folium, æſtimant libros cum annalibus Voluſi comparandos, in quibus legunt, ſigno Arietis ortos præſtantiſſimos eſſe conſilio, *quòd in grege huiuſmodi emineat pecus*: aut locupletiores, *quòd veſtitum habeat aries naturalem*: aut liberales, *quòd lanam ſuam aries non inuitus deponat*: *Laborioſos & patientes ſeruitij, quos naſcentes Taurus aſpexerit, quia hoc animal laborioſum & aſſuetum iugo ſpontanea ſeruituti colla ſubmittit*: *Percuſſorem quoq;, cuius natiuitatem ſcorpius in ſua parte complexus ſit; & malitia venena reuomentem, eò quòd animal venenatum ſit.* Ad arbitrium Aſtrologi, quàm multi, dum ſe Martios credunt, ad coniunctionem Martis non ſolùm bellant, ſed etiam prælia committunt? mercaturas alij, alij ſceptra prehenſant, quia ſe ſe vel Mercuriales, vel Iouiales arbitrantur? Fati immo Orci mancipia. *Nummos accipiunt, cum ſe homines hominibus vendunt: dant iſti nummos, vt ſe vanitatibus vendant. Intrant enim ad Mathematicos, vt emant ſibi dominos, quales Mathematicis dare placuerit: vel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel ſi quid aliud ſacrilegi nominis. Intrauit liber, vt nummis datis ſeruus exiret. Immo verò, non intraret, ſi liber eſſet, ſed intrauit, quò eum dominus error, & domina cupiditas traxit.* Nunc quid hoc experimur, quoties cynigeri, ſeu Ægyptij illi veratores, ſeu errones potiùs, apud nos, circumuagantur? Cum enim illi in vrbes non admittantur, plenis curioſi vijs ad eos excurrunt, vaticiniáque immo mendaciſſima mendacia ab illis mercantur. Vnde alij minantibus aſtris triſtes, alij ſpe temerarij, in quantas non inci-

S. Ambroſ. loc. cit.

S. Auguſtin. ſuper Ioan. ſerm. 8.

incidunt calamitates? Certè illud mirari satis non possum, non modò, quòd Calendaria eiusceмodi prædictionibus præliorum, cladium, mortium, fatorum pestilentissima, lucri causſa, nonnulli excogitare, alij typis vulgare, alij vendere audeant; sed etiam, quòd tot reperiant emtores, lectores, creditores: immo à Catholicis Magistratibus ac Principibus, contra tot decreta Pontificum, fulmina Conciliorum, & adeò ipsa etiam iura legésque ciuiles, edere, vendere, legere, credere permittantur. Vtinam illud perpenderent de expellendis incolis ad Israëlitas dictum: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*, à qua institutione si recesseris, vide, ne & tu extermineris. Deut. 18. 14.

VII.

At putant, se patrocinium habere sacræ scripturæ, in qua Magi aduentus sui causſam illam indicant: *Vidimus enim stellam eius.* Matth. 2. 2. Sanè D. Gregorius scribit, Priscillianistas docuisse, stellam hanc fuisse *fatum* Christi. S. Gregor. homil. 10. in Euang. Quibus accedunt Albumasar & ex eo author Speculi, quod vulgò Alberto Magno ascribitur, aliique, qui autumant, Mundi Conditorem, in astris, prouidentiam suam, & ea, quæ per illam facturus est, certis notis signasse, & velut characteribus quibusdam inscripsisse. Vnde existimant etiam, in illa Christi stella, Christi ortum Magos legere potuisse; neque ortum tantùm, sed etiam mores, miracula, vitámque vniuersam. Petrus de Aliaco Cardinalis & Archiepiscopus Cameracensis scribit, sub tempus Natiuitatis Christi, fuisse concursum Iouis cum Saturno, in Cancro: *in ipsa verò Christi Natiuitate*, inquit, *Horoscopus erat pars Virginis octaua (quæ religionis mutationes & partũ Virginis significat) in culmine verò cæli erat Saturnus; in imo autem Sol.* Quem Seruatoris Horoscopum in figura spectandum exhibet Sixtus Senensis. Petrus de Aliaco Cardin. & Archiep. Camerac. q. 30. in Gen. Sixt. Senens. lib. 6. Biblioth. c. 10.

VIII.

Verùm tametsi *hoc de ascensu Virginis & benigno siderum in Christum nascentem aspectu fidei non repugnat*, vt ait Salmeron; repugnat tamen rationi, stellam Magis Christi ex Virgine ortum, mores, miracula, singuláque facta ostendere potuisse. Quo pacto enim Christi ex Virgine ortus, transfiguratio, Crucifixio, Resurrectio, res tam supernaturales, arte naturali, qualis dicitur esse Astrologia, deprehendi potuissent? An characteres aliqui in ea stella cernebantur? & litteris fortasse scriptum ibi erat: *Virgo peperit: Christus natus est: Crucifigetur: In cælum ascendet?* At cur eas litteras

teras nemo vidit, præter Magos? & quàm Aquilinum eos visum habuisse necesse est, vt litteras illas legere possent? multóque magis Astrologi nostri, quos plerumque vel maculæ Solis excæcant, mirabiles esse debent, si tam procul legere possunt, quæ inscripta sunt in stellis firmamenti, cum sæpe non videant fossam ante pedes patefactam, in quam cælo defixi prolabuntur. Quid quòd omnis Astrologorum obseruatio experientiâ nitatur? Aiunt enim, hoc, & illo, & isto anno, quando Mars cum Ioue concurrit, in Libra, experti sumus seditiones, rebelliones, sæua prælia extitisse. Quare etiam hoc anno, in simili concursu, iterum prælia, seditiones & rebelliones existent. Hæc est seu ars, seu coniectura, seu suspicio spumantis arrogantiæ. At dicant mihi isti, quam experientiam habuerint, de Virgine paritura? de nascituro, passuro, aut morituro Deo? Nunquam enim, ante Deiparam, vlla Virgo peperit: nunquam ex homine natus, nunquam passus, aut mortuus est, ante Christum, Deus. Nullam ergo experientiam, & quod inde conficitur, nullam eiuscemodi scientiam, è stella illa, Astrologi habere potuerunt: somnia Priscillianistæ habuerunt, & phantasmata delirorum. Age, qui è schola istorum prodijsti, dic mihi, quid ex Horoscopo, siue concursu stellarum, qui fit, infante in lucem ex vtero matris prodeunte, colligis? Nempe ex ascensu stellæ Iouis, conijcis, puerum, qui tunc nascitur, hilarem fore ac Iouialem: ex ascensu Martis, fore pugnacem: ex ascensu Lunæ variũ fore ac mutabilem: ex ascensu Saturni, melancholicum fore ac suspicacem, eò quòd hæc sidera, ad eiuscemodi cõplexiones ac inclinationes, naturalem habeant influxum. Demus tibi hoc. At dic, sodes, quænam stella est, quæ ordinem habeat atque influxum, ad effectus supernaturales? ad miracula producenda? ad Verbi diuini Incarnationem? ad edendum partum, illæsa virginitate? ad genus humanum, ab æterna damnatione, redimendum? Hæc talia nonne fateberis, supra omnem vim stellarum, excedere? & à sola supernaturali omnipotentia Dei perfici posse? Non ergo *Fatum* aliquod in stella Magorum est collocandum.

IX. Quod vel inde constat, quia Redemptor noster, vti rerum omnium, ita etiam stellarum est Dominus. Quare non fas est, vt ille stellis, sed vt stellæ illi subijciantur. *Dum non puer ad stellam*, ait S. Gregorius, *sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.* Quamobrem

S. Gregor. homil. 10. in Euang.

rectè

rectè Augustinus, contra Manichæos dicentes, Christum colligatum esse stellis, & esse sub fato stellarum, sic concludit: *Stella illa, quam viderunt Magi, Christo secundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur; nec eum subyciebat imperio, sed indicabat obsequio.* Atque post illa: *Non ideo, inquit, Christus natus est, quia illa extitit; sed ideò illa noua exorta est, quia Christus natus est. Vnde, si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christum stellæ fatum fuisse diceremus. Ipse quippe illi, non illa huic nascendi attulit causam. Si ergo sunt fata, quæ a fando, id est, dicendo appellata sunt, quoniam Christus verbum Dei est, in quo, antequam essent, dicta sunt omnia, non consortium siderum, fatum Christi est; sed fatum etiam siderum Christus est, qui & ipsam carnem sub cælo creatam ea voluntate assumpsit, qua etiam cælum creauit; ea potestate deposuit, & recepit, qua etiam sideribus imperauit.* S. Augustin. lib. 2. contra Faust. cap. 5.

X.

Quo pacto igitur Christum natum, in stella, Magi viderunt, quando eum non arte Astrologica, non scientiâ Fati, non notis stellæ inscriptis potuerunt cognoscere? Communis est Basilij, Hieronymi, aliorúmque SS. PP. sententia, Christum stellæ nouæ indicio à Magis cognitum, quia, sicut cometæ mortes regum mutationésque regnorum portendunt; ita Balaam vaticinatus erat, cum Christo stellam orituram. *Orietur stella ex Iacob.* Magi ergo, vel posteri, vel successores Balaam Ierosolymam venientes dicebant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius,* quem è vaticinio Balaam, ex prædictione Sibyllæ, denique instinctu & reuelatione diuina, stellæ indicio designatum nouimus. Cur enim vaticinium Balaam successores eius latuisset, quod neque Romanis fuit incognitum? Siquidem & Cicero, & Suetonius, & post illos etiam Orosius, tradunt, communem tum famam fuisse, ex Iudæa proditurum regem, qui omnibus dominaretur, quod Gentiles Vespasiano suo falsò tribuerunt; Sibylla autem & Chalcidius Gentilis ac Platonicus Philosophus, Christo ex Virgine nasciturum. Sibyllæ oraculum tale extat. Num. 24. 17. Matth. 2. 2. Cic. lib. 2. de diuinat. Sueton. in Vespasiano. Oriosius lib. 6. cap. 6.

Diuinámq; Magi stellam coluêre recentem,
Monstratúsq; Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepi. Lib. 8. orac. Sibyllin.

Chalcidius autem ita scribit: *Est alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet de ortu stellæ cuiusdam, non morbos mortésq; denunciantis, sed descensum DEI venerabilis ad humanæ conuersionis, re-* Chalcidius in Timæum Platonis.

rúmq; mortalium gratiam: quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, & considerationè rerum gestarum satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem Dei ortum, repertáq; illa maiestate pueruli, veneratí esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse.

XI. Imperf. op. author. homil. 2.

Imperfecti operis auctor refert, Successores Balaam, post oraculum eius de stella ex Iacob oritura, per singulas ætates, aliquos deputasse, qui identidem cælum contemplarentur, vt stellæ huius ortum, in monte, qui Victorialis dicebatur, obseruarent; tandémque, cum hi ipsi Magi eius ortum præstolarentur, *apparuit eis*, inquit, *descendens super montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinem crucis; & locuta est eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiscerentur in Iudæam. Proficiscentibus autem eis, per biennium, præcedebat stella, & neq; esca, neq; potus defecit in peris eorum.* Hæc incertæ fidei esse, meritò iudicat Cornelius noster; & ex Apocryphis Sethianorum hæreticorum libris transumta, ipse fatetur author, & docet Epiphanius. Itaque longè verosimilius est, non visam in stella imaginem, sed Magos, visa stella, secretiori cælestis Numinis afflatu motos, *hanc quasi cæli linguam loquentem audiuisse*, eámque radios suos longiores, instar cometæ versus Iudæam clariùs extendentem, vsque ad cunas Christi prosecutos esse. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum*, ait S. Leo, *& quod fecit intelligi, fecit inquiri; & se inuemendum obtulit requisitus.* Tam scilicet formosa elaritas, támque extraordinaria fuit maiestas stellæ, vt facilè Magi, iam antè de ea à Balaam moniti, aliquid eam diuini portendere arbitrarentur. Certè in ea Angelus Magos duxit, sicut olim in *columna ignis* Israëlitas; quæ noua fuit, neque ante, neque postea visa; non, vt cæteræ, quarto Mundi die, sed, ipsa nocte Natiuitatis Christi, vel creata, vel producta atque ex aëre condensato efformata; loco, motu, tempore (nam & interdiu lucebat) duratione (durauit enim tantùm per 13. dies) magnitudine, subductione sui, & ostensione repetita, nec non & statione (stetit enim supra domum, vbi erat puer) ac splendoris excellentia à ceteris astris discriminata. Nam hæc, vt S. Ignatius, qui paulò pòst Christum vixit, testatur, *stella fulsit, exuperans omnes, quotquot antè fuerant: lux enim illius erat inenarrabilis, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei nouitas: omnia autem reliqua astra vnà cum sole & luna chorus fuêre stellæ illius*

Cornel. de Lap. in c. 2 Matth. S. Epiphan. hæret. 26. S. Augustin. serm. 2. de Epiphan.

Leo serm. 4. de Epiphan.

S. Ignat. epist. 14.

lius: ipsa verò claritate exuperabat omnes. Immo, ex mente Prudentij, erat *stella, quæ solis rotam vicit decore ac lumine.* Idonea igitur fuit, quæ Magos raperet in admirationem, & incitaret, vt indagarent, quem portenderet, Prudent. in Hymn. Epiphan.

XII. Hîc mihi Magorum insignem, prudentiam & plenum dignitatis & antiquitatis exemplum perpendite. Quid enim, conspecto hoc nouo tam splendido meteoro, fecerunt? An id, velut stulti nautæ, ignem fatuum, tanquam Castorem & Pollucem, *fratres Helenæ lucida sidera*, & Numina maris ac tempestatum adorauerunt? An Phæbum sibi inde aliquem, aut Dianam, aut nepotem Atlantis finxerunt? Nequaquam. Sed, sicut olim Dauid, incundissimo siderum intuitu, in amandum siderum conditorem exarsit dicens: *Laudate* Dominum, *sol & luna; laudate eum omnes stellæ & lumen*; ita & sapientes isti viri, non in creatura submersi sunt, sed ad Creatorem, per creaturæ pulchritudinem, euocari se se iudicauerunt. *Vidimus enim*, inquiunt, *stellam eius, in oriente, & venimus adorare eum.* Parimodo & nos *agnoscamus, dilectissimi, in Magis adoratoribus, Christi vocationis nostræ fideique primitias, & exultantibus animis beata spei initia celebremus*, ait S. Leo. Felix qui per hanc, & omnes stellas, se finit ad Christum duci: miser qui se finit abduci ad *Fatum*, aut, vt illi sidus sit Deus. Siquidem *vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex: sed aut ignem aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam* (seu Oceanum tanquam Neptunum) *aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum putauerunt. Quorum si specie delectati, Deos putauerunt: sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Psal. 148. 3. Matth. 2. 2. Leo serm. 2. de Natiu. Sap. 13. 2.

XIII. Restat alterum *Fati* genus, tantò periculosius, quantò subtilius. Qui enim Deum sciunt omnia præuidere, eiúsque præscientiam falli non posse, *indeclinabilem quandam rerum seriem & catenam, per æternæ consequentiæ ordines, semet implicantem* constituunt, quam *Fatum* vocant: quo & rerum contingentiam, & voluntatis delectum libertatémque, & modum agendi caussarum particularium è medio tollunt. Ex quo errore etiam alia absurda conse-

quuntur. Nam, vnà cum libertate, homini auferunt merita præmiorum: quia quod sponte non fit, sine merito fit. *Quæ enim merces homini Christiano, si non ex voluntate, sed ex necessitate curas suas & opera componit? Vbi enim directa necessitas, ibi inhonorata industria,* ait S. Pater. Item Deum faciunt authorem peccati, vt qui hominibus imponat peccandi necessitatem. Quin & Mundo præcipuum quendam adimunt ornatum, in quo pulcherrima est varietas, si aliæ causſæ necessariò, aliæ contingenter, aliæ ex libertate operentur. Quamobrem, contra hoc *Fatum*, omnes SS. Patres, vnanimi consensu, pugnant. Pugnauerunt & Ethnicorum sapientes, quorum nonnemo, cum seruus vapulans diceret: *In fatis fuit, vt furarer*: respondit: *in fatis fuit, vt vapularet*; ita *Fatum Fato* quasi cuneum cuneo pepulit. Periculosissimus hic diaboli laqueus est, quo argutuli, sed non satis docti capiuntur. Vt ignauiam suam excusent, Deum accusant. *Fatum* obtendunt, vt firment desperationem. Quid enim tentet, qui aliter facere non potest? aut quid speret, de quo actum est? Sed, vt insanis istis vel medicus helleborum porrigat, historiam, ex pio authore, vtiliſſimam dabo.

S. Ambros. l. 4. Hexam. cap. 4.

XIV. Cæsarius Heisterb. l. 1. c. 27.

Ex relatione, inquit, *cuiusdam viri religiosi cognoui, Ludouicum Lantgrauium, patrem Hermanni Lantgrauij, qui ante hos duos annos defunctus est, in errorem periculosum non solùm propriæ animæ, sed & subditorum substantiæ decidisse. Qui cum esset prædo ac tyrannus maximus, duras ac plurimas in sibi commissum populum faciens exactiones, multas Ecclesiarum sibi vsurpans possessiones; & propter hoc, aliáq; plurima mala, à viris Religiosis corriperetur, qui ei proponebant, in confessione, pœnam malorum, & gloriam electorum, verbum miserabile respondit: Si prædestinatus sum, inquit, nulla peccata poterunt mihi regnũ cælorum auferre; si præscitus, nulla bona mihi illud valebunt conferre. Et sicut mihi dicere solebat Nonnus Conradus senex monachus noster, de Thuringiæ partibus oriundus, versiculum illum Psalmistæ:* Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, *loco prouerbij, ad suam excusationem, arguentibus se proponebat. Erat siquidem litteratus, & ob hoc amplius induratus. Et, cum ei dicerent viri timorati; Domine, parcite animæ vestræ; desistite peccare; ne Deus prouocatus peccatorem in peccatis occidat: iterum respondit: Cum venerit dies mortis meæ, moriar; non illum potero bene viuendo extendere, neq; malè viuendo præuenire. Volens illum pius Dominus à tanto errore misericorditer reuocare, & reducere ad mentem, infirmitate periculosa cæpit eum flagel-*

Psal. 113.

flagellare. Vocatus est medicus eius, vir bonus & discretus, & non solum in Physica, sed etiam in Theologia non mediocriter litteratus. Cui Princeps dixit: Vt vides infirmus sum valde, adhibe curam, vt possim conualescere. Memor medicus illius erroris respondit: Domine si venit dies mortis vestræ, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si verò morituri non estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita curæ diligentia, & diæta proposita, potero tam à meipso, quàm ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo Physicus multum hilaris effectus, data occasione respondit: Domine, si creditis, vitam vestram posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuitis de pœnitentia, & operibus iustitiæ, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quæ est in futura vita, nemo peruenit. Considerans Lantgrauius pondus verborum, & quòd rationabiliter peroraſſet, dixit ei: De cetero esto medicus animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberauit me à maximo errore.

XV.

Posset hoc exemplum & alios ab errore hoc liberare, si id vellent, apud se, seriò expendere. Nam, si dilemma illud verum esset: neque comedere, neque bibere, neque dormire, neque laborare deberent homines, sed omnia à *Fato* suo expectare ac dicere: Si moriendum mihi est, moriar etiamsi bibam, etiamsi comedam, etiamsi dormiam, etiamsi laborem: si non moriendum, non moriar, etiamsi non comedam, non bibam, non dormiam, non laborem. Igitur neque comedam, neque bibam neque dormiam, neque seram, neque metam. Hoc pacto argumentatus est olim S. Antistes Mediolanensis, contra eos, qui omnia reuocant ad agendi necessitatem scribens: *Cur laborat agricola, & non magis expectat, vt illaboratos fructus, priuilegio suæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus est, vt ei diuitiæ atq; opes affluant, & sibi spontaneos reditus, sine vllo semine, & labore, terra parturiat: non vomerem aruis imprimat, non curuæ manus falci admoueat, non legendæ vindemiæ subeat expensam: sed vltro ei in omnes series fluentia vina fundantur, sponte ei oleum nullis inserta caudicibus siluestri olere baca desudet: nec diffusi æquoris transfretaturus periculum propriæ salutis solicitus mercator horrescat, cui otioso potest quadam, vt aiunt, sorte genitali diuitiarum thesaurus allabi. Sed non hæc est vniuersorum sententia. Deniq; impiger depresso aratro terram scindit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus sole feruente tostas æstate colligit fruges: & negotiator*

S. Ambros. l. 4. Hexam. cap. 4.

impatiens flantibus Euris intuto plerung, nauigio sulcat mare. His talibus quotidianis exemplis clarissimum fit, nullam, in operibus humanis moliendis, *Fati* necessitatem, libero arbitrio industriæq; vincula inijcere; nec *Fatum*, si quod est, hominis in vtramque partem agendi facultatem excludere.

XVI. Quo intellectu veteres quosdã *Fatum* asserentes, nõ omnino reijcit D. Augustinus, cuius hæc sunt: *Qui verò nõ astrorũ constitutionem, (sicuti est, cum quidam concipitur, vel inchoatur) sed omnium cõnexionem seriémq; causarum, qua fit omne, quod fit, Fati nomine appellabant; non multùm cum eis de verbi controuersia laborandum atq; certandum est: quandoquidem ipsarum causarum ordinem & quandã connexionem Dei summi tribuunt voluntati & potestati, qui optimè & veracissimè creditur, & cuncta scire antè, quàm fiant, & nihil inordinatum relinquere: à quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates. Ipsam itaq; præcipuè Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare Fatum sic probatur.* Stoici verba accipe: *Natura*, inquit, *hæc mihi præstat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Quotiens voles, tibi licet aliter hunc authorem rerum nostrarum compellare &c. hunc eundémq; & Fatum si dixeris, non mentieris. Nam cum Fatum nihil aliud sit, quàm series implexa causarum, ille est prima omnium causa ex qua cetera pendent. Quæcunq; voles illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectúmq; cælestem continentia. Tot appellationes eius esse possunt, quot munera.* Hæc vt sine errore Stoicorum intelligantur, intelligenda est mens Boëtij *Fatum* sic describentis, vt dicat, illud aliud nihil esse, quàm *inhærentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quàm diuina prouidentia suis quæq; nectit ordinibus:* seu, vt alij clariùs breuiúsque definiunt, *ordinem causarum secundarum, diuinam prouidentiam exequentium.* Quia autem Deus, per medias causas, pleraque, in hoc Mundo exequitur, & *quæ à Deo sunt, ordinata sunt,* potest illa ordinatio spectari, vel prout in ipso Deo est, quo pacto *prouidentia* appellatur; vel prout est in causis ordinatis, & à Deo ad effectus producendos directis; qua ratione ordinatio *Fatum* potest vocari, estque *ordo rebus mobilibus inhærens*, quia causæ secundæ in quibus *Fatum* esse dicitur, in se spectatæ mutabiles sunt, & hoc vel illo modo operari possunt; nuncupatur tamen idem *ordo immobilis*, non in se vel absolutè,

S. Augustin. l. 5. de Ciuit. cap. 8.

Senec. lic. 4. de Beneficiis. cap. 7.

Boëtius l. 5. de consolat. prosa 6.

lutè, sed ad diuinam prouidentiam, vnde oritur, relatus. Per eiusmodi autem ordinem seu dispositionem dicitur *diuina prouidentia suis quæque nectere ordinibus*, quia, illius interuentu reipsa, perficit Deus, quæ apud se statuit facienda. Videt enim omnia antè, quàm fiant: & alia quidem absolutè statuit facere, alia autem facere, sub conditione; alia etiam permittere: quæ omnia certò præuidet. Vnde illa, vt in scholis loquuntur, *in sensu composito*, seu posito, quòd præuideantur à Deo, qui falli non potest, necessitatem quandam, non *antecedentem*, sed *consequentem* accipiunt; quæ libertati non obstat. Sicut non obstat libertati vrbem, sua sponte, ingredientis, quòd eum vigil in turri excubans videat ingredientem. Liberè ingreditur in vrbem, & posset non ingredi, si vellet, aut sub ipsa etiam porta reuerti; quod ipsum etiam excubitor è turri videret. Si tamen ponamus, videri eum ingredientem à vigile, necesse est, eum ingredi, non quidem absolutè, & quantum attinet ad illius liberrimam voluntatem; sed respectiuè, atque in ordine ad illum, qui eum conspicit intrantem: non enim eum conspiceret, si non intraret; nec posset non intrare, si intrare conspiceretur; si tamen sponte non intraret, intrare non conspiceretur. Hoc intellectu fortasse Martianus scripsit, Parcas esse, libraria cælitum, archiuique custodes, quæ sententias Iouis, orthographæ, studio veritatis, excipiant, apud Poëtas. Nam, in libro vitæ, &, in diphthera diuinæ Prouidentiæ, inscripta sunt, quæ sunt prospecta, &, si prospecta, vera sunt: itaque certò atque infallibiliter erunt futura; licet non futura, & adeò etiam non prospecta esse potuissent, si, qui liberè agunt, aliter agere voluissent.

XVII.

Hanc subtilitatem, quia non satis docti, non satis capiunt, *Fati* nomen antiquis Patribus & suspectum, & periculosum visum est; neque tamen, ob infallibilem Dei prouidentiam, omnino repudiatum. Hinc circumspectè D. Augustinus ait: *Omnia fato, fieri, non dicimus; immo nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen vbi solet à loquentibus poni, id est, in constitutione siderum, qua quisq; conceptus, aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Ordinem autem caussarum, vbi voluntas Dei plurimùm potest, neq; negamus, neq; fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè vt fatum à fando dictum intelligamus, id est, à loquendo. Non enim abnuere possumus, esse scriptum in litteris sanctis: Semel locutus est Deus, duo hæc audiui: Quoniam potestas Dei est: &, Tibi, Domine, misericordia,* S. Augustin. lib. 5. de Ciuit. cap. 9.

qui

qui reddis vnicuiq; secundùm opera eius. Quod enim dictum est, semel locutus est Deus, intelligitur, immobiliter, hoc est, incommutabiliter, sicut nouit incommutabiliter omnia, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Hac itaq; ratione possemus à fando fatum appellare, nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi, quò corda hominum nolumus inclinari. Et ibidem. *Voluntates nostræ aliquid per se valent, quia valituras atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest. Quapropter, si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in potestate, quàm illo caussarum ordine, quem non vsitato, sed suo more, Stoici fatum appellant, arbitrium nostræ voluntatis auferre.* Vbi in compendio habes, quidquid huc vsque disputatum est, nomen *Fati* vitandum Christiano, aut ita intelligendum, vt neque ab astris, neque à caussarum ordine vis aut necessitas liberæ hominis voluntati inferri existimetur; tametsi Deus, etiam quæ liberè ac contingenter futura sunt, necessariò & non contingenter, sed certò ac infallibiliter præuideat, & vnicuique, secundùm opera eius, quæ præuidet, reddere statuat; siue præmia, secundùm misericordiam, siue supplicia secundùm potestatem. Hinc sicut à Quintiliano, *suæ quisq; Fortunæ faber*, ita etiam sui dici quisque potest *Fati* author; prout enim se gerit, sic recipit. Sic Deus infallibiliter recepturum vidit, sic ab æterno, visis delictis, aut meritis, incommutabiliter statuit: sic facta, antequam fierent, iudicauit. Qua de caussa rectè Sophonias dixit: *Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati*: ita enim estis operati, sicut Deus ab æterno præuidit iudicauitque, vos mercede dignos, *quærite* ergo *Dominum*, vt ab eo, quod meruistis, accipiatis. At quærat aliquis, si homines, *Fato* non aguntur, sed diuina prouidentia omnia contingunt, quamobrem tanti *Casus* humana rotent? posset enim vtique cælestis illa sapientia hominem, per compendia ducere.

Sophon. 2. 3.

Huic quæstioni etsi sufficerent caussæ *Casuum* superiùs allatæ, paulò tamen deductiùs, est respondendum.

CAP. XXVIII.

CAPVT XXVIII.

Rectas esse vias, etiam cum Deus, per mirabiles hominem casus & varias vtriusq; fortunæ ambages deducit, illustri historia docetur.

OLim, *cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viã terræ Philisthijm, quæ vicina est: sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Posset mirari quispiam, cur id fecerit? cum alibi dicatur: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Sed si quis rem iustis ponderibus velit expendere, deprehendet, illas ipsas viarum ambages, vias rectas extitisse. Causam tantarum ambagum Moyses ipse de Deo ducente loquens addit: *reputans, ne fortè pœniteret eum* (populum) *si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum*, si viam tam breuem iuisset: facilè enim voluisset eam recalcare. Iam verò, tanto itinere confecto, noluit labores frustra exantlatos; ac proinde ad Ægypti obliuionem pariter, & ad amorem, pro terra promissionis, pugnandi, est impulsus. Siquidem vi potiùs perrumpendum censuit, quàm quadraginta annorum suscipere denuò profectionem. Et sanè etiã terra lacte & melle manans digna fuit, quæ per tot ambages quæreretur. Sic homines ad *regnum* quoque *cælorum*, quod *vim patitur*, ducit Deus. Ad quod, si breuis & leuis via esset, exigua hominis virtus, parua gloria foret, coronam cœlestem promereri. Quin neque ad seculi honores via leuis, aut breuis est. Omnes sceptra ambirent, ni vulnera obstarent. Neque inueniretur, qui terram hanc, velut Ægyptum, vellet relinquere, si tam breuis & compendiosa via esset, ad Mundi titulos ac prosperitates. Hoc est, deducere *iustum per vias rectas*, ita ducere, per Mundum, vt illi Mundus amarescat, cupiátque pugnare, & quiduis pati, pro vita illa regnóque omni amaritudine molestiáque carente. Quantas autem hominem Deus deducat, & quàm vtiles per ambages, quámque illi, velut in columna fortissima mollissimæ nubis, potenter suauitérque semper adsit, dum læta tristibus, & tristia lætis permiscet, omnes historiæ sacræ & profanæ docuerunt. Diuinæ nimirum sapientiæ consilium est, sic illustrare mentes generosas

I. Exod. 13. 17.

Sap. 10. 10.

Matt. 11. 12.

Senec. lib. 1. epist. 89.

Rutilij innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam, ait ille, *dum violatur, effulsit. Nunquid non sorti suæ gratias egit, & exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustrauit Fortuna, dum vexat.* An Æthna possit sublabi, & in se ruere, an illud excelsum cacumen & conspicuum per vasti maris spacia deterat assidua vis ignium, dubitatur: *virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. Hæc vna maiestas deprimi nescit, nec proferri vltra, nec referri potest.* In medio consistit, procellis vndique circumfrementibus. Obruta fluctibus emergit. Quassata ventis, consistit. Abducta auijs, in semitam redit, quia Deus deducit illam. Quod in historia iuuenis, ad summa, per omne obstaculum, emergentis accipe, & mirare.

II.

Card. Robert. Bellar. lib. de script. Eccl. Anno 1186.

Gothofridus Viterbiensis, Conradi III. & Friderici I. Imperatorum notarius, scripsit *Chronicum vniuersale*, quod appellauit *Pantheon*, quòd omnium tum Ecclesiasticorum, tum temporalium Principum res gestas cõtineat, & principes Dij, in S. Scriptura, appellentur. Hoc opus partim prosa, partim ligata oratione scriptum ipsi Vrbano III. Summo Pontifici dedicauit. Vnde non exigua ei authoritas accedit. Hic ergo Gothefridus Viterbiensis aliique scriptores tradunt de Conrado II. Rom. Imperatore, eum fuisse Principem admodum sapientem, iuris ciuilis peritum, & religioni Christianæ valde addictum, multísque, per Poloniam, Italiã, Galliam, Burgundiámq;, victorijs clarum, & iustitiæ tam tenacem, vt nulli pacis violatori, aut rebellionem molienti veniam daret. Itaque, post multos, in nominatis regnis, sceptrum aliamúe potestatem tyrannicè affectantes bello subactos extirpatósque, magnus, inter omnes, metus, vim, ambitionem, turbationémque publicæ tranquilliatis diu cohibebat. Quanquam, quid dico, diu? nulla, in hoc mundo, etsi per aliquot annos perseueret, est diuturna tranquillitas. Comes ergo quidam Lupoldus nomine, (Luisius Contarinus Lampoldum Palatinum de Bauaria, Martinus Crusius Diopoldum comitem Caluensem Sueuum nominat) rebus aliquamdiu pacatis, cæpit consilia turbulenta agitare, quæ vbi vidit emanasse, mortem certam ab Imperatore metuens, fuga sibi censuit consulendum. Inter homines Cæsari placere cupientes, nusquam erat tutum habitare. Igitur ad feras, in remotam ab omni humano consortio siluam Nigram seu Hercyniam, non procul à castro suo Calua, se recepit. Ibi, in tuguriolo, quod tumultuario opere excitârat, aut, vt alij volunt, in molendino vacuo, cum

Gotfrid. Viterb. chron. part. 17. E. andem historiam refert Luisius Contarinus, in diuers. exemp. is virtut. & vitiorũ. pag. 166. & Giouani Villani nel. 4.

Martin. Crusius in Annalibus Sueuiç. lib. 6. part. 2.

vxore

vxore, solus latitauit, iram Numinis pariter placans, & deuitans Imperatoris.

Hîc nunc attendite, quàm verè dixerit Deus: *Ego occîdam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere.* Comes Lupoldus in aula penè fuit occisissimus; in silua tutissimus; sed diuina sapientia, in orbe terrarum, mirabiliter ludente, mox iterum percussus, iterum sanatus fuit; neque fuit tanta Imperatoris potentia, quæ posset eum de protegente cælesti manu extrahere. Texerat iam aliquanto tempore Lupoldum latebra sua satis. Sed quid semper tectum manet? Delectabatur Imperator venatione, quæ eum in intima non rarò nemora pertraxit. Aliquando igitur feras ardentiùs persecutus, dispersis aliò atque aliò socijs, viam & se amisit. Itaque, quà licuit, exitum quæsiuit. Tandem, per densas arbores, sub initium noctis, ad eam ipsam casam delatus est, in qua Lupoldus presidium suum credidit esse constitutum. Viuendi ratio, in Comite atq; vxore eius, etiam vultum mutârat, vt ab Imperatore non agnoscerentur. Pallor os insederat; genæ erant colore mustellino; capilli prolixè in humeros descenderant; facies rugis & squallore deformata carbonarium referebat; denique ipsa etiam in siluis barba siluescebat. Ita incognitus ipse, probè cognitum hospitio excepit Imperatorem, eique, quæ solitudo concessit, ruris & agelli solatia ministrauit. Cogitate quis tunc sensus Lupoldo, quis coniugi eius fuerit. In ambiguo vtiq; consilio anxiè deliberârunt, occultine Cæsarem atq; incogniti dimittere, an se prodere atque delicti veniam petere deberent? Miserum erat, in solitudine habitare; rogare veniam, periculosum Latere tutius esse arbitrabantur.

III. Deuter. 32. 39.

Quanquam prope plus Deus manifestauit, quàm ipsi occultauerunt. Ea enim ipsa nocte, qua Cæsar, apud illos, diuertit, vxor Comitis viro suo prolem masculam peperit. Qua genita, pariter vox vna pueri vagientis, & altera de cælo, ad aures Imperatoris accidit, his verbis: *O Imperator, infans iste erit tibi gener & hæres.* Ac ne irrita esset, vox hæc eadem, tertia vice, est repetita: *ô Imperator, infans iste erit tibi gener & hæres.* Indomitas hæc verba, in animo Imperatoris, curas excitauerunt. Egóne filiam meam rustico dem in matrimonium? opes meæ, & bona mea ad hunc terræ filium transibunt? Non transibunt. Igitur, quod Herodi olim furor suggessit, vt regem Iudæorum è medio tolleret, ne ipse

IV. Matth. 2.

rex Iudæorum esse desineret; id etiam suggessit Conrado inuidia. Somno omni ablato, vix diem expectare poterat, alioqui non molliter cubans. Quare, prima luce, inde se proripiens, famulos comitésque suos quæsiuit. Nec minore solicitudine quæsiuerunt illi Imperatorem. Vt citiùs se reperirent, canum latratus indicium fuit.

V. Quàm primùm in suos incidit, duobus seuerè mandauit, vt mapale, non ita procul dissitum, quærerent, in quo ipse pernoctârit. Illi nihil aliud diuinabant, quàm præmium hospitij se ad loci inquilinum relaturos; cum ecce longè aliud mandatum accipiunt, ac, præmij loco, luctum in pauperem domum portant. Iuramento astrictis præcipit ira iniusta feruens Imperator, vt natum, præterita nocte, puerum occidant, & cor illius ad se referant argumento cædis peractæ. Eunt inuiti percussores, Iares, parentes, & infantem, in sinu matris, iacentem inueniunt: paucis, quid facere iussi sint, exponunt. Quis tunc sensus, quæ mens fuerit, ad hunc nuncium, mœstissimorum parentum, vos cogitate. Nempe, inquiebant, hoc meruimus hospitij, & quidquid in eo erat, oblatione? Hæc gratia reponitur? Infans vnum diem non integrum vinet? Quid autem hic peccauit? cur non potiùs parentes interficiuntur, in filio superuicturi? Vox de cælo missa, ô Imperator, tibi iram inflammauit. Contra superos, non contra mortales, pugnas; illis causſam, illis sobolem nostram committimus, quando vim vi repellere non conceditur. Tu, Deus, hunc nobis filium dedisti; tu eum recipe; si volueris, *generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.* Ita locuti, vltimum, haud ambiguè, osculum infanti impressérunt, lachrymis genas illius calefacientes. Molliti sunt penè & ipsi tantæ crudelitatis legati paterno affectu; sed, vt fit, metu Imperatoris non ausi sunt esse clementes in innocentem; veriti, ne, alijs submissis & puerorum inuenturis, ipsi periclitarentur.

Pſ. 144. 4.

VI. Abripitur infans, & viuum funus, è domo sua, vident efferri miserabiles parentes. Igitur nemo restabat, qui aut opem ei ferret, aut causſam, pro eo, peroraret. Solus Deus, qui *erigit elisos*, ex infante ipso oratorem fecit, omni Cicerone, eloquentiorem. Nihil erat, quod in recens nato puero non loqueretur. Cum fleret, mouebat; risu precabatur; motu brachiorum videbatur concionari. Sed nihil disertius fuit, quàm forma, & proportio totius faciei.

Pſ. 145. 7.

faciei. Quoties ergo puerum aspiciebant satellites, animus illis variabatur, sentiebántque, naturam reluctari, quotiescunq; manum capulo admouebant, ad illum iugulandum. Tandem vnus eorum ait: Vultui inscripsit natura indolem, atque è flore apparet, quis fructus sperari possit. Nefas est interficere tantam venustatem. Ego manus meas hoc sanguine non impiabo. Neque ego, inquit alter. At quid, si exponimus, continget derelicto? Quid interest, à ferróne pereat, an à lupo deuoretur? Placuit eum arbori imponere, &, velut peregrinam auem, in nido collocare. Inde liber euolauit aquila olim futurus. *Frustra* enim *iacitur rete, ante oculos pennatorum.* Erras, Imperator: quod è cælo audisti, fiet; non quod, inuito cælo, cruenta manu es machinatus. Frustra Moysen Pharao voluit infantem in flumine aquis suffocare: frustra infantem Christum Herodes militum ferro trucidare. *Qui habitat in adiutorio altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.* Prou. 1. 17. Psal. 90. 1.

VII. Infante, intra ramos, à trunco, in orbem diffusos, composito, noua satellitum mentes pulsauit cogitatio. Etenim, in singnũ interfecti pueri, cor eius iussi sunt ad Imperatorem afferre infandæ lanienæ ministri: absque hoc si venirent, se ipsos, tanquam perfidos, videbant vitam perdituros. Trahebant, velut in venatu, secum duos venaticos canes. Igitur vnus fune ad se rapiens canem, En, ait, hunc tibi vertagum, acrem, expeditum,

Illæsum leporem qui tibi dente feret. Martial. lib. 14.

Leporis cor, pro pueri corde, ostensum, satis testabitur, nos mandata esse executos. Gotfrid. Viterb. loc. cit.

Dixit: & ecce lepus iuuenum per crura resurgens

cani se capiendum, & satelliti necandum, quasi succidaneam hostiam, obiecit. Adeò in historia hac verum est, quod olim, in fabula, de cerua Iphigeniæ substituta, fictum fuit. Cor execant lepori, tepidúmque referunt Imperatori, à quo, de fidelitate laudati, etiam præmium acceperunt simulatæ cruddlitatis.

VIII. Dum hæc ab Imperatore geruntur, puer expositus & fame periturus, qui gressu se mouere non potuit, ploratu alios acciuit. Dux quippe in aula clarissimus (Ducem Alemanniæ Ernestum II. vocat Crusius) eodem loco, errans, immo velut Angelus ad Agar, à Deo missus expositi infantis audiuit eiulatum. Verso igitur equo, vocem sequitur, puerum velut nouum Oedipum inuenit; & miseratione motus, nemine sciente, domum por-

tat. Erat illi sterilis vxor, qua eiuscemodi etiam sibi filium optante, ait: Quid si, cum natura neget, Deus hunc nobis filium dedisset? Censet coniux eum adoptandum. Enimuerò, ait, Dux quid si de te natum fingas, prolémque tuam ac meam esse affirmes? Placet feminæ consilium, iubétque, intempesta nocte, de lecto surgere Ducem, atque omnibus, cum gaudio, nunciare, *Ducissam peperisse*. Volat fama, & creditur vbique speciosum mendacium. Nec minùs versutè maritus patrem, quàm vxor puerperam simulauit. Fit concursus, existit gratulatio; laudatur partus, &, consueta adulatione, dicitur ab omnibus patrissare; nomen illi inditur Henricus. Qui etsi non verus fuit Ducis gnatus, veris tamen vtrumque gaudijs impleuit; quòd annis procedentibus, virtute, scientiisque, ac præsertim arte militari mirificè excelleret, omniáque decenter ageret. Hanc tam secundam Henrici fortunam, Stygius Alastor, non longè pòst, conatus est euertere.

IX. Quintum decimum iam agebat Henricus annum, cum, posita prætexta, ad paludamentum atque militiam aptabatur. Eo tempore, Ducem Rauenspurgi inuisit Conradus Imperator. Henricus, vt par erat, inter primos astitit, qui ei ministrabant. Sed & inter primos eminuit: forma recens; facies nitida; capilli flaui & sucsino æmuli; statura, qualis heroëm decet, nihil in eo vulgare ostendebant. Hunc attentiùs contemplatus Cæsar, cæpit secum primò reputare formam, tùm mores, tum quo stemmate esset oriundus. Ducem igitur interrogauit: Cuiusnam puer iste esset? Duce suum esse asseuerante, cæpit cogitare, quo pacto tam annosæ sterilitatis mater filium, post tot matrimonij lustra, peperisset; deinde, malo genio semper deteriora suggerente, alia ex alijs connectens, fictitium esse filium illum censuit; tandem suspicatus est, hunc ipsum esse puerum, quem, in silua, interfici iussisset; quique ad regnum ac diadema, cælesti voce, esset designatus. Metuens igitur sceptro vel incertæ statuit suspicioni obsequendum, puerúmque, securitatis caussa, è medio tollendum, cuiuscunque parentis esset. Ad hoc consilium perficiendum, laudat Duci filium, eúmque Achilli æquiparat; laudatum petit à parente, inter aulicos porrò proceres educandum. Obtendit Dux Henrici ætatem teneram; obijcit litterarum adhuc exactiùs addiscendarú necessitatem, & mille talia. omnia in cassum. omnia enim vel elidit, vel eludit Conradus. In summa, abducitur, inuito patre, iuuenis,

iuuenis, in silua, seruatus, periturus in aula. Abductum serió interrogat;

Quod genus, vnde domo, qui te genuêre parentes?

Henricus, quia aliud nesciebat, id, quod putabat se scire, respondit: *Ducem esse suum parentem, Ducissam matrem, ab his se à teneris vnguiculis eductum; neq; aliud sibi constare.*

O suspicio, quàm indomitum es malum! & quantorum malorum fons! Qui Duci non adhibuerat fidem, neq; puero credit, &, Furijs animum stimulantibus, æmulo exitium parat. Aberat tunc Aquisgranum septem dierum itinere ab Imperatore, eò, sua manu, Cæsar exarat litteras, quib. Impatrici mãdat, vt, accepta epistola, latorem eius illicò iubeat interfici. Litteras in hunc modum compositas Henrico tradit, tanquam nouo Vriæ, & Bellerophonteas vtique, iubétque & secretò, & celeriter ad Imperatricem perferre. Portat ille nescius & exultabundus mortis suæ compendium, & ne tardiùs veniat ad suum macellum, quanta contentione potest, properat. Quòd multis hodiéque contingit, qui sibi plaudunt, cum à Principibus, vel Regibus, vel Imperatoribus legationem, per speciem honoris, accipiunt, in perniciem omnium suarum fortunarum; neque rarò in æternæ salutis iacturam. Quod alta mente reponere debent magnates, generosi, atque illustres; qui sæpe suo de exitio triumphant. Quod & huic Henrico cõtigit. X.

Sed iterum hîc mihi exclamandum est: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Siquidem iuuenis iste omnium malorum insidiarúmque inscius, de via diuertit ad quendam sacerdotem (Spirensem Decanum quidam vocant) cibum & quietem capturus. Excipit tractátque eum perquàm humaniter sacerdos. A mensa surgentem, & lassitudine victum, in scamno, recumbentem dormire sinit. E pera dormientis litteræ conspectui se se exeruerunt. Ibi curiositas sacerdotem incendit sciendi, quid noui illis litteris portaretur. Clam educit illas, aperit, legit funestum theta. lectæ attonito è manu ceciderunt. Ergóne tu, iuuenis, inquiebat, necis tuæ ipse es baiulus? ergo tam insignis indoles peribit? ergo tam præstans heros morietur? nequaquam morietur. Et, cum dicto, quæ nocuissent, rasit, eorúmque loco, scitè reposuit: *Cum videris hunc puerum, ô Regina, statim da ei filiam nostram in vxorem, sicut diligis vitam tuam.* Has sic emendatas litteras, scitè iterum clausas in iuuenis saccum reposuit dormientis. XI. Psal. 90. 1.

mientis Orto die, Henricus, gratijs hospiti actis, abitum parabat. Cui hospes & ipse iter lætum precatus, obsequia obtulit, etiam atque etiam rogitans, ne sui obliuisceretur, si rex fieret. Excepit hoc dictum, cum risu Henricus, tanquam ioco prolatum, festinúsque Aquisgranum deproperauit.

XII. Aquisgrani Imperatrix lectam epistolam filiæ, vnà cum iuuene latore; dein etiam reliquis aulæ proceribus; denique & curiæ ostendit. Respondent omnes, ipsam iuuenis egregiam formam, epistolæ instar, esse; verba, mores, gestus generosæ mentis argumentum præ se ferre, &, si hæc deessent, tamen Cæsaris tam seriæ voluntati satisfaciendum. Fit extemplo ingens apparatus: &, ante solem occasum, extemporales nuptiæ, ingenti omnium gaudio, celebrantur. Postera luce, alteræ à Cæsare adsunt litteræ, quibus scire se velle, scripsit, num ea, quæ, in præcedentibus, mandârat, facta sint? Rescripsit Imperatrix, difficile quidem sibi accidisse, vt, tantis temporum angustijs circumscripta, nuptias filiæ cum Henrico adornaret, mandantis tamen Imperatoris adeò seuerę authoritati & se, & omnes actutum parendum iudicauisse: habere igitur & iuuenem sponsam regiam, & filiam sponsum regio sanguine dignum. Legit, & obstupuit, tam inexpectata responsione Cæsar, atque illico se in viam dedit, &, quàm festinatissimè Aquisgranum profectus obuiam habuit Imperatricem, ac filiam, quæ sponsum, immo iam generum Imperatori manu ductum præsentauit. Ibi certamen in pectore Imperatoris extitit, quale nunquam antè, in vita sua, est expertus. Hinc ira, inde clementia; hinc furor, inde ratio; hinc vindicandi libido, inde diuinæ prouidentiæ modus colluctabantur. Tremuit ad hunc aspectum iuuenis; expalluit recens nupta; externata est ipsa Imperatrix: omnes se se putabant interituros. Vicit tandem ratio, perorauit natura, præualuit Deus. mutato itaque vultu, Cæsar lætus iam, & omni ira depulsa Imperatrici, nouisque nuptis arridens dixit: Verè Deus, *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Verè Dominus *Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?* Subiungit Imperatrix: Deus hoc fecit, cuius sapientia immensa, cuius potentia infinita est: huic laudes dicamus. Vnum tamen me angit, & pacem habere non finit, incerta prosapiæ origo. Si sciuero, generum me habere stirpis antiquæ, beatam me existimabo. Adigitur dux, ipsa euentus prosperitate, adiguntur duo satellites, ad verum sponte sua

Psal. 75 8.
Iob. 9. 4.

sua prodendum. Fatentur, quæ egerunt. Vocatur è silua Comes, qui cum se ad supplicium putaret citari, filium inuenit Cæsaris generum factum. Martinus Crusius in Annal. Sueuiæ lib. 6. part. 2. ex quorundam sententia confirmat, quod Luisius Contarinus scribit, etiam factum Imperij successorem: quod etsi alijs Henricum alium successorem nominantibus non conueniat, tamen aptè potest ad mores trahi: vt mox audiemus. In loco, vbi Comes delituit, Monachis templum struitur & domus, quæ Hirsaugia appellatur, notissimum hodiéque, in Wirtenbergia, monasterium, cuius vt illustrior esset natalis origo, à tantorum Principum *casibus* fuit accipienda.

CAPVT XXIX.

Historiæ Superioris ambages & CASVS, per corollaria, explicantur.

VTinam Comes iste, siue Palatinus, siue quicunque alius, haberet multos imitatores! Enimuerò habet multos, sed rebellando. Habet etiam multos, qui in gratiam Principum recipiuntur: sed paucos, qui sic recepti, curent etiam in Numinis gratiam recipi, atque, vel de spolijs & rapinis suis, ædes Deo Diuisque sacras exstruant. Atqui idcirco Deus illos percussit, vt icti saperent; idcirco deiecit, vt, mente vnà cum fortunis erecta, resurgerent fortiores, diuinúmque, posthac, cultum promouerent; non vt templa expilarent, aut loca Deo dicata euerterent, quæ illorum maiores, per tot prodigia excitati, fundationibus liberalissimis cõdiderunt: ducti vtique, *per vias rectas*; cum isti, tanquam impij, *in circuitu ambulent*, dum ad opes rapiendas reuertuntur, quas illorum proaui Deo donauerunt. Sed hæc missa faciamus, quia odiosum est, vlcera tangere. I. Psal. 11. 9.

Multa sunt alia, quæ, ex memorata historia Henrici, erui possunt documenta. Nam & quàm imbecilles atque irriti sunt hominum conatus, si diuinæ obnitantur voluntati, & contra stimulum calcitrent, perspicuè apparet. Frustra nitimini, qui cælo repugnatis; cum Sisypho saxum voluitis, qui consilia contra superos

II.

peros fabricatis: etiamsi gigantes sitis, sidera tamen non expugnabitis: inania meditamini, ô *reges terræ & principes, qui conuenitis in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Non est enim in hominis potestate consilium Dei.* Vestra potestas, in paucos annos durat, *potestas eius in generationem & generationem.* Potestas vestra iubere potest; illius potestas facere. Nam *data est à Domino potestas vobis*: ille à seipso habet potestatem, cui omnis potestas cedit; *quoniam magna potentia Dei solius.* Itaque frustra filios vestros absconditis, parentes, frustra in peregrinas terras mittitis, vt Deo subducatis. Frustra æmulos vestros, ô aulæ, dolo, ferro, veneno petitis; si illis diuina prouidentia regnum præparauit, digitulo vno non attingetis. Frustra vos, ô portæ Inferi, Ecclesiam impugnatis: *Portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.* Frustra vos, ô impij, pios monitores persequimini: *custodit Dominus animas Sanctorum suorum.* Potest eas, per tela, per ignes, per omnes machinationes vestras, per mille discrimina, per Iordanes, per maria, per leones, per caminos ignis ardentis, educere ad felicitatem. Aspera hæc quidem, sed, etiam per ambages, recta est via.

Pſal. 2. 2. Tob. 3. 20. Daniel. 3. 100. Sap. 6. 4. Eccli. 3. 21. Matt 16. 18. Pſal. 96. 10.

III. In memoriam reducite alternas cum procellis vices, quas in historia paulo priùs recitata audiuistis. Comes Palatinus prosperitate extollitur: mox metu Cæsaris iterum deprimitur. Fugit in siluam, & latebris gaudet: sed aduentu Cæsaris externatur. Denuò lætatur, se non agnosci; & natum sibi filium gratulatur: sed intra paucas horas, quanto luctu, eundem amittit? Filius ipse infans, è sinu matris abripitur ad lanienam. Inde tamen liberatus, in Ducis filium adoptatur. Apud hunc, cum maximè floret, in suspicionem, & præsentissimum vitæ periculum venit. Currit ad necem, & inuenit Cæsaris filiam in vxorem. Quanta hæc est vicissitudo? Hæc Dei via est, etiam de laqueo ducentis ad diadema.

IV. De Corintho dictum est: *Hæc collibus attollitur, & vallibus deprimitur.* Quod & de Roma potest affirmari, quæ septem collibus est celebrata. Quin & tota terra ita est constituta, vt nunc per plana, nunc per aspera; nunc per summa, nunc per ima ducat; nunc prata, nunc flumina, immo tota maria euntibus obijciat. Hac inæqualitate vitæ humanæ varias vices & casus, viámque ad cælum tendentium, velut emblemate quodam, descripsit Deus. Ita homines sursum feruntur & deorsum. Maritimi mores, sunt mortalium mores; semper fluctuant; semper alternant,

Tollun-

Tolluntur ita, vt *Iam iam tacturos sidera summa putes.* Deijciuntur ita, vt *Iam iam tacturos Tartara nigra putes.* Hinc, in bello, *Arcus fortium superatus est* sæpissime: *& infirmi accincti sunt robore*; quique paulò antè pugna superiores fuerunt, iam victi triumphantur; & in contrarium triumphant, qui fuêre triumphati. Hinc *repleti priùs*, ad vomitum ac satietatem, paulò pòst ad incitas redacti, tanquam mercenarij pauperrimi, *pro panibus, se locauerunt*: in contrarium autem, *famelici saturati sunt.* Et si de mulierum ærumnis, aut superbijs est quæstio, sæpe *sterilis*, cum Sara, Anna Elcanæ, Elisabetha, *peperit plurimos: & quæ multos habebat filios*, quæq; de ijs superbè alias contempsit, tanquam Niobe aliqua, *infirmata est*, amissione omnium liberorum. *Quia Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & subleuat. Suscitat de puluere egenum: & stercore eleuat pauperem; vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Quòd planè perspicuum fuit, in Henrico Comitis Palatini filio. Vsque adeò non in diuersis duntaxat, sed in eodem etiam homine hæc est diuersitas, vt acerba dulcibus temperentur, & dulcia amaris restringantur: quæ non meruit, qui acerba non gustauit. Nam per patientiæ ac Virtutis templum, ad templum, Honoris gloriæque transeundum etiam Ethnici censuerunt. Quorum est & illud: *Dij laboribus omnia vendunt.* Nec quidquam *pulchrum*, nisi *difficile.* Recta igitur est via per laborum & aduersorum ambages. Felix, qui Fasten piscem imitatur, in cuius ore maritima aqua salsáque mox fit dulcis. Nam bona indoles amara quæque sua dulcedine temperat, &, vt Plautus loquitur, *Optimum est ærumnæ condimentum æquus animus.*

1. Reg. 2. 4.

Ibid. ℣. 5.

Vincent. lib. 18. c. 54.

Hac via Deus Noë deduxit in arcæ carcerem eũ includens, & lamentabile diluuiũ tot cognatis, tot affinibus eius, & toti Mundo inducens; sed *per contemptibile lignũ iustum gubernans*, ipso in quẽ eum inclusit, carcere, & tantis fluctibus liberauit. Hac via *profugũ iræ fratris iustũ* Iacob *deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnũ Dei, & dedit illi scientiam sanctorũ: honestauit illum in laboribus, & complenit labores illius. In fraude circumuenientum illum affuit illi, & honestũ fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen fortè dedit illi, vt vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.* Nam Patriarcha iste iam primogenituræ priuilegio auctus, iam odio fraterno grauatus; iam benedictione

V.

Gen. 7. 6.

Sap. 10. 4.

Gen. 28. 5.

patris, iam fratris comminatione vices alternauit; iam exilio miser, iam ouium fœtu locuples: diuturnam seruitutem seruiens circumuentus est, & pro Rachaële Lian, sed & ipsam etiam tandem Rachaëlem adeptus, mœstas lætásque nuptias celebrauit. Neque in reditu sine periculo fuit, Laban Deos suos repetente; & Esau cum valida manu occurrente; vt adeò & à tergo, & à fronte premeretur. Idem tamen, quem homines agitarunt, Angeli vel colluctantes, vel in scalis sursum ac deorsum & ipsi commeantes, recreauerunt. Hac via Deus *venditum iustum non dereliquit* Ioseph, Sap. 10. *sed à* fratribus *peccatoribus*, & ab Ægyptijs calumniatoribus *liberauit eum: descendit q; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, &* Gen. 37.2. *dedit illi claritatem æternam.* Mira varietas; miræ vices, miri fluctus. Charissimus Patri, fratribus fit odiosissimus. Castissimo in- Cen. 37.9. sidiæ fiunt ab ijs, quos *de crimine pessimo* accusauit. Is qui modò florida veste conspicuus & alijs prælatus fuit, tunica spoliatur polymita nudatur. Is qui viderat, *quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare se, in cisternam veterem* mittitur; quasi mancipium venditur; traducitur, quasi adulter; compingitur innocens in catenas; & tandem, per carceres ascendit ad solium, per catenas venit ad coronas: per vincula euectus est ad sceptra. Quippe etsi rex non fuerit, par tamen propemodum fuit illius potentia, cum regia potestate. Per has ambages illum Deus deduxit; quis neget, per vias rectas deduxisse? De Iob, quid opus est multa commemorare? Ille potentissimus, ditissimus, felicissimus, &, quod plus est, etiam iustissimus atque sanctissimus, de solio in sterquilinium descendit, vt rursum, de fimo ad sceptrum eductus, *de stercore pauper eleuaretur.* Quanta fuit metamorphosis, ex Cræso Irus, ex Iro Cræsus? & rursum ab omnibus colebatur, qui omnium fuit peripsema. Quis neget hanc rectam fuisse viam? Iustus erat antè & misericors, ac in pauperes liberalis; sed multò postea, in his virtutibus, confirmatior, quia plus discit expertus æstimare calamitates, vt etiam illa testatur, quæ dixit:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Dauid quoties fortunam sensit variatam? A proprijs fratribus reprehensus; à Goliath hoste irrisus; à Nabal neglectim contemtus; à Michol vxore, cum saracasmo, spretus; à Semei conuicijs saucia-

fauciatus; ab ipso Saule toties ad necem quæsitus; per hæc omnia, velut per atrocem, eámque non vnam tempestatem emersit ad summam dignitatem rex factus. Hæc via recta erat, quia erat via Heroum & generosorum; per qualem etiam Poëtæ fingunt, Herculem suum meruisse, vt inter sidera collocaretur. Horum sententiâ non voluptas, sed aduersa illum extulerunt.

VI.

Quid exemplis pluribus opus est? *Nonne hæc*, atque eiusce modi plura, ipsum *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vt homo debebat nos redimere; vt Deus nobis innotescere. Qua de caussa alternum in illo fuit rerum secundarum & aduersarum regnum. Vix, eo in has auras nato, Angeli carmen Genethliacum cecinerunt, & insonuit, per campos, lætum illud: *Gloria in excelsis Deo:* cucurrerunt Pastores, & *reuersi sunt glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant:* properarunt ab Oriente Magi, *& intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Hæc iucunda & honorifica fuerunt; sed interuenêre & præuenêre iniucunda ac difficilia toleratu. Nam *in propria venit, & sui eum non receperunt: non* enim, etiam nondum nato, *erat ei locus in diuersorio.* Neque locus erat, cum natus esset, de qua caussa, inter bestias, in stabulo habitauit. Magna est diuersitas, inter pecudes iacere, & reges habere adoratores. Octiduum ierat, & iam cæpit vulnerari; iam sanguinem fundere, cum circumcideretur, haud sanè exiguo cruciatu. Laudatus est à Simeone & Anna, in templo, sed ad internecionem mox quæsitus ab Herode, atque in exilium fugam facere coactus. In exilio quoque, vt fit, credibile est, ei non pauca ingrata accidisse. Adultus interfuit nuptijs, interfuit & conuiuijs; sed & 40. diebus & 40. noctibus ieiunauit; sæpiúsque esurijt, post magnos labores. Eum illi honorem exhibuit Magdalena accumbenti, vt calidis lachrymis pedes eius ablueret, atque illis capillis tergeret, quos antè ornauerat in omnem vanitatem. Sed hunc honorem Pharisęus importunissima murmuratione contaminauit, mellíque acetum infudit. Aliàs cum, ob miraculorum patrationem, ab omnibus alijs pro magno Propheta, pro Filio Dei, pro Messia haberetur; inuidia Iudæorum nonnullorum omni eum contumelia affecit; variorúmque impositione criminum onerauit. In monte Thabor, instar solis, effulsit, ipsáque etiam

Luc. 24. 26.

Luc. 2. 14.

Matth. 2. 11.

Ioan. 1.

Luc. 2.

veſtis eius, tanquam nix ſplenduit: vt iudicarent Apoſtoli, bonum eſſe, vt ibi habitarent. At quàm atrociter hunc montem mons Oliueti, ac mons Caluariæ compenſauit? In monte Oliueti, *Triſtis* erat *anima* illius *vſq; ad mortem*; & veſtes eius, inſtar vermiculi; ſanguineo ſudore madentes erubuerunt. Ibi illi ipſi tres Apoſtoli Petrus, Ioannes & Iacobus, non dixerunt: *Bonum eſt, nos hîc eſſe*, ſed & illi, & ceteri *omnes, relicto eo, fugerunt*. Poſtea, vſque ad vltimum ſpiritum, nullam bonam horam habuit; omnibus totius corporis membris, omnibus animæ potentijs, omnibus modis, cruciatus eſt: falsò accuſatus, iniuſtè damnatus, diriter flagellatus, ſpinis crudeliter coronatus; clauis, lanceisque viuus ac mortuus immaniter transfoſſus; nec ſine ſumma infamia in patibulũ adactus, inter latrones, atque inſtar latronum, interfectus eſt. Hæc
Luc. 24. 26. via fuit ipſius Filij Dei: *hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*. Per talia, *datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Sic, media die, ſol obſcuratus; ſic petræ ſciſſæ, ſic monumenta aperta; ſic prodeuntes mortui; ſic glorioſa reſurrectio teſtata eſt, eum eſſe Dominum vniuerſi.

VII. Quod ſi igitur hæc via, per tot abrupta & ſcopulos, via recta eſt, cum ſit via Sanctorum, & via ipſius Filij Dei: quis eſt, qui
Luc. 23. 31. non ſibi ipſi quotidie occinere debeat: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si Chriſtus innocens, impollutus, agnus ſine macula; ſi Apoſtoli ſanctiſſimi, ſi Martyres cæleſti amore ardentes; ſi Eremitæ & homines Deo chariſſimi, per tot tormenta, & aduerſa ad regnum & coronas peruenire debuerunt: quid peccatoribus non erit tolerandum? Hi non tantùm eiuſdem ſunt, cũ ceteris hominibus, conditionis, vt proinde illis cogitandum ſit, vitam humanam ſine malis eſſe non poſſe, atque idcirco ex neceſſitate virtutem eſſe faciendam; neque tantùm patientiam ſibi exercendam conſtituere debent, vt patientiæ præmium mereantur; ſed etiam innumera admiſerunt, meritò luenda. Si igitur, loco æterni ignis, aut flammarum in Purgatorio ſubeundarum, illis clementiſſimus Iudex iniuriam aut contumeliam à falſo fratre irrogatam immittit; ſi detrahi de honore, ſi de boni nominis exiſtimatione, per mendacia, & vindictas alterius ſinit; pareit, non ſæuit; limat, non mactat. Hæc eſt recta via, qua ex inuio reducuntur. Recta via eſt, ſi illi rectè per eam ire volunt: ſi non incipiunt murmurare; ſi non conqueri, ſi non ferere execrationes, ſi Deum

non

non accusare, qui, *quos amat castigat*. Et certè etiam qui Deum maximè amant, maximè, pro nomine Dei, optant contumeliam, & quiduis pati. Qui autem parum amant, parum, illius amore tolerant: qui non amant, nihil tolerant patienter. Nec enim tolerare sufficit; cum etiam diabolus grauissima sustineat tormenta, quibus ferendis non modò nihil præmij meretur, verùm etiam semper peccat. Diabolo itaque similes sunt, qui quæ ferunt, cum indignatione, & odio, & vindicta ferunt. Malum igitur grauiùs reddunt, quod grauiùs ferunt. Neque est, quod dicant: *aliud malum libentiùs paterer; hoc quod nunc premit, opprimit*. Stulti hoc dicunt. Non est enim ægroti, vt Medico, sed Medici, vt ægroto præscribat. Deus longè exactiùs nouit, quid nobis prosit; in illum cogitationem nostram iactemus; illi erit cura de nobis; ille nouit, quali emplastro indigeamus: ille dixit: *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini*. Quamobrem Sancti sinunt se duci diuina voluntate: nullos casus metuunt, nullam fortunam formidant: sciunt enim vias Domini esse rectas, & sic, etiam per has ambages, rectè se duci ad diadema. Qui fidit Deo, non aberrat. Ac, ne desperemus, aduersa lætis identidem temperantur; mutántque vices nunc amara, nunc dulcia; vt dicere possimus: *secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Conqueri non possemus, si per sola aspera duceremur: nunc aspera planis mitigantur. Ita bonus est Deus, qui, ob nullos casus acerbos, iniustus esse est existimandus. Ioan. 16. Psal. 93. 19.

CAPVT XXX.

Quinam, & quanto fructu, considerârint, Casus omnes, non à Fortuna, sed à Deo mortalibus inuehi?

QVoniam ergo neque à *Fato*, neque à *Casu*, neque à *Fortuna*, sed à Deo regitur Mundus; Deus autem neque necessitatem hominibus, ad agendum iniecit; neque temerè aut fortuitò quidquam sinit fieri; sed, summo consilio omnia dirigit, quæ illi, qui cæci sunt, cæcæ Deæ ascribunt, aut *Casu* contingere arbitrantur: supereſt, vt diuinam prouidentiam, bonitatem, æquitatem, I.

inter

inter omnes *Fortunæ casus*, agnoscamus & veneremur, dicamúsque, cum Iob: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Vtraque enim ab illo. De bonis ait S. Augustinus: *Deus æternæ felicitatis author & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat terrena & bonis & malis. Neq; hoc temerè & quasi fortuitu, quia Deus est, non Fortuna: sed pro rerum ordine ac tempore, occulto nobis, notissimo sibi: cui tamen ordini temporum non subditus seruit: sed eum ipse, tanquam Dominus regit, moderatórq; disponit.* De malis pœnæ autor naturæ ait Amos: *Non est malum, in ciuitate, quod non fecit Dominus.* Cum itaque tam mala, ista, quàm bona sint à Domino, meritò dicimus, in omni Casu aduerso: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Dominus est, potest punire seruos; Pater est, potest filios castigare; Mundi Gubernator est, potest bonamalis, & mala bonis temperare.

Iob. 2. 10.

S. Augustin. lib. 4. de Ciuit. cap. 33.

Amos. 3.

II. *Tulipam* Dalmatæ ac Turcæ pileum vocant, seu amiculum capitis, quod gestare solent. Ab hac forma flori inditum est nomen, qui apertus inuersúsque pilei illius effigiem refert. Hic flos visu iucundus, atque insigni colorum pulchritudine admirandus summo cauli insidet sursum spectans, sex foliolis sæpe constans; interdum septem aut octo; in fundo, calathi, aut cyathi modo, se se pandit, è quo sena, aut totidem, quot sunt folia, stamina erumpunt; modò lutea, modo pallida, modò nigricantia; pediculis etiam, quæ stamina sustinent, mirum in modum colorem variantibus. Hunc talem florem alij æstimant si colore aurum; alij, si purpuram imitetur; alij, si interspersis, per certa interualla, maculis, velut gemmis varietur; mihi, præ omnibus, in eo, obseruatione dignum videtur, quòd cognitione carens, tamen adeò accuratè obseruet tempestatem. Nam, ad radios solares, se pandit, lucémque toto sinu admittit: ast, vbi radios vel nubes, vel pluuiæ occupant, illico clauditur, & se contrahens langueſcit, quasi principis sideris absentiâ tristaretur. Huic flori similes sunt mortales. Quippe homo, *quasi flos egreditur* nascens; crescens autem, *tanquam flos agri, sic efflorebit*; &, *sicut fœnum dies eius* morientis. Estque magna mortalium varietas. Alij auro nitent, alij purpura eminent. Sed in hoc tulipæ maximè æquiparantur; quòd, cum dies purus est, & sol serenus lucet; cum omnia læta & fausta; cum quidquid optant, impetrant; tum totos sinus pandunt, tum Deum salutant & laudant, iuxta illud: *confitebitur tibi, cum beneſeceris ei.*

Iob. 14. 2.

Psal. 102. 15.

Psal. 48. 19.

Et quis

Et quis hoc non faceret, cum etiam bestiæ beneficijs cicurentur? & canis eum sequatur, à quo panem accepit? Quod si verò *Fortuna* vultum auertat, si cælum nubibus obscuretur, si pluuiæ, si nimbi cadant *Casuum* aduersorum; tum animum contrahunt, tũ langueſcunt mente, tum manu cessant, & cum cælo ipso tristantur. Neque hoc satis est, sæpe etiam tonant, contra Tonantem; quod feciſſe Pharaonem legimus, & complures. Alij non indignantur verbis, non erumpunt in execrationes & Diras; animo tamen, & vultu, *Fortuna* læuiente, sunt truculenti, ac, se sauciatos esse, profitentur.

III. Talis Tulipa, quæ sole, eiúsque radijs subductis, se se contraxit, fuit Dauid, qui ait: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sed alibi se correxit dicens: *in flagella paratus sum.* Neque nominat flagella, sed quæcunque Deo visa fuerint, ad illa se animo paratum & vltroneam hostiam offert. Decebat enim vt, à quo acceperat sceptrum, eius non repudiaret flagrum. *Elegisse quidem lego*, ait S. Augustini magister, *S. Dauid flagelli genus, quod æquanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendæ vnius necessitas mandabatur. Vbi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet præmittere, quia potest recipere imperterritus. Nam & sciens, quòd si hîc fuerit punitus supplicio temporali, leuare in futurum perpetuæ possit pœnam ærumnæ. Rogat ergo, vt recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, vt recipiatur. Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Si seruulum tuum videas peccata propria confitentem vltro offerre se pœnæ, inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis?* Non contraxit se ergo Dauid, sed sinus tunc omnes expandit ad flagella Dei, & ad fortunæ ictus excipiendos, vt castigatus ærumna temporali, æternam euaderet calamitatem.

Psal. 29 8. Psal. 37. S. Ambros. tract. in Psal. 37.

IV. Iob etiam ab iracunda vxore, tanquam à Furiarum aliqua, vt se contraheret, & tanquam miserum tragicè ludentis *Fortunæ* mancipium, in cælum fureret, non passus est, se loco moueri, sed perstitit, vt columna: cúmque & illa persisteret in eo incitando, dicerétque: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere:* respondit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis.* Quare? quia vidit, mala se sua de manu

Iob. 2. 9.

Dei susceпisse, à quo castigari, est amari. Vnde & alibi ait: *manus*
Iob. 19. 21. *Domini tetigit me*; manus vtique bona, & benigna etiam in malis, si ea, tanquam à Deo, & non tanquam ab homine, aut diabolo, illata patienter suscipiantur. *Considera mihi S. Iob*, ait idem supra
S. Ambros. in tract. de secunda interpellat. Dauid. c. 4. laudatus Pater, *qui perfusus erat vlceribus, & concutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terræ vulnerum suorum sanie & humore resoluens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenerit: ideóq; conscius sui dixit:* Mors requies viro. *Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermonis sui lubrico, qui in omnibus illis*, non peccauit labijs suis, *sicut scriptura testatur: sed magis plagæ suæ reperit firmamentum, per quam, confirmatus in Christo est. Ergo & Iob, & Dauid, quia hîc flagellati sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium, quem recipit. Qui autem hîc non flagellantur, ibi non susciпiuntur vt filij. Ideóq; in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, vt in perpetuo, cum diabolo flagellentur. Ideò obtinuit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate & impietate sua.*

V.

Supra. c. 25. Primum ergo ac palmarium aduersæ *Fortunæ* remedium (de quo etiam supra dixi) est, si consideres, esse illam à Deo, esse ab amante, esse à patre. At quidquid à patre est, gratum; quidquid ab amante, amabile; quidquid à Deo, optimum est, etsi malum putetur. Alterum remedium est, quia, ex aduersa *Fortuna*, indicium habetur paternæ curæ, filium castigantis. Malis, plerumque,
S. Ambros. in tract. de 2. interpel. lat. Iob c. 4. *quia non est illis timor, non est flagellum à Domino. Iustus autem dicit, Quoniam flagellatus sum, tota die; & optat flagellari, vt recipiatur à Domino, & vult timere Deum, quia timor Domini initium sapientiæ est.*
Luc. 12. 5. Quis non timeat eum, *qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam?* Atque hoc tertium est, in aduersis casibus solatiũ, æterna supplicia extingui posse, præsentis vitæ calamitate. Quis in barathrum illud æterniratis, atque in immania damnatorum tormenta inspiciens, non dicat ad Deum: *Hic vre, hîc seca, vt in æternum parcas?* Quartum remedium, quia, infortunijs, homines in officio continet Deus, qui prosperitate tumescunt. Nam qui *in la-*
Psal. 72. 5. *boribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, eos tenet superbia*; & qui miserijs non sunt cooperti, *cooperti sunt iniquitate, & impietate sua.* Quintum remedium, quia quos Deus percutit, è malis bonos facit. Plurimæ res percutiendo fiunt meliores. Lana, dum verberatur, purgatur. Ferrum tunditur, in incude, &

quamcun-

quamcunque vis, formam accipit. Moneta percutitur, & signatur, valorémque acquirit. Cæditur asinus, & currit. Castigatur homo, & emendatur. Sextum remedium, quia bonorum virtutem ostendit, & exercet *Fortuna* tristis. Septimum, quia leue & momentaneum est, quidquid nobis accidit, si cum Martyrum, cum Christi, aut etiam cum damnatorum doloribus comparetur. Octauum denique, quia per iratam *Fortunam*, via ad cælum, & præmium in cælo paratur. Hæc talia, qui in *Casibus* subitis atque funestis, apud se expendit, remedia habet omnis calamitatis; facilé- que potest, ad exemplum patientissimi illius Stephani (cui male- uolus, igne subiecto, quidquid de agro conuexerat, cum ipso horreo, combussit) magis dolere, ob peccatum affligentis, quàm ob afflictionem. Sed inspiciamus cursim singula remedia enumerata, ab hominibus pijs in praxin reducta. S. Greg. l. 4. dial. cap. 19.

VI.

Ad primum remedium quod attinet, non agnouit tantùm Dauid, & ante illum Iob, nulla, in hac vita, sine Dei nutu hominibus mala accidere, atque idcirco ea accepta esse oportere; sed alij quoque eadem vsi sunt ratiocinatione. In diuinis litteris, magnis laudibus ornatur Tobias, nam *cum esset captus, in diebus Salmanasar regis Assyriorũ, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* Adduntur miræ laudes aliæ, de eius, in ipsa iuuentute, grauitate morum, de fidei constantia, de exercitijs pietatis; de filij sanctissima educatione, de consolatione captiuis impensa, quibus *monita salutis dabat*, de pecunia mutuò aut etiam in eleemosynas largissimè data. Siquidem Tobias *quotidie pergebat, per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátq; vnicuiq;, prout poterat, de facultatibus suis: esurientes alebat, nudísq; vestimenta præbebat, & mortuis, atq; occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Hæc viri virtus, hæc merita fuêre. Quæ merces est secuta? Quòd corpora interfectorum sepelijsset, rex Sennacherib *iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.* Opes illi ablatæ sunt: vitam fuga & *nudus latens* seruauit. Ad quid seruauit? vt reuersus, &, conuiuio relicto, ad mortuos sepeliendos accurrens in nouam incideret calamitatem. *Contigit* enim, *vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fierétq; cæcus.* Hanc autem Tob. 1. 2. Tob. 2. 10.

tentationem idcò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo, omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Non fuit Tobias instar Tulipæ radios lucis excipientis, imbrem excludentis; æquè à Deo sciuit venire sibi cæcitatem, ac visum, atque idcirco non perdidit patientiam, non mutauit fidem; neque spem deposuit lætioris vitæ, in cælo, consequendæ. Qui se confidit, Deum, in cælo, visurum, libenter est cæcus in terris. *Aduersus hos casus muniendi sumus*, ait Seneca, *Nullus* enim, *contra fortunam, inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod sit hoc instrumentum, scire desideras? Nihil indignetur, sibi accidere, sciátq; illa ipsa, quibus lædi videtur, ad conseruationem vniuersi pertinere, & ex his esse, quæ cursum mundi officiumq; consummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc seipsum suáq; miretur, quòd non potest vinci, quòd mala ipsa sub se tenet, quòd ratione, qua valentius nihil est, casum dolorémq; & iniuriam subigit. Amat rationem: huius te amor, contra durissima armabit.* Ratio igitur potissima est, cogitare, *casum* tibi à sapientissima Dei bonitate missum esse; qui, per talia, Mundum iustissimè moderatur.

Senec. lib 1. epist. 74.

VII. Neque enim permittit tantùm hæc, sed sæpe etiam immittit Deus, cuius testis est vel Alaricus Gottorum Dux, qui Stilicone interemto, quia petitam ab Honorio Imperatore pacem, non impetrauit, statuit infesto exercitu Romam obsidere. Ibi milite copioso ad Tiberim collocato, ne in vrbem necessaria inferrentur, adeò indesinenter obsidionem protraxit, vt fame primùm, postea etiam peste populus, in vrbe, vehementer laceraretur. Quod cum fieret, Monachus quidam Italus, Probus nomine, Romam contendit, atque Alaricum etiam atque etiam adhortatus est, ne tantorum malorum author esse vellet, sed vrbi parceret, extrema iam passæ. Respondit Monacho Alaricus, se sanguine non delectari, & sanè sibi lubidinem non esse, tot mala Romanis inferendi; *sed*

Sozom. hist. Eccles. lib. 9 cap. 6. & Socrat. lib. 7. c. 10.

vrge-

vrgeri se à quodam continuè, *qui sibi præcipiat, vt Romam vastet, quod & tandem fecit.* Præceptum illud diuinum fuisse, non dubitant authores: & adstipulantur diuinæ quoque litteræ, è quibus, alio loco, docebimus, à Domino exercituum bella prouenire. Quòd si ergo, Alarico teste, Deus nonnullis præcipit, vt alios persequantur, quid succensemus obedientibus Deo præcipienti? Fugienti Dauid Semei maledixerat. Abisai igitur regem defensurus & maledico caput amputaturus erat, quem Dauid his verbis inhibuit: *Quid mihi & vobis est, filij Saruiæ? Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere: quare sic fecerit?* Nimirum non examinanda est caussa, si cōstat de authore Deo, qui pro omni caussa nobis esse debet; cum sit suprema rerum caussa. Hac ergo Numinis voluntate, ô quisquis aduersa pateris,

2. Reg. 16. 10.

Æquam memento rebus in omnibus
Seruare mentem.

Horat. 2. car. 0. 2.

Hoc remedio ad patientiam instructus, & *in flagella paratus* fuit, eáque ipsa tanta animi præparatione flagellum à se suísque auertit S. Lupus Episcopus Trecensis. Attilæ Hunnorum Principi, eò cum exercitu venienti, sanctissimus Antistes habitu Pontificali indutus, cum tota Cleri multitudine, obuiam processit, & data, acceptáque salute, Attilam interrogauit, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis, tot populis prostratis, tot euersis vrbibus, tot nationibus superatis, cuncta in sua poneret potestate? Cui Attila: *Ego*, inquit, *sum rex Hunnorum Attila, FLAGELLVM DEI.* Ad quæ Lupus: *Et quis est mortalium, qui Dei flagello resistet? Veni, igitur, Dei mei flagellum; illóq; vtere, vt Deus concedit.* Ad quæ verba Barbarus, diuina vtiq; voluntate, emollitus Trecensem vrbem illæsam pertransiuit, quam priùs constituerat funditus delere. Enimuerò aiunt, cælesti virtute, tam totum exercitum, quàm ipsum, velut cæcitate astrictum, nemine vllo conspecto, à porta vna, vsque ad alteram portam, per totam ciuitatem transijsse. Quod etiam quondam, Elisæo orante, Syris euenit. Nimirum tanta est Numinis potentia, vt nemo possit resistere eius voluntati. Prudentiæ igitur est, & obedientissimæ subiectionis, de manu Dei, accipere, quod scias, ipsum velle. Neque citiùs eius ira placatur, quàm si te pœnæ vltro offeras. Quemadmodum & parentes libenter culpam filijs condonant, quos vident delicta non excusa-

VIII.

Psal. 37. Ex Petr. in Catal. lib. 6. cap. 1. & alijs Baron. An. 451.

4. Reg. 6. 18.

re, sed ad ferulam, ingenuè ac sponte sua, se sistere paratos. Ita *rectus atq; integer corrigit praua fortunæ, & dura atq; aspera ferendi scientia mollit*; immo mollit ipsum Deum punientem, qui pœnæ loco sæpe accipit, patiendi voluntatem. Cur Deum non molliret, cum ipsos legamus homines peperciſſe ijs, quos videbant à Deo satis castigatos, ne vulnus nouum adderent factæ cicatrici?

Seneca lib. 1. epist. 98.

IX. Albertus Crantz. l 9. Metrop. cap. 40.

Sic egit Mauritius Comes Cloemburgicus, à Bremensi ciuitate, multis contumelijs incensus: enimuerò, acceptis à magistratu litteris, quæ hostilia illi denunciarent, ad arma prouocatus, Hic vias publicas diu insederat, vt omnem vrbi commeatum intercluderet. Ventum est ad prælium. Pugna commissa. Bremenses magna clade afflicti atque fugati sunt. Secutus est fugientes victor exercitus. Ad confinia ciuitatis vbi accessit, contra omnem belli morem, vidit portas ciuitatis apertas, neque ab vllo milite custoditas. Misit speculatum, qui tantæ negligentiæ causſam indagarent. Illi, cum tripudio, retulerunt, penes Mauritium esse, si vellet, tota vrbe potiri; ciuium, desperata salute, domi se quemq; tenere, quòd adeò immaniter pestis, vrbe tota, grassaretur. Ad narrationem hanc Mauritius altùm ingemuit dicens: *Quia Rex supernus illam oppugnat vrbem, nolo, vt accedat afflictis à Deo afflictio nostra. Multa mihi iucunda, in hac vrbe, fuerunt: si modo dissidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat serius rerum arbiter Deus, ne & in nos serpat contagio. Ita reduxit exercitum vir, qui eius vrbis videretur dignus imperio, quòd tam benigno fuit animo in afflictam. Post aliquot autem dies, pax, inter Mauritium & Bremenses sancita est.* Agnouit itaque Mauritius, non à Fortuna, sed à summo rerum Gubernatore, pestem vrbi immissam, atq; eapropter nolebat infestare humana manu, quos videbat diuina correctione verberatos. Adeò prodest, nõ tantùm patientibus mala, sed etiam spectantibus, agnoscere malorum, quæ hominibus incidunt, Deum authorem, quo imperante, & velut signum dante, vel in arma mittuntur, vel ab armis discedunt. Optarem hanc cogitationem ijs, quorum animus vindictæ sitientissimus nullis potest miserijs, nullis inimici infortunijs satiari. Rident, quoties vident illum flere; &, in tristitia illius gaudent; si ardet aduersarij domus, pro aqua, oleum affundunt; si amisit pallium, rapiunt illi etiam indusium; si casu pedem fregit, caput illi diffractum esse vellent; denique si è vita est

subla-

sublatus, omnibus verborum contumelijs mortuum insectantur. Quàm isti longè tutiùs, cum Mauritio, vererentur, nè aduersarij malum, quod, diuino iudicio non contenti, multiplicant, serpat, immo resiliat in multiplicantes?

Exigat & dignas vltrix Rhamnusia pœnas? Ouid. 5. de Tristib. eleg. 9.

Prodest autem etiam ad hoc, scire Deum esse, qui malis habenas laxet, aut ea, in homines excitet, vt nôrint placare eum, à quo illa irritato nôrunt prouenire. Cum enim ille sit, *qui pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat*, ad cuius opem potiùs recurrerent? Hac notitia instructus Dauid ait: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me?* Neque tamen tam hoc miratur, quàm quod illico sequitur: *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi, in Deo eius?* Quasi Deus tantùm humiliet, & non subleuet? Enimuerò ea est Numinis bonitas, vt clementer puniat, & iustè parcat. Nam quem Deus plectit iratus, peccantem; audit placatus supplicantem. Audit autem, vt parcat. *De tribulatione inuocaui Dominum*, ait: *& exaudiuit me in latitudine Dominus. Non tantæ nobis curæ est*, inquit S. Chrysostomus, *nihil graue pati, quantæ illi, qui nobis animam donauit, & tot, post hoc, contulit bona.* Ac rursus alibi: *IESVM, in tribulatione, sine vlla intermissione, obsecra, vt vel solum annuat, & omnia vnico momento dilabentur. Quod si obsecrasti, nec tamen depulsum est malum, id Deo familiare & vsitatum scias, vt non statim acerbitates extinguat, sed cum hæ intumuerint, inde quidem repentè omnia in tranquillum mutet.* Itaque in Casum nos sinit venire, vt oremus; verùm non semper statim liberat, vt fortiùs oremus. *Sed*, ais, *An non prohibere poterat, ne tres pueri in tentationem laberentur? Verùm id minimè facere voluit, vt ingentem illis quæstum conciliaret, & propterea in barbarorum manus cadere passus est, & fornacem nimium accendi, & regiam iracundiam, fornace atrociùs, inflammari, & eos manibus ac pedibus vinciri, & in ignem præcipites dari. Cum autem omnes, qui eos spectabant, eorum salutem, pro deplorata habuissent; tum præter spem & subitò se exeruit præstantissimi artificis Dei, in edendis miraculis, facultas. Siquidem ignis vincebatur: qui autem vincti erant, soluebantur; & fornax in temperiem, & in rorem mutabatur; aula regia magnificentior, & augustior reddebatur, & naturam illam edacissima, lapides & ferrũ superantem, crinium natura vincebat; & sanctorum illorum chorus modulatissimus, vtrasq; res conditas, ad mirificum hunc concentum inuitans, &*

X. 1. Reg. 2. 7.

Psal. 3. 2.

Psal. 117. 5.

S. Chrysost. homil. 2. ad pop.

Idem, ep. 1.

Idem. ibid.

hymnos

hymnos, ad grati animi significationem, ad Deum transmittebant, quòd videlicet vinculis constricti, quòd in fornacem missi, quòd patrijs sedibus exturbati, quòd captiui adducti, quòd libertate spoliati fuissent. nam hoc probi & grati animi est. Postquam autem hostium improbitas, partibus omnibus absoluta fuit, & pugilum virtus expleta, & coronae eorum contexta; nec iam ad gloriam, & nominis splendorem quidquam restabat; tunc mala depelluntur, & qui fornacem accenderat, & eos graui supplicio addixerat, idem sanctos illos pugiles miris laudibus effert, & miraculum à Deo editum prædicat, & literas ingenti laude confertas quoquo gentium mittit, ea, quæ acciderant, commemorans, idoneum testem & fide dignum diuinorum miraculorum se præbens. Hostis enim cum esset, apud hostes etiam ab omni suspicione remota erant, quæ abeo scribebantur. Vidisti Dei sapientiam? Hæc S. Pater.

XI. Ex quo facto intelligimus, tres pueros, *tanquam aurum in*
Sapient. 3. 6. *fornace probatos*, liberari sanè potuisse, ne in fornacem proijcerentur, sed illis ipsis magis profuisse, vt eorum innocentiam, diuinæ potentiæ miraculo ignis illustraret. Quod sanè factum non fuisset, nisi credidissent, Deum esse, qui & permittere talia soleret, &
Dan. 3. 17. eripere, quos vellet, posset. *Ecce*, aiunt, *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, li-*
1. Reg. 2. *berare.* Quasi dicerent, eiusdem est, *mortificare, & viuificare, deducere ad inferos, & reducere.* Quòd autem, non Casui, non *Fortunæ*, non *Fato* suo eam tam lugubrem scenam ascripserint, sed Deo, ad
Daniel. 3. 26. quem oratione sua confugerunt, audi Azariam, in medijs flammarum incendijs, orantem: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in secula: quia iustus es, in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Quæ fecisti nobis*, ait. Deum ergo fecisse dicit: & rectè & iustè fecisse agnoscit; hinc non tantùm nullæ querelæ extiterunt; sed ad orationem ventum est, immo & ad laudes & ad gratiarum actionem. Qui enim cognitum habent, nihil sine Deo, contingere, omniáque, quæ à Deo veniunt, recta esse, Deum in rebus omnibus laudant. Hinc illud est Dauidis: *Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas.* Quare, quisquis *Casus* aduersos, *iustificationes* Dei esse credit, non solùm
Psal. 118. non fit impatiens, sed etiam orationibus, & hymnis gratias agendas arbitratur, atque inter ipsos fluctus, inter leones, inter ignes, in mari, in cæto, in lacu, in fornace accensa, cantat.

CAP. XXXI.

CAPVT XXXI.

Casuum à Deo immissorum complures vtilitates spirituales.

SI, Domino maledicorum linguis, aut calumnijs impiorum vso, serui probi vox est: *Quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* quantò magis filius excipiet læta mente, quod à patre amante proficiscitur? Et, vt excipiat, scire debet, hoc ipsum esse signum, quo agnoscere potest, se esse vnum de numero filiorum, non si eum extollat, non si in solio collocet, non si ex eo Sardanapalum faciat; sed si in dura, & labores arduos eum mittat. Apud Poëtas, Phaëthon, Solem sic alloquitur: I. 2. Reg. 16. 10.

Phœbe pater, si das vsum mihi nominis huius:
Nec falsa Clymene culpam sub imagine cælat:
Pignora da genitor, per quæ tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe nostris. Ouid. lib. 2. Metam.

Annuit pater. at quid stolidus iuuenis, in signum petijt, vt filius esse Solis agnoscereturr? *currus petit ille paternos,*
Inq; diem alipedum ius & moderamen equorum,
Pœnituit iurasse patrem.

Siquidem exitium suum petierat filius; neque enim ad mortalem pertinebat, quod petierat. Nemo est, qui non optaret scire, num filius Dei, & Christi cohæres sit? Stulti pro signo habent, si curru aurato, si sceptris, si coronis, si dignitatibus possint fulgere. At regnum Christi *non est de hoc mundo*; & actum esset de pauperibus, si nemo Dei filius esset, nisi diues, nisi splendidus, nisi opulentus. Igitur aliud signum est, quod vel ex ipso naturali Dei Filio Christo potest cognosci. Neque enim est seruus supra Dominum, aut Filio naturali Dei, filius adoptiuus debet velle delicatiùs tractari. *Signum Filij hominis* & Filij Dei ipse Dei Filius *crucem* nuncupauit. Matt. 24. 30.

II. Tempore Ioannis Euangelistæ, Episcopus Smyrnensis, vir magnæ Sanctitatis grauibus procellis quatiebatur. Vocauit igitur Ioannem Christus & dixit: *Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit, Scio tribulationem* Apoc. 2. 8.

tuã, & paupertatem tuã, sed diues es, &c: cur? *quia si fueris fidelis vsq; ad mortem, dabo tibi coronã vitæ.* Spe ergo diues erat, quia futurus Christi cohæres. Sed ecce, quo modo ad hanc eum spem inducit: non se regem regum appellat, sed eum, *qui fuit mortuus, & viuit*, quasi diceret: ego, quamuis Filius Dei verus, tamen morte crucis acerbissimâ & ignominiâ plenâ damnatus fui: vnde intelligere potes, pati grauia non esse à filijs Dei alienum. Et quid mirum, si Christianum esse dicimus, quod veteres etiam Spartanum esse credidêrunt? Spartani enim, vt filios suos probarent, innocentes ad aram adductos iubebant flagellis, ad sanguinem vsque, cædi; probatior habebatur, qui, inter plura verbera, non gemuisset. Probat, ad hunc modum, etiam Deus filios suos. Probatiores sunt, qui sunt ad flagella paratiores. *Oblitι estis*, inquit, Apostolus consolationis, *quæ vobis tanquam filijs loquitur dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini* (hoc est labores & tribulationes, quibus nos erudit,) *neq; fatigeris, dum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ita ipsi Apostolo contigit, qui idcirco *vas electionis* est dictus: causa mox additur: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum, pro nomine meo, pati.* Ita contigit & Tobiæ, cui dictum est: *Quia acceptus fueras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Si necesse fuit, quàm meritò timere possunt, quos tentatio non probat, se Deo acceptos non esse? Filios suos solet Deus cruce ac tentatione insignire, cruce probare, velut Lydio lapide; cruce tanquam quadriga ad cælũ promouere.

Hebr. 12. 5.

Prou. 3. 11.

Actor. 9. 11.

Tob. 12. 13.

III. Quantâ curâ filij laborant, vt patris nomen ac iura retineant? quàm soliciti sunt, vt in parentis gratia permaneant? Permanent autem in Numinis gratia, & filiorum iura conseruant, quicunque conseruant patientiam, in *casibus* à Deo missis. Elisabeth illa regio sanguine oriunda, & Thuringiæ Principis connubio nobilis, defuncto coniuge, vidua facta, mox cæpit etiam pati cruces viduarum; quas vexare pronum est hominibus, exercere autem in virtutem, Deo placet. Propinquis igitur defuncti Tetrarchiam, per vim occupantibus, regij animi vidua, vnà cum paruulis liberis, è ditione sua eiecta, inops, egens vaga, ærumnis omnibus obruta, &, quæ coronis erat calamitatum, ab ijs quoque, in quos priùs beneficia cumulauerat, contempta; ita omnia constantia animo pertulit, ita sinum infortunijs pandit, vt ne subducere quidem se vellet miserijs declinandis. Inuitabatur enim ad parentem

Conradus in vita S. Elisabethæ.

Pannoniæ

Pannoniæ regem, asylum vtique excellens. Sed redire illuc detrectabat, ne patientiæ atque humilitatis, quas in miserijs inuenerat, occasionem, inter regales delicias, amitteret. Habebat enim, tanquam Dei filia, diuinum patiendi characterem, thesauris omnibus chariorem. Quid hanc fortitudinem, in heroide Christiana, miremur? *Attalus Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quàm in delicijs habeat. torqueor, sed fortiter: bene est. occidor, sed fortiter: bene est. Audi Epicurum, dicet: Et dulce est. Vror, sed inuictus. Quid ni optabile sit, non quòd vrit me ignis, sed quòd non vincit. Nihil est virtute præstantius, nihil pulchrius: & bonum est, & optabile, quidquid ex huius geritur imperio.* Sic ex hominibus heroës, sic semidei, sic dij efficiuntur. Denique sic Deus nos *prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui; ideóq; & nos per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemta.* Atque hoc alterum erat, quod, contra Fortunæ ictus, remedium numerauimus.

Senec. lib. 1. ep. 67.

Rom. 8. 29. Hebr. 12. 2.

Sequitur tertium, paruo malo, grande, immo æternum malum redimi. Quis *Fortunæ* casus potest tam esse acerbus, quàm gehennæ cruciatus? quæ confusio huius vitæ non debet contemni, præ confusione, quæ, coram toto Mundo, in extremo iudicio, atque postea, sine fine, erit in Inferno? Sæpe autem Deus hîc cruciat, vt in æternum parcat. Itaque tribulatio & dolor non tantùm est, in electis, character & signum, eos esse filios Dei, sed etiã, esse electos. Vtriusque simul figuram habemus in diuinis historijs. Rachel enim vltimum charissimúmque filium *Benoni*, hoc est, *filium doloris* (sicut Isaias Christum, *virum dolorum, & scientem infirmitatem*) Iacob autem eundem *Beniamin*, hoc est, *filium dextræ* nominauit. Quid est hoc aliud, quàm filios Dei, qui persecutionem patiuntur, esse non tantùm *Benoni*, seu *filios doloris*, sed etiam *Beniamin*, *filiósq; dextræ*, qui scilicet in illâ dexterâ collocabuntur, vbi agni, non hædi, iudicante Domino, statuentur?

I V.

Genes. 35.

Isa. 53. 3.

Matth. 25. 33.

In Tuetium cœnobio, canitie veneranda senex adeò seuerè vixerat, vt in multa corporis incommoda caderet. Inter quæ fuit etiam hydrops. Veniebant ergo ad illum, è diuersis locis, qui eum consolarentur, rogaréntque, vt, in ista præsertim ætate atque inualetudine, non nihil de tam austera viuendi consuetudine remitteret; nam & frondem, medio die, cum æstus exsiccat, arboratores

V.

Prat. Spirit. cap. 8.

non cædere. His ille aliud nihil respondebat; quàm vt diceret: *Orate, prome, Patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, vt in hac infirmitate diutiùs durem, Deum oro.* Hunc ergo eundem Abbatem, cum audiuisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius adeò vehementer morbo afflictum, constituit ei suppeditare, quidquid vel medicorum ars, vel imbecillitas corporis exigeret. Myrogenes autem (hoc enim seni nomen erat) omnia repudiauit, hoc solùm ab Archiepiscopo petens: *Ora pro me, Pater, vt liberer ab æterno cruciatu.* Maluit nimirum hydropicus, in aquis, quod deliquisset eluere, quàm exurendum in æternos ignes reseruare. Scilicet, *dum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc Mundo damnemur.* Quod qui prospectum habet, bene fert infestos casus, neque vllum *Fortunæ* crimen accusat; sed etiam vltro optat & inuitat, in hac vita, miser esse, ne sit in altera.

1. Cor. 11. 32

V I.

Circa Mareotem degebat Stephanus, integra continentia Monachus, ad sexaginta annos, in omni virtutum palæstra exercitatissimus, Antonio quoque Magno de præstanti pietate notus. Erant in eo multa singularem laudem merentia. Fuit enim ille vir, non solùm ex optimo more, & sanctissima disciplina, sed etiam cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus externis magis laudandus, quàm facinoribus domesticis. Foris inter asperos mansuetus, inter ignorantes sapiens, alloquio suauis, sermone vtilis; mirè callens ærumnosorum animos consolari, atque, in ipso luctu, excitare ad alacritatem. Sed domi ipse haud indiligentiùs exercebat, quod foris alios docuerat. Tantus erat amator crucis, vt, si ipsa bona *Fortuna* veniisset, non intromisisset. Ergo habuit, quod petijt. Nam in morbum iniectus est, eúmque prorsus incurabilem. Quem tamen adeò non curabat, vt, dum medici membra eius putrescentia secarent, ille (quasi de alieno corio ageretur, neque cruciatus ad se pertineret) manibus opus faceret, ac folia palmarum plecteret: cúmque morbus in summo incremento esset, etiam circumstantibus conabatur persuadere, vt de eiusmodi rebus non dolerent, neque aliud soliciti, nisi de bono vitæ fine, cogitarent. *Deus*, inquiebat, *quæ fecit, cuncta vtilia sunt. Ego autem noui, huiusmodi morbos, propter peccata, accidere. Et melius est, hîc pœnas soluere, quàm, post mortem, perpetua supplicia sustinere.* Eiusdem sententiæ fuit S. Chrysostomus, qui ita loquitur: *Magnum bonum est, luere peccata, in hac vita, Etenim diues ille, nihil graue hîc rece-*

Hist. Tripart. l. 8. c. 1.

S. Chrysost. homil. 6. ad pop.

recepit, & propterea illic torquebatur, & quòd hoc esset in caussa, ne vlla ibi frueretur consolatione. Audi, quid dicat Abraham: Fili, recepisti bona, in vita tua, itaq; nunc dolorem patere. Quòd autem Lazaro bona data sint, quia hîc, cum virtute, infinitas passus molestias fuerit, Patriarcham & hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diuiti: Recepisti bona, intulit: & Lazarus mala, & propterea consolatur. Terribilis sententia, & quæ meritò suspectam faciat omnem Mundi prosperitatem. Tametsi enim caussa damnationis non sit, omnis vitæ huius delectatio, sed peccata, signum tamen est futuræ damnationis, seculi istius prosperitas. Siquidem *non iudicat Deus bis in idipsum*. Quos ergo, hîc, remunerat, alibi punit; & quos hîc punit, ijs alibi præmia largitur. Nemo enim adeò malus est, vt non faciat aliquid subinde boni, ob quod à Deo mercedem accipit; nemo adeò bonus, vt non aliquando admittat peccatum veniale saltem. *Recepit* ergo infeliciter epulo in hac vita; fortunatè Lazarus in altera, quidquid vterq; boni vnquam gessit: *recepit* Lazarus in hac, Epulo in altera, quidquid mali admisit. Vtrius fuit optabilior conditio? Optimè hanc quæstionem decîdit D. Augustin. in illa verba. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorũ*, ait enim: *Non solùm donans peccata, sed etiam vindicans, propitius fuisti. Videte, fratres, quid hîc commendauit, aduertite. Illi Deus iratscitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne peccare delectet.* S. Augustin. in Psal. 98. 8.

Atque inde se exerit quartum *malæ Fortunæ* remedium, vt sciamus, Deum, instar aurigæ equum exorbitantem scuticæ habenis, in via retinentis, homines in officio continere, Fortunæ flagellis. Quem alium in finem Deus minatur præuaricatoribus famem aliáque mala dicens: *Cauete, ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatísq; dijs alienis, & adoretis eos: iratúsq; Dominus claudat cælum, & pluuiæ descendant, nec terra det germen suum, pereatísq; velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis?* Deut. 11. 16. VII.

Testis huius remedij est Catharina Aragonia, quę ab Henrico VIII. Anglorum rege, vt Annæ Bolenæ pellici locus daretur, indignissimis modis repudiata, insigniter ostendit, *probitatẽ, industriam, cetera-sq; bonas artes, neq; dare, neq; eripere cuiquam fortunam posse.* Quippe incredibili constantia animi, inconstantiam *Fortunæ*, casúmque acerbissimum tulit. Tantæ patientiæ radix fuit, quòd sciret, Deum eiuscemodi ærumnis, tanquam fræno vti, quo homines reguntur. Nicol. Sanderus l. 1. de Schismate Anglicano. & Surius Anno 1535.

Solebat enim sæpissime *apud suos, dicere, Fortunam se, nec asperrimam, nec leuissimam, si daretur optio, electuram; cum vtraq; suas tentationes ac pericula habeat, sed mediam potiùs temperatam. Si tamen, alterutra eligenda esset, malle se tristissimam, quàm blandissimam: infelicibus enim raro deesse consolationem, fortunatissimis ferè semper mentem.* Huic heroidi optionem non dedit Deus, sed *Fortunam* dedit planè tristissimam; vnà tamen & hanc ipsam consolationem impertiuit, vt nosset, infelicibus non deesse consolationem, illam scilicet, quia nôrunt, à Deo profecta aduersa in magnas vtilitates. Itaque oblatam vtramuis fortunam iuxta suscipere discat, qui animo esse tranquillo cupit. Aliud enim est animus tranquillus, aliud tranquilla *Fortuna.* Ille in tuto est; hæc, cum blanditur, tunc vel maximè metuenda est. Quod vel Demetrius vidit, *qui vitam sine curam, & sine vllis Fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incursu firmitatem animi tui tentes: sed in ocio incussо iacere, non est tranquillitas, malicia est.* Ferrum diu intactum, rubigine operitur & fœdatur; si lima & ignis accedat, ita repurgatum splendet, vt fulgore argentum imitetur. In ferro hominem vides, quem expolit, quod mordet; purgat, quod vrit; & plerumque, si illi benè est, ille bonus non est.

Senec. lib. 1. epist. 67.

VIII. Sicut enim lasciuiam amant atq; superbiam res secundæ, ita aduersę animum erigunt, dũ corrigunt. Quod erat è remedijs quintũ. Itaq; sæpe opes, sæpe liberi, sæpe officium ab aliquo aufertur, vt occasio peccandi auferatur, emendetúrq; is, qui diuitiarum cupiditate, aut amore liberorum, aut officij necessitate peccauit. Sic *mensa nummulariorum euertitur, vt Domini subrogetur: ara deijcitur, vt erigantur altaria*, ait S. Ambrosius. *Atq; hoc non aliqua succinctus manu diuitijsq; faciebat* (Christus) *sed flagello de restibus cædebat turbas, & resistere nullus audebat. Et nunc virga vtitur, nunc flagello. Virga enim recta est*, virga regni tui. *Virga, vt corrigat: flagello, vt suadeat. Directa illic, hic moralis, quasi inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alij sunt enim terrores Prophetici, aliæ Apostolicæ suasiones, in vtroq; tamen vnius est verbi disciplina. Et ideò flagellum de restibus fecit, quia funes ceciderunt, inquit, mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Qui æger est, sanitatis caussa, libenter sustinet medici sectionem: insanit peccator, si virgam odit; si se subducit flagello, quo reducitur ad

S. Ambros. lib. 9. super Luc.

tur ad animæ integritatem. Refert Beda S. Edildridam Annæ regis orientalium Anglorum filiam, ac regis Ecgfridi coniugem, feminā, in paucis, vnam, adeò Christo sponso addictam, vt cum coniuge, toto matrimonij tempore, illibata virginitatis integritate permanserit. Et, quia *omnes, cum secundæ res sunt maximæ, tum maximè meditari secum oportet, quo pacto aduersam fortunam ferant*, habuit hęc sapientissima virgo cognitissimū, omnia, quæ ægrè facere hominibus possunt, à Deo sciri, neque sine causſa permitti. Itaque, vt & illa Numinis amantis acciperet characterem, sub vitæ finem, tumore fœdo, sub maxilla se colligente, diriter cruciata est. Eum cruciatum tolerauit non solùm patienter, sed etiam hilariter: adeò, vt animus illius corporis dolore delectaretur. Solebat autem dicere: *Scio certissimè, quia meritò in collo pondus languoris porto, in quo iuuenculam memini me superuacua monilium pondera portare, & credo, quòd ideò me superna pietas dolore colli voluit grauari, vt sic absoluat à reatu superuacuæ lenitatis; dum mihi nunc, pro auro & margaritis, de collo, rubor tumoris ardórq; prominet.* Alios igitur morbi cohibent, ne peccent; alios è malis bonos, alios è bonis meliores efficiunt. Hoc est illud, *compelle intrare.* Non poterat Absalom impetrare, vt Ioab ad se veniret, idcirco *dixit seruis suis: scitis agrū Ioab, iuxta agrum meum habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni, surrexitq; Ioab & venit ad Absalom in domum eius.* Ita multi ad Dominum vocati non venirent, nisi eis infortunium immitteret. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Quàm multi tum demum resipiscunt, cum vident manifestè, sibi omnia infeliciter cedere? Nemo maledictionem Dei citiùs vitat, quàm qui non ignorat. Ne ignoret igitur, sentit. Innumera docent exempla, naturam plerumq; à *Fortuna bona* peiorem, à *mala* fieri meliorem. Certè ipse Alexander ictus sapuit: nam sagitta percussus dixit: *Omnes iurant, me Iouis filium esse, sed vulnus hoc, me hominem esse clamat.* Sic multi sanantur, quando vulnerantur. Quid enim aliud Chirurgus facit, cum sanguinem mittit? *Sana animam meam* ait ille. Ergo medicum imitatur Deus; percutit & sanat. Hoc virga illa Moysis significauit; vt, ad terram sanctam, Israëlitas Moyses virgâ; ita Deus tribulatione homines ad cælum ducit, & reducit. Ducit, ne errent; reducit, si errauerunt. Tantùm in virga, tantum in castigatione virtutis & momenti continetur.

Beda lib. 4. c. 7. Eccles. histor. gent. Anglor.

Luc. 14. 23.

2 Reg. 14. 30.

Psal. 82. 7.

Ex his

IX. Ex his etiam, quod sexto loco enumerauimus, apparet: scilicet virtutes aduersis exerceri; neque enim patientia duntaxat, & fortitudo, & longanimitas; sed etiam spes, sed contemtus rerum humanarum, sed fidelitas & fides; sed charitas erga parentes & patriam, denique tota virtutum familia inuenit ibi caussam triumphandi. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur,* ait Philosophus ille, *omnibus virtutibus vtitur fortasse, cum vna in promtu sit, & maximè appareat patientia. Cæterùm illic est fortitudo: cuius patientia, & perpessio, & tolerantia, rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium: quæ suadet, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre. Illic est constantia: quæ deiici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est indiuiduus ille comitatus virtutum. Quidquid honestè fit, vna virtus facit, sed de consilij sententia.* Sed Paulum potiùs audiamus cum Fortuna decertantem: *Maledicimur,* inquit, *& benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Aiunt struthionem ipsum ferrum posse deuorare, digerere atque in nutrimentum sibi conuertere, quod ex magnitudine atque vigore caloris naturalis proueniat. Cui rei fidem facit, quod à regia audiui lingua narrari; cultrum scilicet ferreum, in Polonia, habitum & visum, quem cum per imprudentiam, nonnemo ludens deglutiuisset, diúque inter viscera retinuisset, stomachi calor, ab acie, qua tenuissimus est culter, cæperit consumere. Tanto diuinæ charitatis calore sunt præditi Sancti, vt, veluti spirituales struthiones, maledictionem, in benedictionem, persecutiones in patientiam, blasphemias in orationes nòrint conuertere. Sic digerunt omnia durissima; sic crudissima omnia concoquunt. Sic atterunt catenas. Sic recipiunt ferrum. Sic de *Fortuna* triumphant, immo sic triumphant *Fortunam.* Exiguum ignem, exigua aqua extinguit; grande incendium, si ei totas amphoras affuderis, non opprimes, sed ales; quia ipsa aqua in ignem conuertetur. Ita animum pusillum modica tribulatio obruet; fortem etiam magna non vincet, sed faciet fortiorem. Hinc dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Item: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et, quia clarum est, aquis significari tribulationem, iuxta illud: *intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam,* sicut arca Noë augmento aquarum non depressa, sed semper magis in-

Senec. epist. 67.

1. Cor. 4. 12.

Cantic. 8. 7.

Rom. 8. 35.

Psal. 68. 2.

sublime

sublime exaltata est; ita omnis virtus tribulatione extollitur, fitque magis conspicua. Qui in fluctibus est atque procellis iactatur rerum aduersarum, tantò ardentiùs orat; tantò profundiùs se, apud omnes, demittit; tantò crebriùs ad cælum suspirat; tantò se ipsum frequentiùs ad tolerantiam excitat; tantò cautiùs attendit, ne tribulationem tribulatione mereatur. Dicuntur animalia esse eâdem similitudine, figurâ, ac nomine in mari, quæ sunt in terris; non tamen eodem ingenio atque naturâ. Leo terrenus, leo marinus; sus terrena, sus marina; coruus terrenus, coruus marinus &c. Grande itaq; inter hæc animalia reperitur discrimen. Leo terrenus ferus est & crudelis, leo marinus mitis & mansuetus; sus terrena immunda, sus marina amans puritatis; coruus terrenus duræ est carnis & ad esum inutilis; coruus marinus tener est & palato gratus; scorpio & araneus terrenus venenatus est, scorpio & araneus marinus nequaquam; aquâ scilicet, ita naturam moderante. Hoc aqua tribulationis idem in hominibus efficit. Da duos homines, felicem vnum, infelicem alterum; videbis illum superbum, istum modestum; illum ebriosum & voluptatibus deditum, hunc temperantem; illum pigrum & desidiosum, hunc sedulum ac laboriosum. Immo pone eundem hominem; in prosperis rebus, *tanquam leo rugiet, quærens, quem deuoret*; in aduersis ferociam ponet, & agno erit mansuetior: secundâ aurâ, instar suis immundus erit ac lasciuiet; cælo nubilo, & ipse lachrymas dabit; læta *Fortuna*, instar corui crocitabit, & omnibus conuiciabitur; *Fortuna* tristi, de omnibus bene loquetur. Denique qui Fortunatus, velut scorpio aut araneus linguæ suæ venena diffudit; is infortunio tactus, sine bile, sine dente erit. In summa, *Fortuna simul cum moribus mutatur*; dixit olim historicus; dixisset veriùs: *Mores simul cum Fortuna mutantur*: nam plerumque *bona Fortuna* malos, *mala* bonos facit mores.

Sed veniamus ad septimum, & nostra incommoda, cum Martyrum, cum Christi, aut etiam cum damnatorum cruciatibus comparemus. Atque, vt è multis Martyrum millibus vel vnius fortitudinem perpendamus, quis non censeat D. Laurentium à *Fortuna* malè habitum? At innoxius, at pius Xisti minister, at fidelis Ecclesiæ thesaurarius, at prudens dispensator, at pauperum insignis amator, captus, & exquisitissimo tormentorum genere, in ferream cratem catenis immitissimè astrictus, lentóque igne, ad X.

Perillæam immanitatem, tostus fuit? sæua hæc est *Fortuna*, imo sæuissima, si, præter gliscentes prunas subter, & præter fumantes Martyris atque liquentes artus supra cratem, nihil aspiciamus. Quòd si verò Laurentij æstum cum gehennę incendijs æstimemus, scintilla est, ad Ætnam, gutta ad Oceanum comparata. Sin verò rursus nos nostræ Fortunæ iram, non iam ad Acherontícos lacus, sed vel ad D. Laurentij cruciatum trutinemus, vix tenuis quædam vmbra erit, nec gemitu digna. Sed ipsum Christum, tota vita patientem nobis proponamus, & deprehendemus, quàm paruam ille nobis calicis sui portionem reliquerit exhauriendam.

XI.

S. Chrysost. epist. 1.

Christus Dominus, ait D. Chrysostomus, *statim, vt in lucem prodijt, ab incunabulis in exteram terram fugitiuus, ob regem persecutorem migrauit, in barbarorum scilicet regionem itinere distantem. Quæ quidem ex caussa ingens vis cruoris effusa est; & tenera ætas, non secus ac in prælio, concidebatur. Quid hac tragœdia crudelius? & hæc ab eo perpetrabantur, qui Dominum ad necem quærebat. Hæc Deus aspiciens, cum prohibere posset, tolerabat. Postquam autem è barbarorum regione in patriam rediit, & ætate auctus est, bellum vndiq; aduersus eum excitabatur. Ac cum primum miracula edere cœpit, quot calumnijs appetitus est? Alij enim Samaritanum eum, & arreptitium appellabant, his verbis:* Samaritanus es tu, & dæmonium habes: *alij impostorem dicentes:* Hic non est à Deo, sed seducit turbas: *alij præstigiatorem:* In Beelzebub, *dicebant,* eijcit dæmonia, *& improborum hominum amicum eum vocabant. Deniq; aduersus eum quotidie acuebant dentes. Passionis verò tempore, vnus discipulorum eum prodidit: alij in fugam se contulerunt: alius abiurauit: cùmq; omnes fugissent, solus ipse vinctus ducebatur. Quot igitur homines, qui non ita pridem eum res miras efficientem, mortuos excitantem, leprosos purgantem, dæmones expellentem, panes fontis more scaturientem, ac deniq; alia miracula perpetrantem vidissent, eo tempore, offensos fuisse putas, cum eum solũ abduci ac vinctũ teneri conspicerent, vilibus & abiectis militibus eum cingentibus, & Iudaicis sacerdotib⁹ à tergo sequentibus, ac tumultuantibus, & hostes omnes solum eum sibi hærentem, in medio, habentes; præsentémque proditorem insolentem. Quid, cum flagris cæderetur? verisimile autem est innumeram multitudinem tunc adfuisse. Erat enim festum perillustre, quod omnes congregabat, & in ciuitate metropoli, in tempore meridiano. Quot igitur mortales tunc affuisse existimas? qui cum eum vinctum, flagris affectum, cruore stillantem, &, ad præfecti tribu-*

Ioan. 8.

nal,

nal, caussam dicentem, nec discipulorum quenquam præsentem cernerent, animis essent offensi? Quid cum Pontificis seruus alapam impingeret ipsi? quid cum vapularet? quid cum ad crucem duceretur? & in cruce tolleretur? quid cum dicerent: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud? Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Filius Dei es, descende de cruce, & credimus tibi? *quid cum Barabbam illi prætulerunt? hinc enim probare volebant, quòd latrone quouis sceleratior esset. Ea denique de caussa inter duos latrones crucifixerunt. Sed tamen veritas non modo propterea non obscurabatur, verum etiam splendidiùs eluxit. Deus enim pro sua lenitate id ferebat, arcana sua sapientia omnia administrans. Et quamuis, post resurrectionem, eius discipuli rursum metu in fugam versi in summo angore versari cæperint: sic quoq; res Ecclesiæ semper augebantur, & per miracula vigebant, & quæ minùs læta principia habuerunt, iucundos exitus demonstrarunt.* Hæc S. Pater.

Matth. 27.

XII.

Quoties ista animo occurrunt, occurrere debet & illud: *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* si Deus Filio suo vnigenito non pepercit, cur nos non vellemus, etiam in nostro corpore, stigmata IESV Christi portare? Vrias inuitatus, imo iussus à Dauid rege, vt in domum suam iret, & à belli labore requiesceret, respondit: *Arca Dei & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam hanc rem.* Hoc eodem argumento vtuntur, qui acerbissima, quæ Christus tulit, animo habent memoriæque infixa. Dux meus, inquiunt, & Conditor totius Mundi, parvulus è patria fugere ab Herode compulsus est; & ego *Fortunæ* irascar, quæ me exulem fecerit? Dominus meus, pro tot miraculis ac beneficijs, tantis blasphemijs est affectus, & ego insaniam, si me frater meus dicto momordit; immo si eum alius nequiter mentitur, momordisse? Redemtor meus à suo discipulo proditus est; & ego tanti faciam falsorum fratrum delationes, accusationesue à cæci animi vindictâ prouenientes? At nocent? at nulla calumnia caret effectu? nec semper, qui iudicant, iudicant sine affectu? dignos deijciunt de gradu, manifestè indignos, sanguine coniunctos, vel adulatione gratiosos promouent? Etiam Iudæi Barabbam Christo præposuerunt; homicidam ei, à quo vita mortuis est restituta. A ta-

Luc. 23. 31.

2. Reg. 11.

libus iudicibus tale iudicium tulit summus iudex. Dic tu: Domino meo hæc acciderunt, & ego me illo putabo meliorem? *Non faciam hanc rem?* At homines, qui me antè suspexerant, iam contemnunt & rident? Contigit & hoc Christo, quem tantorum miraculorum patratorem, inter iniquos, deputauerunt, atque, in medio latronum, cruci affixerunt. Seruatorem imitantur, non qui risum cachinnis compensant; sed qui nôrunt tacere, dum in cælum clamant iniuriæ, quas patiuntur.

XIII. Scribit Io. Ionuieus, Principem Saracenum, belli sacri tempore, ad proceres Francos, in Ægypto, captiuos, salutatum accessisse, atque ex illis interrogasse, *Num in vnum Deum crederent, qui ex Virgine natus, in cruce affixus mortuúsq; esset, diéq; tertio, se in vitam reuocasset?* Quibus, ita se credere, affirmantibus, addidit: *Eos neq; fracto animo, neq; mœstos esse debere, si tantulam calamitatem subirent, eius nomine, qui extrema supplicia, pro ipsis exantlasset, eósq; nondum ad mortem vsq;, pro eo, decertasse: qui si tantæ fuerit potestatis, vt triumphata morte, se ipse à sepulchro excitârit, certò in animum inducere oportere, fore, vt etiam ipsos breui calamitatibus illis eximeret.* Iocosa, an seria fuerit illa consolatio, non habeo dicere; veram fuisse probauit secuta procerum libertas. Et planè vera est hæc consolatio, iam dudum adumbrata, quando, Israëlitis, in deserto, ad bibendum, nihil aliud, quàm amarissimas habentibus aquas, Deus Moysi lignum ostendit, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. *Per lignum, aquas dulces fecit, præfigurans gloriam & gratiam crucis*, ait S. Augustinus. *Poterat Deus*, inquit S. Gregorius Nyssenus, *solo verbo aquam potabilem facere, sed per lignum id voluit præstare, vt typum salutiferæ crucis indicaret.* Itaq; lignum crucis rerum tristium amaritiem in dulcedinem nobis vertit, quando perpendimus, exiguum nobis scyphum propinari de eo & absynthio, & aceto & felle, cuius tota maria exhausit Christus: qui non sine caussa dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Addidit autem, *quem ego bibiturus sum, Vt communicatione laborum, cum Christo, promtiores redderemur*, ait os illud aureum. Quòd si *Christum oportuit sic pati, & ita intrare in gloriam suam*, nonne oportet etiam seruos illius, eâdem viâ sequi? An, Domino felle saturato, mancipia eius mulsum exigent? At *Dulcia non meruit, qui non gustauit amara*: &, sicut Paulus & Barnabbas prædicauerunt: *per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnũ Dei.*

Io. Ionuieus in vita S. Ludou. regis Franci. c. 42.

Exod. 15. 23.

S. Augustin. quæst. 53. in Exod.

S. Gregorius Nyssen. lib. de vita Moysis.

Matt. 20. 22.

S Chrysost. homil. 66. in Matth.

Act. 14. 22.

Atque

Atque hoc octauum est inimicæ *Fortunæ* remedium, quod identidem Christus ipse discipulis inculcauit: *Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* In quæ verba Imperfecti operis author ait: *Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoriæ prædam; quanto magis nos opprobria mundi non debemus timere, qui regni cælestis præmia speramus?* Item: *Pensate confusionem hanc terrenam cum gloria illa cælesti, & videte, si non multò leuius est, quod patimini super terram, quàm quod expectatis in cælo.* Hoc significabat iter Israëlitarum, qui priùs, per mare rubrum transire, quàm ad palmas, in terra Elim, peruenire, debuerunt. Palma est cælestis gloriæ symbolum: qua de causa vidit Ioannes multitudinem beatorum innumerabilium palmas manibus gestantium. Palmæ sunt signa victoriæ. Victoria sine pugna non venit: quàm, etiam in sanctis præcessisse, ibidem aperuit senex vnus beatorum palmam manibus gestantium, nam ad Ioannem accedens dixit: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? cui Ioannes: Domine mi, tu scis, & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum.* Per sanguinem igitur, aut per tribulationem, non quamcunque, sed *per magnam*, velut per mare quoddam Erythræum ac rubrum, itur ad palmas illas. *Nisi præcesserit pugna,* ait S. Cyprianus, *non potest esse victoria; tunc datur vincentibus corona. Nam gubernator, in tempestate dignoscitur. In acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculum non est. Conflictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non imbuetur; & nauis, quæ forti compage solidata est, fluctibus pulsatur, sed non frangitur.*

XIV.

Matth. 5. 11.

Exod. 15. 27.

Apoc. 7.

S. Cyprian. serm. de mortalitate.

Ita se fecisse testatur Apostolus dicens: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui,* nempe *in carceribus, in flagris multis, in mortibus frequenter.* Cur ita? *quia in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Siquidem *omnes, qui piè volunt viuere in Christo IESV, persecutionem patientur.* Quibus solatium ingens affert idem Paulus his verbis: *Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Leuem* tribulationem vocat, non in se ac natura sua,

XV.

2. Timoth. 4. 7.

2. Timoth. 3. 12.

1. Cor. 4. 17.

S.Chrysost. hom. 16. ad pop.

sua, sed comparatione futurorum præmiorum. *Sicut enim mercator non sentit nauigationis laborem, lucrorum spe releuatus; & pugil generosè sert corporis vulnera, coronam respiciens: ita & nos cœlestia intendentes bona, quæcunq; inferantur grauia, generosè feremus, bona futurorũ spe roborati.*

Hacbaldus Elnonensis in vita eius, apud Sur. 30 Ianuar.

Legimus de S. Adelgunde, eam ita Deo charam fuisse, vt, missis de cælo Angelis, ad tristia quæque, animo forti, lætóque, patienda, illam firmaret. Inter grauissima, quæ robustam etiam virtutem quatiunt, est calumnia. Ea enim, vt in diuinis est,

Eccl. 7. 8.

etiam *conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Igitur & Adelgundis audierat aliquando, nomen suum à peruersis hominibus & inerti otio deditis, maledictis proscindi, & apud alios, cum non mediocri quorundam offensione, iniustè traduci. *Vnde illa, quæ est humanæ fragilitatis conditio, aliquantulum cruciari cœpit. Cui mox in medijs fluctibus, Angelus adfuit, & suauibus eam verbis demulcens: Quid, inquit, ô virgo dulcissima, maleuolorum hominum inuidia te conturbat, cum tibi cœlestis regni gloria; illis verò, nisi respiscant, æternum gehennæ supplicium paratum sit? Talibus illa recreata sermonibus, nihili deinceps obloquentium vanitates faciendas putauit.*

XVI. Eam serit ærumnarum copiam *Fortuna*, vt finis alterius mali, gradus sit futuri; immo vt læta omnia rarò, sine infelicitate aliqua, eueniant. His terra scatet. Vt ergo à cælo remedium petamus, vbi erit finis ærumnarum, & miseria in æternam felicitatem mutabitur, natura

Ouid. 1. Metam.

Os homini sublime dedit, cælúmq; tueri,
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Lactant. lib. de Opific. Dei. cap. 8.

Cum enim *statuisset Deus, ex omnibus animalibus, solum hominem facere cœlestem, cetera vniuersa terrena; hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedémq; constituit; scilicet vt eadem spectaret, vnde illi origo est; illa verò depressit ad terram; vt, quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecta, ventri pabulóq; seruirent. Hominis itaq; solius ratio est, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis, ac proximus, originem suam fictorémq; testatur.* Habet ergo cynosuram, ad quam, in omni negotio, respiciat, actionésque suas dirigat. Si hîc laborat, ibi quiescet; si hîc flens mittit semina sua, ibi cum gaudio metet, quod seminauit: si hîc premitur, ibi coronabitur: si hîc Fortunam contemnit, ibi verè fiet non iam fortunatus, sed beatus. Eant sanniones, ac cilones, & cachinnis excipiant vexatos;

Sap. 5.

sint illis *in derisum & similitudinem improperij*

perij innocentes, *vitam illorum*, æstiment *insaniam*, *& finem illorum sine honore*. Veniet tempus, quo palinodiam canent, & seipsos fatebuntur insaniuisse. *Cum agricola semina, multo cum labore collecta, seminauerit*, inquit S. Chrysostomus, *si adsit aliquis agriculturæ ignarus, omnia, quæ fiunt, cernens, admirabitur, & fortè dicet: Quid hic homo tandem facit? Collecta dissipat, nec dissipat tantùm, sed & terræ cum multa cura commiscet, ne facilè colligi possint: nec commiscet tantùm terræ, sed & optat, vehementem fieri pluuiam, vt proiecta marcescant, & lutum fiat. Qui etiam turbabitur, cernens fulmina & corruscationes deferri. Agricola verò, non ita, sed lætabitur tempestatem cernens: non enim præsentia respicit, sed futura expectat: non respicit ad fulmina, sed manipulos computat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas, non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem. Itidem & nos, non præsentem spectemus laborem, sed orientem ex eo vtilitatem, & ex eo nascentem fructum.* Labor arrha est, cælum corona. Ita, teste Blosio, *S. Gertrudis diuinitus intellexit, quòd, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas tam corporalis, quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum, vt grauatus quisq; confidenter dicere possit hæc verba: ANNVLO SVO SVBARRAVIT ME DOMINVS MEVS IESVS CHRISTVS.*

S. Chrysost. homil. 3. ad pop.

Lud. Blosius in Monili spir. c. 10.

CAPVT XXXII.

A Fortuna excæcatis, oculos aperiri, si velint considerare quid futura, quid præsens ferat felicitas.

PAradoxum videri potest, si quis dicat, neminem felice esse infeliciorem, & infelice nullum feliciorem, si Fortunam ferre nórit: sed profectò oraculum est, iam olim à D. Augustino, his verbis prolatum: *Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis nutritur impunitas; & mala voluntas, velut hostis interior, nutritur.* Quin & infelicem, in hac vita, felicem esse, haud inuiti fatebimur, si quæ huc vsque disseruimus, seriò expendere velimus, & præsentia placeat cum futuris in trutinam mittere. *Christiani non simus,*

S. Augustin. epist 5. ad Marcellin.

S. Augustin. in Psal. 101. *simus*, ait S. Augustinus, *nisi propter futurum seculum. Nemo præsentia bona speret. Nemo sibi promittat felicitatem Mundi, quia Christianus est: sed vtatur felicitate præsenti, vt potest. Quo modo potest? quando potest? cũ adest, consolationi Dei gratias agat; vbiq; sit gratus, nusquam sit ingratus: & patri consolanti, & blandienti, & patri emendanti, & flagellanti, & disciplinam danti gratus sit. Amat enim ille semper, siue blandiatur, siue minetur.* Sed magis amat, cui maiorem destinat felicitatem. Quæ ergo maior sit felicitas, eodem Augustino iudice, decidatur: immo ipsa vtraque felicitas decidat, dum se se ipsam, quid sit, declarat. Nam, licet infiniti ad finitum nulla sit proportio, atque idcirco æterna beatitudo cum huius vitæ fluxa voluptate, non secus atque Oceanus cum riuulo, immo longè dissimiliùs comparetur; humanis tamen affectibus ita nonnullorum mentes excæcantur, vt præsentis vitæ delectatio, non solùm maior, quàm reipsa est, sed etiam futuris æternis gaudijs anteferenda videatur: quemadmodum etiam furiosis & ebrijs omnia duplicia apparent. *Nec tantùm hoc ebrijs aut insanis accidit, sed etiam sanis ac sobrijs*, ait Lactantius. *Namsi aliquid nimis prope admoueas, duplex videbitur. Certum est enim interuallum ac spacium, quo acies oculorum coit. Item si retrorsum auoces animum, quasi ad cogitandum & intentionem mentis relaxes; cum acies oculi vtriusq; deducitur, tunc singuli videre incipiunt separatim. Si animum rursus intenderis, aciémq; direxeris; coit in vnum, quidquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, si mens veneno ac potentia vini dissoluta, dirigere se non potest ad videndum, sicut nec pedes quidem ad ambulandum, neruis stupescentibus debiles? aut si vis furoris in cerebrum sæuiens, concordiam disiungit oculorum?* Hoc idem accidit illis, quos non iam Circe, sed Babylonia meretrix suo poculo inebriat, dementat, illecebrisque ad insaniam redigit. Nimis prope admouent sensuum delectamenta; nimis inhiant voluptati: neque, animo retrorsum auocato, possunt rectè inspicere, quid Fortuna ridens secum ferat insidiarum ac miseriarum. De his dictum est: *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios.* Ad hos dictum est: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Venite, *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.*

Lactant. lib. de Opific. Dei. cap. 9.

Iob. 12. 25.

Ioel. 1. 4.

Psal. 33. 9.

II. Gustum nobis præbet maioris voluptatis, D. Augustinus, vt dixi, cuius hæc sunt. *Quanta erit felicitas, vbi nullum erit malum, nullum*

nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid agetur, vbi, neq; vlla desidia cessabitur, neq; vlla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, vbi lego, vel audio. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorũ laudabunt te. Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus, per vsus necessitatis varios, distributa, quoniam tunc nõ erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in Dei laudibus. Omnes quippe illi, de quibus locutus sum, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinsecus & extrinsecus, per corporis cuncta dispositi, & cum ceteris rebus, quæ ibi magis mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succedent. Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species decens erit, quicunq; erit, vbi nihil, quod non decebit, erit. Certè, vbi volet spiritus, ibi erit protinus corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, vbi laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eum ambiet vllus indignus, vbi nullus permittetur esse, nisi dignus. Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius, aut maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs: nisi, Ego ero, vnde satientur: ego ero, quidquid ab omnibus honestè desideratur, & vita, & salus, & victus, & copia, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus. Vt sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita æterna, communis. Ceterùm, qui futuri sunt, pro meritis præmiorum, etiam gradus honorum atq; gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri sint, non est ambigendum. Atqui etiam illa beata ciuitas magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident Archangelis Angeli ceteri: tanquam nolit esse vnusquisq;, quod non accepit; quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus; sicut nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cum membrum vtrumq; contineat totius carnis pacata compago. Sic itaq; habebit donum alius alio mi-

S. Augustin. lib. 22. de Ciuit. c. 30.

lio minus, vt hoc quoq; donum habeat, ne velit amplius. Hæc est alterius vitæ felicitas, vel vmbra potiùs felicitatis. Nam quidquid nunc videmus, *per speculum videmus & in ænigmate* duntaxat, siquidem *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Ex his talibus principijs, facit hanc deductionem idem S. Pater. *Nihil nos terreat mundi infelicitas, Quia si istam infelicitatem mundanam Sancti DEI omnes timuissent, perpetuam felicitatem non haberent. Si felicitas huius mundi transitoria diligitur hic, perpetua non inuenitur. Ad perpetuam felicitatem tendamus, vbi patriam & parentes habemus, patientissimè omnia huius mundi mala, pro Christi nomine, toleremus. Quid est, quod toleretur, contra illud, quod nobis promittitur? Apostolus inquit, non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur, in nobis. Nulla ergo nos terreat pressura, nulla calamitas frangat.*

1. Cor. 13. 12.
1. Cor. 2. 9.
S. August. de Salutarib. document. cap. 56.

III. Intueamur nunc etiam, quæ sit huius vitæ Fortuna, quæ felicitas? ex eiusdem Patris sententia. Primùm, *temporales res nemini conferunt veram felicitatem, quia non eximunt insatiabilem cupiditatem. Qui enim biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Secundò, *Nunquam debet secura esse felicitas: quia periculosiora sunt animo secura, quàm corpori aduersa. Prius enim corrumpunt prospera, vt inueniant aduersa quem frangant.* Tertiò, quia *non colimus Deum, vt hic felicitatem habeamus. Quanti illam habent, quia non colunt Deum? Vt hic senescamus, & decrepiti efficiamur? Quanti senescunt blasphematores Dei? Nec ideò colendus est Deus, vt cultores illius habeant filios, & non sint steriles. Filios enim Deus & onagris & serpentibus dat. Non ergo pro magno & vero bono petendum est, quod & Iudæis, & Paganis, & hæreticis, etiam & ipsis bestijs datur. Aurum enim & argentum, & honores, & filios, & patrimonia multi habent etiam mali.* Quartò, quia *non permittit Deus malos esse felices, sed ideò malus felix putatur: quia quid sit felicitas, ignoratur.* Vnde, si idem est felicitas, quod Fortuna, ignorans fuit Lucanus, qui dixit: *Seruat multos Fortuna nocentes.* Non Fortuna illa fuit, sed infortuniũ. Quid ita? Quia *felix vocatur quisq;, quando, quod amat, habere videtur. Verè autem felix est, non si habeat, quod amat, sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miseri sumus, habendo miseriores. Et propitius Deus, cum malè amamus, negat, quod amamus: iratus autem dat amanti, quod malè amat.*

Idem. in Psal. 109.
Idem. lib. de vera innocent. c. 199.
Et l. 50. homil. hom. 10.
Idem serm. 26. in Ioan.
Idé in Psal. 26.

Ac, no

Ac, ne erremus in vocabulo, apud stolidos, idem est felicitas, quod *Fortuna*; quæ differunt plurimùm, apud sapientes. *Quia Fortuna potest esse mala; felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit. Dicunt Philosophi, quod felicitas est, quàm boni habent, præcedentibus meritis, Fortuna verò est, quæ dicitur bona, sine vllo examine meritorum, fortuitò accidit hominibus & bonis & malis, vnde etiam Fortuna nominatur. Quo modo ergo bona est, quæ sine vllo iudicio venit & ad bonos & ad malos, velut cæca & in quoslibet irruens?* Sed demus hoc vulgo, & *Fortunam* vocemus felicitatem; videamus autem, quænam illa sit, & quàm præclara felicitas? & an non sit, præ illa verâ atq; sempiternâ meritò contemnendâ? immo an non calamitas præoptanda? Siquidem *ipsa, quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus est timenda, quam miseria. Quandoquidem miseria plerumq; affert ex tribulatione fructum bonum: felicitas autem corrumpit animum peruersa securitate, & dat locum diabolo tentatori.* Sed hanc caussam, secundò iam loco, attigimus. Ad quam etiam pertinet quòd homines, vt ærumnis molliuntur, ita prosperitate fiant duriores. Vnde, quem in hac quæstione iudicem elegimus, idem Augustinus iubet nos, *non intendere in homines, qui prosperantur in hoc seculo felicitate falsa atq; ventosa & prorsus seductoria: vbi nihil aliud nutriunt, nisi superbiam, & cor eorum congelascit aduersus Deum, & fit durum aduersus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat. Præsumentes enim, omnia sibi abundare, quæ videntur huic vitæ necessaria, & vltra quàm necessaria extolluntur. Et cum sint homines, per iniquitatem, inferiores omnibus hominibus, per superbiam, superiores se putant omnibus hominibus. Atq; vtinam, vel sicut alios homines se esse deputarent.*

IV.

S. Aug. l. 4. de ciuit. cap. 18.

S. August in Psal. 68.

S. August in Psal. 124.

Quidnam igitur est felicitas illa seductoria? quid *Fortuna* tam bella, quæ, apud mortales, adeò multùm valet, vt dicta sit *omnipotens?* In primis copia diuitiarum: deinde magnitudo honoris; potentia; nomen illustre & clarum; corporis robusta valetudo; amici; & quidquid optant humana vota. Quod ad diuitias attinet, finxerunt sanè Xenophon Athenienſis, & Callistonicus Thebanus *Fortunæ* simulachrum Plutum infantem gremio gestantis. Atqui Plutum *Fortuna* pluribus ostentat, quàm donat: alliciendo fascinat, non locupletat. Hinc *Fortuna*, apud Romanos, *Viscata* dicta, quòd homines eminus captet; & adeò quidem, vt *Fortunæ* aureæ effigies in cubiculis Principum olim poni soleret, quę ijsdem morientibus, in successorum manus traderetur. Sic

V.

Pausan. in Boeoticis.

enim de Antonino Pio moriente Iulius Capitolinus scribit: *Tertia die, cum se grauari videret, M. Antonino Rempub. & filiam, præsentibus Præfectis, commendauit, Fortunámq; auream, quæ in Principum cubiculo poni solebat, transferri ad eum iussit.* Et de Seuero Spartianus. *Fortunam regiam, quæ comitari Principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulachrum vtriq; relinqueret filiorum: sed cum videret, se perurgeri, sub horam mortis dixisse fertur, vt alternis, apud filios Imperatores, in cubiculis poneretur.* Igitur seruabatur, *fortuna aurea*, in Imperatorum cubiculis, quasi regni fatum; quasi Palladium quoddam, quasi Dea felicitatis: sed Dea inconstans, vaga, leuis.

Spartian. in Seuero.

VI.

Itaque, sicut illa in cælo est æterna, ita hæc diaria est felicitas, & trallaticia; quæ, in statua sua, aurea, reipsa *vitrea est, cum splendet, frangitur.* Quod testantur complures. Tacitus ait: *Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quàm potentia non sua vi nixa.* adeò, vt *Fortunam citiùs reperias, quàm retineas.* Adstipulatur Philo his verbis: *Nihil est, quod mortales tanto affectu desiderant, reipsa nihil: sed vmbra, aut aura, antequam subsistat, prætercurrens. Accedit, & recedit, Euripis, & æstibus maris similis.* Subscribit & Dio, quo teste, Seianus luculentum *Fortunæ* ludibrium, *Fortunam* Seruij Tullij, quam domi superstitiosè habitam libationibus & sacrificijs colebat, repentè vidit se auertentem, expertus postea, quod in imagine vidit priùs. Sed, antè omnes, graphicè Seneca, *Omnia, inquit, ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos obliuiſci cogunt nostræ fragilitatis, quæ ferreis clausſtris armati: quæ ex alieno sanguine rapta vestra defenditis: propter quæ classes cruentaturas maria deducitis: propter quæ quassatis vrbes, ignari quantum telorum in aduersos Fortuna comparet: propter quæ, ruptis toties affinitatis, amicitiæ collegij fœderibus, inter contendentes duos, terrarum orbis elisus est. Non sunt vestra, in depositi caussa sunt; iam iámq; ad alium Dominum spectantia: aut hostis illa, aut hostilis animi successor inuadet.* Sed audiamus iterũ iudicem Augustinum, cuius hæc sunt: *Non nos vel filios nostros felices diuitiæ terrenæ faciunt: quæ nobis viuentibus amittendæ sunt; vel à quibus nescimus, vel fortè à quibus nolumus possidendæ. Sed Deus felices facit, qui est vera opulentia mentium.* Verè Poëta.

Tacitus 3. Annal.

Phil. quòd Deus sit immutabilis.

Dio lib. 58.

Senec. lib. 6. de Beneficiis.

S. Aug. l. 5. de Ciuit.

Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Iustos illa viros pauperie grauat,
Indignos eadem diuitijs beat.

Quæ-

VII.

Quænam ergo potest esse in diuitijs felicitas? Acquiruntur, non sine cura ac labore, & plerumque non sine scelere; possidentur sæpius à malis, nec sine litibus & anxietate; amittuntur cum dolore. Parum hoc esset, nisi etiam cum illis toties amitteretur felicitas sempiterna. Atq; vt infelix hæc felicitas tantò promtiùs spernatur, docet S. Ambrosius ideò pro vera haberi felicitate eam nō posse, quia si non est scelerata, saltem facit sceleratos. *Oremus hic*, inquit, *potiùs laborem subire, vt in regno cælorum consolationem quietis æternæ mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. Supinat, extollit, obliuionem authoris infundit. Considera illum diuitem in Euangelio supra ostrum & purpuram recumbentem, cuius de mensa micas iustus ille pauper Lazarus colligebat. Nonne videtur tibi dives ille ad Dominum dicere: Discede à me, vias tuas scire nolo? Et verè noluit scire huius vias Domini. Si enim vellet, cognosceret. Sed quia plenæ sunt laboris, fugiuntur & declinantur à perditis. Quasi ebrius itaq; non recognoscit salutis authorem. Deinde conuersus ad compotores suos. Manducemus, inquit, & bibamus: quid prodest, si seruiamus ei? Aut quæ vtilitas, si obseruemus eum? Hæc itaq; dicit secularium rerum abundantia temulentus, quia in seculo continuo scelerum merito non rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant, & conscius impietatis suæ cuius pœna sequestrabatur, putabat, quòd Deus impiorum scelera non videret.* Non autem Deus, sed ipse non videbat, à cæco Pluto exoculatus.

S. Ambros. in tract. de secunda interpellat. Iob.

VIII.

Monymus, authore Laërtio, erat Corinthij cuiusdam Trapezitæ seruus: qui cum Philosophiæ amore teneretur, cuperétque maximè operam dare Diogeni, neq; tamen hoc ipsum à Domino posset precibus vllis impetrare, simulatâ insaniâ, monetam cæpit spargere; eo modo dimissus, ad Philosophiam se conuertit, Diogenémque secutus est. Hunc modum tenent, qui veram sapientiam sectantur: pecunias abijciunt, omnia quæ possident, abdicant, ne vitijs irretiti à cælesti Philosophia retrahantur. Videntur quidem insanire, sed illis duntaxat, qui olim dicent: *nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Tales filij fuêre, quotquot, paupertatem amplexi, cum Benedicto, Bernardo, Francisco, Ignatio, aliisque Sanctis, nudi omnibus diuitijs, nudum Christum sequi voluerunt; paupertate atq; inopia felices, qui abundantia & opibus miseri extitissent.

Sap. 5.

IX. Verùm illi quoque facilè iacturam bonorum suorum passi sunt, qui se *Fortunæ* bonis, ipsius *Fortunæ* inconstantiâ, immo Numinis prouidentia aut voluntate, priuatos intellexerunt. Tales fuêre, ad quos Apostolus scribit: *Rapinam bonorum vestrorum, cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Talis fuit S. Ioannes eleemosynarius Alexandriæ Episcopus. Tredecim Ecclesiæ Alexandrinæ naues oneratæ, in Adriatico mari, magno naufragio, omne onus, quod erat ter mille & trecentarum librarum auri, prodegerant: ipsæ inanes in Alexandriæ portum redierunt. Illi igitur, quibus nauium cura concredita fuerat, è portu, ad templum confugerunt, tanquam ad securitatis asylum. Quod cum Patriarchæ relatum fuisset, illico Numini, propter hoc quoque, gratias egit; deinde ad nautas & naucleros misit *litteras remissionis, ea sola, quæ Iob dixit, dicens: Dominus dedit, fratres, Dominus abstulit. Egredimini ergo, pro hoc nullum timentes periculum. Dominus enim erit solicitus de crastino. Cum autem multi ex ciuibus venirent ad eum consolandum, prior ipse eis dixit: Non oportet vos, ô fratres, tristitia affici propter periculum nauium, cuius ipse solus sum caussa. Nisi enim magnos & elatos sumsissem spiritus, propter alienorum elargitionem, immo verò Dei ipsius, hoc nequaquam accidisset. Volens itaq; Deus meum tumorem comprimere, permittit hanc mihi accidere calamitatem. Est enim eleemosyna sæpe caussa superbiæ ei, qui non aduertit. Paupertas autem, sicut scriptum est, virum reddit humilem. Ego sum igitur caussa duorum malorum: vnius quidem, quòd mercede eleemosynæ priuatus sum, propter vanam gloriam: alterius verò, quòd propter eam procuraui amissionem tantarum pecuniarum: & nunc ad me attraho vniuersum iudicium animarum, quæ rediguntur ad angustias. Sed Deus, etiamsi non propter me, sed propter curam, quam gerit eorum, qui indigent, suppeditabit ea, quæ sunt ad vsum necessaria. Illud enim: Non te dimittam, neq; te relinquam, ab eo dictum est. Fidelis autem est, qui promisit. Sic ij, qui venerant, ad sanctum consolandum, ipsi sunt potiùs ab illo dimissi, accepta consolatione.*

Hebr. 10. 34

Surius 23. Ianuar.

X. Sic æstimat, quisquis nouit æstimare fortunas. Vt autem & nos sic discamus æstimare, & Sanctis Deus facultates subduxit, & Sancti, facultatibus subductis, Deo gratias egerunt; neque alijs, sed sibimetipsis culpam attribuerunt; imo onere se leuatos arbitrati, res ablatas, beneficij loco censuerunt. *Bernardus Clareuallensis Abbas, cum ducenta argenti pondo sibi ad impensas construendi Monaste-*

M. Marulus Spalatens. lib. 5. cap. 3.

ry

nasterij missa, à grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egisse dicitur, quod magno se onere leuasset. Tam ergo modicè tulit, argenti amissionem, vt eo grauari se putaret, si non amisisset. Grauantur multi, sed onus amant, quo ad Infernum deprimuntur. Ne hili facerent, si flauam terræ glebam, aut candidum metallum cum cælesti gloria conferrent: aut illud meminissent: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*: aut istud: Psal. 61. 11.

Non est tuum, fortuna, quod fecit tuum.
Dari bonum, quod potuit, auferri potest.

XI. Multò autem citiùs alterum Fortunæ bonum, Honor, & nomen bonum auferri potest. Pecunia manibus, fama linguis tollitur: ad illam rapiendam digiti debent esse præsentes: lingua & sermo etiam absentibus nocet; immo magis sæuit in eum, qui quia non audit, non defendit. Idcircò & hîc rectè pronunciat, quem, supra, iudicem adduximus, ita enim ait: *Felicitas hominis pendere non debet ex hominum linguis. Nullus enim sapientum Philosophorum finem suarum actionum constituit in fama vulgi, aut in lingua hominum.* Prouidè ait: nullus *sapientum Philosophorum.* Nam stulti non pauci fuerunt, qui, nominis caussa, omnia facerent, omnia ferrent. An non enim Empedocles, vt immortalis factus videretur, morte occultata, in craterem ardentis Ætnæ insiluit, crepidis, seu baxeis proditus, quos vis flammæ reiecit sub oculos eorum, qui amissum quæsiuerunt? Nimirum egregia sapientia est, mori, ne mortalis videaris. Numa Pompilius, vt authoritatem sibi faceret, Ægeriæ Nymphæ mendacio superbiuit. Monyma Mithridatis vxor, in desperatione rerum profligatarum, ignominiæ impatiens, detractum è capite diadema collo circumligauit, seq; ipsam suspendit. Cum autem corporis pondere laqueus ille diruptus esset, dixit: *Execrandum diadema, neq; in tam tristi ministerio mihi profuisti.* Móxque, cum super illud humi abiectum insputasset, Eunucho regio se se obtulit iugulandam. Quid hæc putauit, homines dicturos? fronti, non gutturi factum esse, diadema, dixerunt, longéque fortiùs acturam fuisse, si ignominiam ferre, quàm in se ipsa vindicare maluisset. At illa quoque Fortunæ exemplum fuit, in qua ostendit, vsque adeò paruum discrimen inter laqueum & diadema esse, vt hoc ipsum possit regibus, pro laqueo, seruire. Quanti autem sint facienda, dignitas, potentia, honor *sapientes Philosophi* S. Augustin. epist. 56. ad Dioscorid.

Iosophi immo ipsi etiam Poëtæ sonantissimè docuerunt. Horum vnus ita canit.

Seneca in Agamemn.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis: in præcipiti
Dubióq; nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumúe sui tenuêre diem.
Alia ex aliis cura fatigat.
Vexátq; animos noua tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus:
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda niuali
Vicina polo, vbi cæruleis
Immunis aquis lucida versat
Blaustra Bootes, vt præcipites
Regum casus Fortuna rotat.

Senec. lib. epist. 8.

Sic Seneca canens. Seneca autem Philosophans ita loquitur: *Rectum iter, quod serò cognoui, & lassus errando, aliis monstro. Clamo, vitate, quæcunq; vulgò placent, quæ Casus attribuit: ad omne fortuitum bonum, suspicioſi pauidiq; subsistite. Et fera, & pisces, spe aliqua oblectante, decipitur. Munera ista Fortunæ putatis? insidiæ sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimùm potest, ista viscata beneficia deuitet. In quibus hoc quoq; miserrimi fallimur, quòd habere nos putamus, habemur* (quo sensu etiam *viri diuitiarum*, non *diuitiæ virorum*, in sacris, vocantur) *In præcipitia cursus iste deducit. Huius eminentis vitæ exitus, cadere est. Deinde ne resistere quidem licet, cum cæpit transuersòs agere felicitas. Aut rectus sta, aut semel fuge.* Itaque sapienter alta vitat, qui non vult altè cadere: *Quidquid in altum Fortuna tulit, ruitura leuat.* Hoc est Honor, hoc dignitas, hoc magnum nomen mortalium, omnium linguis & petulantiæ expositum: quod nullæ vnquam magnæ mentes magni fecerunt.

Psal. 75. 6.

Senec. in Agamemn.

S. Chrysost. hom. 20. ad pop.

De Constantino Magno D. Chrysostomus, ex oratione Flauiani hæc recitauit: *Fertur beatus Constantinus, effigie suâ quandoq; lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quòd omnem ipsius faciem saxis conuulnerárint: manu faciem palpans, & leuiter ridens, dixisse: Sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi verò reuerîti, & confusi, ab*

hoc iniquo

hoc iniquo desistere consilio. Et hoc verbum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius memoriã extinxit. Quot non sit hoc trophæis splendidius? Contempsit tantus Imperator contumeliam, ostenditque, se non sauciatum in statua sua. Idem nos cogitemus, si quis nomen nostrum verberat, quod æquè extra nos est, atque statua nostra.

XI. Propiùs nos attingit bona corporis valetudo, neque est in nostra potestate, sentire, vel non sentire vim dolorésque morborum. De hoc argumento alibi dicturus, in pauca rem conferam. Philosophi quidem hanc salubrem vitæ formam iubent teneri, *vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs* tamen censent *tractandum, ne animo malè pereat.* Cogitant enim in se, *præter animum, nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est,* nisi solus Deus; *quoniam Deus magnus Dominus.* Si ergo Deus magnus Psal. 94. 3. voluerit, eos ægrotare; nec ipsam morbis anteponunt sanitatem. Hæc sola illis causa sufficit, Deum velle: quanquam & aliæ suppetunt. Nam, cum corpus languet, animus viget; illo patiente, virtus agit; & carnis damnum, mentis est lucrum; quæ nunquam est fortior contra voluptates, quàm cum homo ægrotat. *Cum infirmor, tunc fortior sum,* ait Apostolus. Hac de causa Platonici dicuntur philosophaturi, in vallibus ac locis paludosis & insalubribus habitauisse, ne, in luxuriante solo, etiam animus luxurians sapientiam repudiaret. Idem corporis frænum amârunt etiam Christianè philosophantes. Egidium memorat Fulbertus Carnotensis, ad Rhodani ostia, vitam solitariam egisse, cui, post longum & quotidianum precandi, vigilandi, abstinendíque studium, aliud Deus cruciamentum superaddidit. Nam cum, inter siluas latens, Deum veneraretur supplex, sagitta, à venatoribus, in incertum missa, eum grauiter sauciauit. Accepto vulnere, non modo hirurgum aut medicinam corpori admittere noluit, sed etiam Dominum enixè rogauit, ne quando læsa caro sanaretur. Interpretabatur enim vulnus diuinitus inflictum, vulnus amoris; quod incuratum, corporis dolore, ab animo arceret voluptatis cogitationes. 2. Cor. 12. M. Marul. l. 5. c. 4.

XII. Circuibat quidem IESVS, *sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos:* Matth. 4. 23.

uit eos: & alij quidem eum adibant, alios autem ipse adibat: alij sibi, alij alijs sanitatem impetrabant, vtique rectè: multi tamen inuenti sunt, qui morbos sanitati prætulerunt; & surdi, quàm audientes, cæci, quàm videntes; claudi, quàm ambulantes esse maluerunt. Sæpe enim multò satius est, surdum esse, quàm audire id, quod est absurdum; præstat, in oculis ferre cæcitatem, quàm vanitatem; consultius est, ad cælum claudicare, quàm talaria induere, & volare ad Infernum. Quæ & ipsa est doctrina Christi dicentis: *Si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum intrare in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Item: *si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod ita cum alij multi viri præstantes, tum etiam Audomarus egregiè heroicéque sensit. Transferebatur, Attrebati, ab Auberto Episcopo corpus S. Vedasti. Adcrat tunc, cum alijs, etiam Audomarus Teruanensis Episcopus, præsenio, cæcus. Hic, tum præsentium Episcoporum precibus, tum S. Vedasti meritis, recepit vsum oculorum, rem vtique alijs speratissimam. At ille longè iudicauit secius. Etenim *ægrè ferens, se liberatum esse à cæcitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est.* Adeò non magni fecit hoc corporis damnum, vt etiam in votis haberet.

Marci 9. 44.

Sigebert. in Chron. An. Dom. 658.

XIII. Magnæ sunt vtilitates oculorum, iucunditas excellens; si tamen his hominem priuet Deus, solatio est, spes rerum longè iucundiorum, in cælo, videndarum; præterquam, quod quædam inuisa non posse videri, sit quædam voluptas. Pigmenius Romanus presbyter, vel idcirco, se oculis captum, æquo animo ferebat, ne quando illi Christianæ Ecclesiæ inimicos aspicere contingeret. Quod cum non ignoraret Iulianus Apostata Imperator, obuiam illi factus, per ludibrium, & magna ioci acerbitate illi dixit: *Gratias ago Dijs, ô Pigmeni, quòd te video.* Cui ille respondit: *Gratias ago Deo meo, quòd te non video. Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quàm tyrannum contemsit. Dehinc Martyrij corona donatus videre cæpit, quæ oculus non vidit; & audire, quæ auris non audiuit; & intellegere, quæ in cor hominis non ascenderunt.* Verùm quid mirum est, si potuit patienter ferre oculorum noctem, qui adeò fortiter mortem ipsam tolerauit? Animus Deo coniunctus corporis morbos non recusat, si martyria ipsa optat; quin, etiam in ipsis morbis, reperit

Sabellic. lib. 5. cap. 7.

suas

suas vtilitates, commodáque videt, in ipsa cæcitate. *Oculos perdidi*, inquit ille, cui responsum est: *Quàm multis cupiditatibus via incisa est, quàm multis rebus carebis, quas ne videres, erudiendi erant. Non intelligis, partem innocentiæ cæcitatem esse? Huic oculi adulterium monstrant, huic incæstum, huic domum, quàm concupiscat, huic vrbem & mala omnia. Certè oculi irritamenta sunt vitiorum, & scelerum duces.* Quæ non sunt accipienda in vituperium Conditoris, cuius admirabile & precioſum opus est oculus; sed ab illis in solatium considerantur, qui infirmitate aut cæcitate oculorum capti, non cæcam Deam id feciſſe queruntur; sed ab eodem benefactore vero Deo alijs agnoscunt oculos claudi, alijs aperiri. Paria possunt de alijs quoque corporum malis cogitari, paria de omni Fortunæ plaga, cuius immortale exemplum in S. Eustachio eiúsque omni familia; & recentius, in Sosa eiúsque generosa coniuge & toto comitatu, terra marique iactato, historici memorauerunt. Senec. lib. de remed. Fortunæ.

Quorum omnium inconstantiſſima felicitas, & toties rediens calamitas palam pronunciat, non in hac vita, sed alibi quærendam esse veram felicitatem. *Magna hæc esse existimas*, ait Philosophus, *quæ relicturus es: & cum proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida & obscura casurum. Erras, Lucili; ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem & lucem, cum hæc certam originem habet, ac suam, ille niteat alieno: hoc inter hanc* vitam & illam. Hæc *quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim vmbram faciet, quisquis obstiterit: illa verò suo lumine illustris est.* Nequit ergo obscurari. Verè ille ipsa Fortuna cæcior est, qui splendorem luci anteponit; fugit enim lucem, vt diem vespertiliones, qui noctu in gladij fulgorem incurrunt. Fallit fulgor, lux ostendit, quod verum est bonum. Et, iudice Augustino, *ideò Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non fallat.* XIV. Senec. lib. 1. epist. 21. S. Aug. l. 2. de Verbis Dom. serm. 29.

CAPVT XXXIII.

Quænam, in Fortunæ casibus, è Senecapeti possint, contra impatientiam, remedia?

AVdiuimus Augustinum docentem, quo pacto, humanæ felicitatis iactura parui æstimanda sit; quod etiam Seneca, Plutarchus, Petrarcha, Bocatius aliique com- I.

plures, totis voluminibus, tradiderunt. E quibus tametsi non libet, hunc librum distendere; placet tamen bonam partem apponere, ex epistola Senecæ Liberalem consolantis, post vrbem patriam eius incendio absumtam. Ex ea epistola hominis Ethnici, licet cognoscere, *Fortunæ muneribus vtendum, non fidendum*; quia, *leuis magnas opes huc fert & illuc casus*; nec homines tantùm, sed totas vrbes abolet. Licet item ex ea epistola discere, qua mentis æquitate, Christiano aduersa sint toleranda, si diuina Religionis luce destituti, cum quaterentur, tam fortiter steterunt. Apparebit etiam, miserum esse, quisquis felicitatem sperat à miseris. Denique constabit, qua ratione animus sit, contra Fortunam, muniendus, qua perinde vt quisque vtitur, ita præcellit. Sic ergo scribit Seneca:

II. Senec. lib. 1. epist. 91.

Liberalis noster nunc tristis est, nunciato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Mouere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriæ suæ amantissimum. Quæ res efficit, vt firmitatem animi sui quærat, quam videlicet ad ea, quæ timere posse putabat, exercuit. Hoc verò tam inopinatum malum penè inauditum, non miror si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abstulit. nam etiam vbi hostili manu in tecta ignis missus est, multis locis deficit, & quamuis subinde excitetur, rarò tamen sic cuncta depascitur, vt nihil ferro relinquat. Terrarum quoq; vix vnquam tam grauis & pernicioſus fuit motus, vt tota oppida euerteret. Nunquam denique tam infestum vlli exarsit incendium, vt nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare vrbes singulas possent, vna nox strauit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat? vbiq; armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quæritur. Omnibus fortuna, quos publicè afflixit, quod passuri erant, timere permisit. Nulla res magna non aliquod habuit ruinæ suæ spatium. In hac, vna nox interfuit, inter vrbem maximam, & nullam. Denique diutiùs illam tibi periisse, quàm periit, narro.

III.

Hæc omnia Liberalis nostri affectum inclinant, aduersus sua firmum & erectum, nec sine causa concussus est. Inexspectata plus aggrauant. Nouitas adijcit calamitatibus pondus: nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit. Ideò nihil nobis improuisum esse debet. In omnia præmittendus est animus: cogitandúmq;, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. Quid enim est, quod non fortuna, cum

voluit

voluit, & florentissimo detrahat? quod non eò magis aggrediatur & quatiat, quò speciosius fulget? quid illi arduum quidue difficile est? non vna via semper, ne tota quidem incurrit. Modo nostras in nos manus aduocat, modo suis contenta viribus inuenit pericula sine auctore, nullum tempus exceptum est, in ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur. Bellum, in media pace, consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt, ex amico inimicus, hostis ex socio. In subitas tempestates, hibernisq; maiores, agitur æstiua tranquillitas: sine hoste patimur hostilia; & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. Inuadit temperatissimos morbus, validissimos Phthisis; innocentissimos pœna, secretissimos tumultus.

IV. Eligit aliquid noui casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat. Quidquid longa series, multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, id vnus dies spargit ac dissipat. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit, horam, momentúmq; temporis, euertendis imperijs sufficere. Esset aliquod nostræ imbecillitatis solatium, rerúmq; nostrarum, si tanta celeritate repararentur cuncta, quanta finiuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, festinatur in damnum: nihil priuatum, nihil publicè stabile est: tam hominum, quàm vrbium fata voluuntur. Inter placidissima, terror existit, nihilq; extra tumultuantibus causis; mala vnde minimè exspectantur, erumpunt. Quæ, domesticis bellis, steterant regna, quæ externis; impellente nullo, ruunt. Quota quæq; felicitatem ciuitas pertulit? cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quæ possunt euenire firmandus. Exilia, tormenta, bella, morbos naufragia meditare, potest te patriæ, potest patriam tibi casus eripere: potest te in solitudinem abijcere, potest hoc ipsum, in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter euenit: sed quantum plurimùm potest euenire, præsumamus animo, si nolumus opprimi, nec vllis inusitatis velut nouis obstupefieri. In plenum cogitanda fortuna est. Quotiens Asiæ, quotiens Achaiæ vrbes, vno tremore, ceciderunt? Quot oppida, in Syria? quot, in Macedonia, deuorata sunt? Cyprum quotiens vastauit hæc clades? Quotiens in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum vrbium interitus: & nos, inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaq; aduersus fortuita, & quidquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quàm rumore iactetur. Ciuitas arsit opulenta, ornamentúmq; Prouincialium, quibus & inserta erat, & excepta, vni tamen imposita, & huic non altissimo monti. Omnium istarum ciui-

tatum, quas nunc magnificas, ac nobiles audis, vestigia quoq; tempus eradet. Non vides, quemadmodum, in Achaia, clarissimarum vrbium iam fundamenta consumpta sint? nec quicquam extet, ex quo appareat, illas saltem fuisse? non tantùm manufacta labuntur, non tantùm humana arte atq; industria posita vertit dies. Iuga montium diffluunt, totæ desedere regiones. Operta sunt fluctibus, quæ procul à conspectu maris stabant. Vastauit ignis colles, per quos elucebat: erosit & quondam altissimos vertices, solatia nauigantium, ac speculas ad humilem arenam deduxit. Ipsius naturæ opera vexantur, & ideò, æquo animo, ferre debemus vrbium excidia. Casura omnia extant: omnibus exitus manet; siue interna vi flatúq; præclusi venti pondus, sub quo tenentur, excusserint: siue torrentium in abdito vis obstantia effregerit: siue flammarum violentia compaginem soli ruperit: siue vetustas, à qua nihil tutum est expugnauerit minutatim: siue grauitas cæli eiecerit populos, & situs desertacorruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum est. Hoc vnũ scio; omnia mortalium opera, mortalitate damnata sunt: inter peritura, viuimus.

V. Hæc ego atq; eiusmodi solatia admoueo Liberali nostro, incredibili quodam patriæ suæ amore, flagranti: quæ fortasse consumpta est, vt melius excitaretur. Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria; multa ceciderunt, vt altiùs surgant, & in maius. Timagenes felicitati vrbis inimicus aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quòd sciat meliora resurrectura, quàm arsissent: in hac quoq; vrbe verisimile est, certaturos omnes esse, vt maiora certioráq;, quàm amisère, restituantur. Sint vtinam diuturna, & melioribus auspicijs in æuum longius condita. Nam huic coloniæ, ab origine suæ centesimus annus est, ætas ne homini quidem extrema. Deducta in hanc frequentiam, loci oportunitate, conualuit. Quæ tamen grauissimos casus intra spatium humanæ pertulit senectutis.

VI. Itaq; formetur animus ad intellectum, patientiámq; sortis suæ, & sciat nihil inausum esse fortunæ. Aduersus imperia illam idem habere iuris, quod aduersus imperantes: aduersus vrbes idem posse, quod aduersus homines. Nihil horum indignandum est. In eum intrauimus mundum, in quo his legibus viuitur. Placet? pare. non placet? quacunq; vis exi. Indignare, si quid in te iniquè propriè constitutum est. Sed si hæc imos summósq; necessitas alligat, in gratiam cum fato reuertere, à quo omnia resoluuntur. Non est, quod nos tumulis metiaris, & his monumentis, quæ viam disparia præexunt. Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Idem de vrbibus, quod de vrbium incolis dico. Tam Ardea capta, quàm Roma est. Conditor ille generis humani,

non na-

non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi verò ad finem mortalium ventum est: Discede, inquit, ambitio: Omniũ quæ terram premunt, sirempslex est. Ad omnia patienda, pares sumus. Nemo alteri fragilior est, nemo in crastinum sui certior. Alexander Macedonum rex discere Geometriam infelix cæperat, sciturus, quàm pusilla terra esset, ex qua nimium occupauerat. Ita dico, infelix, ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen. Quis enim magnus in pusillo esse potest? erant illa, quæ tradebantur subtilia, & diligenti intentione discenda, nam quæ percipere posset vesanus homo & trans Oceanum cogitationes suas mittens? Facilia, inquit, me doce. Cui præceptor: ista, inquit, omnibus eadem sunt, æquè difficilia. Hoc puta rerum naturam dicere. Ista, de quibus quereris, omnibus eadem sunt, nulla dari faciliora possunt: sed quisquis volet, sibi ipsi illa reddet faciliora. quomodo? æquanimitate.

VII.

Quod & alio loco docens ostendit, impatientiâ plagam fieri luculentiorem. Verba eius sunt: *Aduersus hos muniendi sumus. Nullus, contra fortunam, inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi nõ potest. Quod sit hoc instrumentũ, scire desideras? Nihil indignetur, sibi accidere, sciátq; illa ipsa, quibus læsi videtur, ad conseruationem vniuersi pertinere, & ex his esse, quæ cursum mundi officiúmq; consummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc seipsum suáq; miretur, quòd non potest vinci, quòd mala sub se tenet; quod ratione, qua valentius nihil est, casum, dolorémq; & iniuriam subigit. Ama rationem: huius te amor contra durissima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas & inconsultus impetus præstat indomitas. Iuuenilia nonnunquam ingenia cupido gloriæ in contemptum tam ferri, quàm ignium misit. Species quosdam atq; vmbra virtutis in mortem voluntariam trudit. Quantò his omnibus fortior ratio est, quantò constantior: tantò vehementior, per metus ipsos, & pericula, exibit.* Hoc in exemplis sacris clarum est. Quid profuisset Patriarchæ Iacob contra tot casus furere? patienter omnia tulit, & consecutus est, quod ei benedictio paterna impertiuit. Ioseph Patriarcham, qui casus non rotarunt? emersit tandem, non se fortiter defendendo, sed fortiter omnia tolerando. Iob per quas non procellas iuit? quantis non rebus spoliatus est? *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius.* Iob. 42. 12. Dauid, per quot hostes & hastas se non penetrauit? Et penetrauit tamen, regnauitque, semper triumphans post pugnas. Tobiæ quo-

Idem lib. 1. epist. 74.

que &

Tob. 12. 13. que & opes, & filium, & oculos restituit Deus, post multas & graues persecutiones: nempe *quia acceptus erat Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret illum.* Hæc est Fortunæ rota, in qua, qui potest, deprimi æquo animo, solet extolli. Qui autem subactus indignatur, gemit, rotámque excutiendo succutit, grauiùs feritur. Satis fuisset Sauli, victum esse; satis fugisse, satis sagitta ictum; sed ille, ne caperetur, aut ab alijs interficeretur, *arripuit gladium, & irruit super eum.* Quis dicat, interfectorem sui fortiter fecisse? fortiter fecisset, si, inter aduersa, viuere sustinuisset. Suffecisset Achitopheli ad humiliationem, *quòd non fuisset factum consilium eius.* Impatiens fuit; & suspendio infortunia velut in fascem colligauit. Rectè atque sapienter quisque faceret, si non ipse sibi, per impatientiam, mala grauiora accerseret, sed diuinæ prouidentiæ dispositioníque se, & sua omnia subijceret. Nemo meliùs nouit, quid nobis prosit, summo gubernatore, quem qui vult corrigere, experitur, non illum regendo, sed se corrigendo errauisse.

1. Reg. 31. 4.

2. Reg. 17. 23.

VIII. Præclarè id mundi Paterfamilias sapientissimus, teste Blosio, docuit aliquando, *cum virgo Gertrudis commiseratione mota, oraret pro quadam persona, quam audierat impatienter conquerentem, quòd Deus grauamina sibi immitteret saluti suæ minùs conuenientia. Respondit* enim *ei Dominus:* Dices illi, pro qua oras, vt, quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia regnum cæleste obtineri nõ potest, eligat, atque indicet, quænam grauamina sibi vtilia esse putet? Et, cum hæc ipsi euenerint, seruet patientiam. *In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculosissimum genus impatientiæ esse, quando homo peruersè ac superbè eligere vult, quæ ferat: dicens saluti suæ minùs congruere, seq; non posse sustinere ea grauamina, quæ sibi à Deo immittuntur. Oportet enim, vt quilibet semper confidat, illud conuenientissimum & vtilissimum esse, quod sibi Deus imponit, aut euenire permittit: & quando hæc non omnino patienter sustinet, inde seipsum humiliare debet.* Hæc est ars vtilissima & maximè mortalibus omnibus necessaria, non velle regere mundi Rectorem, sed regimen illius pati, & optimum existimare; illúmque semper colere. *Non colimus Deum, vt hîc felicitatem habeamus. Quanti illam habent, qui non colunt Deum?* ait Sanctum illud ingenium, *nec vt hîc senescamus, & decrepiti efficiamur. Quanti senescunt blasphematores Dei? Nec ideò colendus est Deus, vt cultores illius habeant filios, & non sint steriles. Filios enim Deus & onagris, & serpentibus dat. Non ergo*

Ludou. Blos. in Monili spirit. c. 10.

Vide Supra cap. 26. n. 4.

Solonis simile dictum.

S. Augustin. l. 50. Hom. hom. 10.

pro magno

pro magno & vero bono petendum est, quod & Iudæis, & Paganis, & hæreticis, etiam & ipsis bestijs datur. Aurum enim & argentum, honores & filios, & patrimonia, multi habent etiam mali. Qui enim verè Christianus est, non ista omnia transitoria debet petere, sed totum pondus intentionis vel orationis suæ, ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere. Ista enim temporalia bona, & quando Deus dat, gratiæ agantur, & quando tollit, gratiæ agantur. Ista, quando voluerit, tribuet; quando voluerit, tollet: tantùm est, vt se ipsum non auferat. Hæc firma est anchora. At cui spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet à Fortuna; huic nihil oportet esse certi, nihílque, quod exploratum habeat permansurum sibi, ne vnum quidem diem.

CAPVT XXXIV.

De Varietate Sortium & sortientium.

INter improuidos fortuitósque euentus atque humanos *Casus, Sortes* numerantur. *Sortis euentus*, ait S. Ambrosius, *non in nostra est potestate, sed quem casus attulerit.* Hæ *Sortes* quid sint, & à quibus, vel benè, vel malè vsurpentur, & quo Dei iudicio cadant, dicendum est. Etsi enim videntur temerè contingere, quæ contingunt sortitò; attamen diuina Prouidentia & æquitas neque in his deest. Quod agnouit, qui dixit: *In manibus tuis sortes meæ.* Et D. Augustino teste, *Sors* (sua natura) *aliquid mali non est, sed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem. Sortium* porrò nomine intelliguntur plerumque ea, quæ coniiciuntur in vrnam, & inde, in electionibus, aut quibusuis deliberationibus, extrahi solent, siue sint tesseræ, siue chartulæ, siue albæ & nigræ fabæ, quæ veteribus vsitatissimæ fuerunt; sicut & niuei atríque lapilli; siue litteræ alphabeti: siue bacilli, siue oscilla, siue tali, siue calculi ἄτρητοι, vel τετρημμένοι; siue pilulæ aut globuli aurati vel argentei, vt apud Venetos: siue lanei, vt apud Genuenses; siue tabellæ, siue lamellæ tenues; siue testaceæ, aut testulæ, siue aliud quid simile, vt postea ostendam. Hebræis *Sors Phur* dicitur à cadendo, eò quòd *Sors* in vrnam coniecta cadat, vnde *casui* attribuitur. Harum rerum vsus *sortitio*, seu *sors* formaliter solet appellari. Vsitatiùs *Sors* in vrnam mittitur. Neque tamen vrnâ semper opus est:

I.

S. Ambros. lib. 3. de viduis. p. 3.

Psal. 30. 16.

S. Augustin. in Psal. 30.

Petr. Greg. Tolos. l. 34. syntag. c. 5.

Esther. 9. 26.

Cic. Act. 4 in Verr. Plautus in Casina. Homer. Iliad. 8. Virgil. 5. & 6. Æneid.

Cicero meminit *sortium* coniectarum in hydriam: Plautus in situlam: Homerus in galeam; vti & Virgilius: quamuis hic etiam in vrnam; Genuenses in distinctas eiusdem vrnæ velut fistulas coniiciunt. Alij in pileos, facculos, cistas, librorum paginas, seu schedas, seu alia imponunt. Alij nihil ex vrna, aut galea &c. extrahunt, sed libros aperiunt, & obuias sibi sententias cōsulunt. Nummos, cultros, bacillos alij in altum aërem proijciunt, & quæ pars prona, quæ supina ceciderit, dispiciunt. Milites frequenter, cum de statione, vel vita ac resti agitur, astragalis ludunt, super tympano.

II. Notum illud Iustini, de eo in regem eligendo, cuius in forum venientis equus priùs hinnijsset. Sortis id loco erat. Sed sortem elusit, qui hinnitum arte procurauit, equo pridie in forum, ad equam adducto, cui postridie iam assuetus amator adhinniret.

Henr. Salmuth in Guidon. Pancirol. cap. de Fibula. post. Claudiū Coterœum, de Iure Militū. lib. 3. cap. 8.

Veneti hodie, ait Henricus Salmuth, *si quid agendum est, ita sortitionem efficiunt. Veluti si fingamus, in Senatu de ratione belli agendum esse, neq; inter Senatores conuenire, ad cuius vrbis expugnationem primùm debeat deduci exercitus (quod accidit temporibus Michaëlis Trigesimi quinti Venetorum Ducis. Hadrian. Barlan. de Ducib. Venet.) ad diuinas Sortes recurrendum ducunt. Nomina quidem expugnandarum vrbium in vrnulam coniiciuntur: ea rudis quispiam puerulus manu miscet: inde vnam, è chartulis, quæ singulæ singularium vrbium nomina continent, ad Principes defert, ab eáq; oppugnanda bellum inchoari debet.* Memorabile etiam idem author refert, *illud Sortitionis genus, quo Athletæ olim ad pugnandum ducebantur. Nam calculis in vrnam coniectis, binæ compares litteræ inscribebantur: quíq; eductis sortibus pares sortiti erant, inuicem committebantur.* Nicetas Choniata ritum sortitionis, in Regijs comitijs, talem commemorat: *Cum Imperator creandus esset, in ædem SS. Apostolorum deliberandi ergò conuenêre: ac principio, patrio quodam ritu, pro numero candidatorum, quatuor calices ordine collocare instituerunt, quorum vnus incruentam victimam contineret, ceteris vacuis: eósq; tradere totidem sacerdotibus, vt ad cuiusq; principis nomen vnum tollerent, & eis redderent. Imperium verò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepisset, in quo diuinum corpus & sanguis Christi esset.* De Germanis ait Tacitus: *Sortium consuetudo simplex, virgam fructiferæ arbori decisam in surculos amputant: eósq; notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt, mox, si publicè consulatur, sacerdos ciuitatis; sin priuatim,*

Nicet. in lib. de rebus, post expugnatam vrbem gestis.

Tacit. lib. de morib. German.

tim, ipse paterfamiliæ precatus Deos, calúmq; sustiniens ter singulos tollit, sublatos, secundùm impressam antè notam, interpretatur. Sinis hodie propè similis est diuinatio duorum lignorum æqualium, quam describit Gunzalinus Mendozius, nec non Philippinensium, seu Lusanorum, in India, teste Martino Ignatio. Hoc pacto, apud Ezechielem, superstitiosè Nabuchodonosor, non Dei, sed suo, vel mali genij instinctu omen captauit, dubius Ammonitásne, an Iudæos inuadere deberet. Nam, vt infra pluribus dicam, sumens duas sagittas, vni inscripsit nomen Rabbath (quæ erat petra Arabiæ, metropolis Ammonitarum) alteri nomen Ierusalem: eas deinde commiscuit: mox vnam, clausis oculis, ac cæcè eduxit, cui inscriptum videns, *Ierusalem*, statim contra eam perrexit. In summa tot genera sunt *Sortium*, quot placita voluntatum.

Gunzalin. Mendoz. l. 2. Hist. Chin. cap. 4. Martin. Ign. Itinerarij. c. 8. Ezech. 21. 21.

His ergo atque alijs talibus Sortibus diuersi sunt vsi; siue Ethnici, siue Iudæi, siue Christiani; & omnis ferè natio, Ægyptij, Babylonij, Græci, Latini, Hebræi, Itali, Hispani, Galli, Germani &c. De Ægyptijs constat, quos quisque coleret agros, viritim inter se *sortibus* diuisisse. *Sorte* etiam vsum regem Babylonis Ezechiel testatur. Qua etiam vsi sunt Gentiles illi, quibuscum Ionas nauigans eiectus est in mare. Item Augustus, Tiberius, Attalus rex Pergami. Apud Græcos colonias *sortibus* deducebant. Quamobrem coloni κληρῦχοι dicebantur. Iudices in Areopago, varijs in vrnam coniectis litteris, sortiebantur, vt docet ex Demosthene & Scholiaste Aristophanis Sigonius. Tullius refert, legem Syracusis fuisse, quæ Iouis sacerdotem in annos singulos *capi sortitò* iuberet; licet Dion Halicarnasseus contrariam legem recitet, cauentem, *sorte, aut precio deligi sacerdotem.* De Dionysio Syracusano Plutarchus scribit, eum augurium cæpisse Monarchiæ, ex litteram. quæ ipsi obtigerat. Apud Lacedæmonios, Athletæ *sorte* educebantur ad pugnandum; ne aut suspicioni locus esset maleuolentiæ; aut alij illis gloriæ occasionem inuiderent. De Romanis Tacitus scribit, eos magistratus, legationes, ac præfecturas sortitos esse, ne ambitioni, aut inimicitijs locus foret. Liuius ait: *apud Romanos, de loco, & ordine agminis, duces sorte definiebantur:* vtique propter eandem causam. Apud Hebræos sortium vsum fuisse sacræ litteræ testantur. Nam & hircus immolandus *sorte* electus est. *Duos hircos stare faciet, coram Domino, in ostio tabernaculi testimonij: mittensq; super vtrumq; sortem, vnam Domino, & alteram capro*

III.

Cap. 21. 19. Ion. 1. 7.

Car. Sigon. l. 3. de Rep. Athen. Cicer. Act. 4. in Verr. Dion. Hal. lib. 2. hist. Rom. Plutarch. in Apopht. Lucianus in Hermotimo. Tacit. l. 10. Sigon l. 2. de iudic. c. 12. Liuius lib. 2. Dec. 3. Leuit. 16. 8.

Num. 17. 2. Iosue. 7. 16. 1. Reg. 14. 42 1. Reg. 10. 20 Num 26 55 1. Paral. 24. 5. 7. 31. Luc. 2.

emissario; *cuius exierit sors, Domino offeret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.* *Sorte* Aaron alijs prælatus. *Sorte* deprehensus Achan & Ionathas. *Sorte* Saul creatus rex. *Sorte* terra Promissionis inter Hebræos partita. *Sorte* obita sacerdotalia munera. *Cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ, ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret.* Nam inter sacerdotes *Sors* iacta est, quis suffiret, aut thus incenderet. Cum enim plures essent eiusdem familiæ sacerdotes, qui eadem hebdomade, in templo, sacerdotio fungerentur, & vnus duntaxat adolere thus posset, sortitione exploratum est, quem eorum id, vno die, quem altero; aut quem mane, quem vespere facere id oporteret. Ita Euangelium narrat.

Actor. 1. 23.

Quid quòd, cum Iudæ subrogandus esset Apostolus, Apostoli reliqui *statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus: & Matthiam* &c. *Et dederunt Sortes eis: & cecidit sors super Matthiam; & annumeratus est cum vndecim Apostolis?* *Sortibus* rem gestam testatur Lucas, vt electionem Matthiæ diuinitus prouisam factámque significet.

IV.

Quod Apostoli ausi sunt, fecerunt etiam multi boni Christiani, qui ab Apostolis descenderunt. Quippe nonnulli sanctissimi viri, Dei circa se voluntatem, sacræ Scripturæ, diuiníque Codicis, veluti fortuita apertione, scrutati sunt; & inuenerunt, quod quæsiuerunt. Plurimi ex alicuius sententiæ auditione, rectè vel ominati sunt, vel vitam instituerunt; vt dubitari non possit, omnino diuinum iudicium interceßisse, sicut, ante Originem & Augustinum, docuit D. Dionysius, de Matthiæ electione ita loquens: *De illa sorte diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit, alij quidam alia sensêre, meo iudicio, non rectè: aperiam autem & ipse, quid sentiam. Videtur mihi scriptura sortem appellasse diuini quiddam & præcipui muneris, per quam illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.* Quibus subiungit, ob reuerentiam, permisisse Apostolos, non iudicio suo, sed Deo ipsi electionem. Sunt ergo *sortes* quædam humana manu proiectæ, sed diuina directæ. Quid multa? *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur*, aliquando in hominibus ad certa officia eligendis; aliquando ad frugem meliorem reuocandis; aliquando in ascisendis Diuis tutelaribus, aut alijs negotijs dirigendis.

Orig. hom. 23. in Ios. Aug. in Psal. 30. conc. 2. S. Dionys. c. 5. Eccles. hierarch. part. 3.

Prou. 16. v. vlt.

Verùm

Verùm videamus etiam conuersionum exempla. S. Basilius de se ipso scribit sequentia: *Ego cum multum temporis, in vanitate consumpsissem, & totam fermè iuuentutem meam in vano labore perdidissem, quem in disciplinarum sapientiæ à Deo infatuatæ perceptione conuersatus insumpsi: postquam aliquando velut ex somno profundo expergefactus, ad admirandam veritatis Euangelij lucem respexi, & inutilitatem sapientiæ principum huius sæculi exoletorum conspexi: miserabili vita mea multùm deplorata, optabam mihi dari manuductorem ad introductionem, ad dogmata veritatis. Et præ omnibus sanè multam curam adhibebam, vt correctionem aliquam morum facerem, multò iam tempore ex malorum conuersatione corruptorum. Itaq; vbi legissem Euangelium, & vidissem illic maximam occasionem ad perfectionem, venditionem bonorum, & distributionem in indignos fratres, & in summa nullam huius vitæ curam habere, & à nulla affectione ad vitæ res animam conuerti: optabam inuenire aliquem fratrem qui hanc vitæ viam elegisset, vt vna cum ipso hanc profundam vitæ inundationem penetrarem. Et sanè multos inuenimus in Alexandria, multos etiam per reliquam Ægyptum. Et alios in Palæstina cauáq; Syria ac Mesopotamiâ: Quorum quidem admirati sumus circa victum abstinentiam, admirati sumus item tolerantiam in laboribus, consternauit me etiam ipsorum in orationibus intentio, & quomodo somnum superabant, & à nulla naturali necessitate inflectebantur, altam semper & nulli seruituti obnoxiam animi constantiam conseruantes, in fame & siti, in frigore & nuditate, non corporis curæ intenti, neq; sustinentes vt aliquam ipsi curam impenderent, sed velut in aliena carne degentes, opere commonstrârunt, quid sit cohabitare rebus in hac vita, & quid conuersationem habere in cælo. Illa admiratus, & beatâ prædicatâ virorum vitâ, qui opere ostendunt mortificationem Iesu in corpore se circumferre; optabam etiam, quantum eius à me fieri posset, illorum virorum imitator esse.*

V. S. Basil. ep. 78. ad Eustathium Sebastæ Episc.

Quod Basilio accidit, etiam Augustino, & quidem luculentiùs euenit, ab Alipio secedenti, ac lachrymis suis, animique luctæ, solitudinem petenti. *Ego*, inquit, *sub quadam fici arbore, straui me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrimis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia, multa dixi tibi: Et tu, Domine, vsquequo? Vsquequo, Domine, irascéris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare*

VI. S. Aug. l. 8. Confess. cap. 12. Psal. 6. Psal. 12. Psal. 78.

non modò? quare non, hac hora, finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & crebrò repetentis, quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege: statimq; mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerent pueri, in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino, audiuisse me vspiam. Repressóq; impetu lachrimarum, surrexi nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem Codicem & legerem, quod primum capitulum inuenissem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me: & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaq; concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum IESVM Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationes tenebræ diffugerunt. Tum, interiecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicauit: Petit videre quid legissem. Ostendi, & attendit etiam vltra quàm ego legeram, & ignorabam quid sequeretur. Sequebatur verò: Infirmum autem in fide assumite. Quod ille ad se retulit, mihiq; aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, Placitóq; ac proposito bono, & congruentissimo suis moribus, quibus à me in melius iam olim valde, longéq; distabat, sine vlla turbulenta cunctatione coniunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet; narramus quemadmodum gestum sit: exultat & triumphat, & benedicit tibi, qui potens es, vltra quàm petimus aut intelligimus, facere, quia tanto amplius sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus eius, flebilibúsq; gemitibus. Conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertisti luctum eius in gaudium multò uberius, quàm voluerat, & multò chariùs atque castiùs, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat. Augustini & Alipij hæc sors fuit, quam multi imitantur, qui, turbato cum sunt animo, &

Rom. 13.

Rom. 14.

mo, & fluctuante, Thomæ de Kempis libellum aperiunt, aiúntque, se semper solatium reperire, & idoneum vulneri suo emplastrum.

VII. Petr. Ribaden. l. 1. c. 2. de vita S. Ignatij Loiolæ.

Si non *sors*, certè *fors* fuit, incidisse in pios libros Ignatium Patriarcham nostrum. Nam *cum in lecto iacere cogeretur, eßétq; in prophanis libris legendis multùm temporis collocare solitus, aliquem eiusmodi librum sibi ad manum dari iussit, vt eius lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus, domi eiusmodi esse libros, duos Hispanicâ lingua scriptos accepit, ne prorsus otiosus esset, quorum alter Christi Saluatoris nostri, alter Sanctorum vitas continebat. Atq; horum quidẽ librorũ lectione, sensim eius animus immutari, & imitandi, quæ legebat, studio quodam affici videbatur.* Hoc initium fuit conuertendi illius militis, à quo tot conuersionum milliones pependerunt. Librum petijt: prophanum optauit: sacrum sortitus est. inde didicit sapere, vnde alios sapere doceret. Sed & sanctos tutelares *sorte* eductos non minùs vtiliter, quàm piè, legimus.

VIII. Andreas Schottus l. 1. vitę B. Franciſc. Borgiæ. c. 1. Idem lib. 4. c. 4.

Erat solenne familiæ Borgiæ, vetere instituto, vt è Diuorum numero aliquem quotannis sorte duceret. Seruabat religiosè hunc morem puer etiam tum Franciscus (Borgia) quem etiam in Societatem induxit, priùs, quàm familiam ducere cæpit. Diui nomen cui obuenisset, is, profesto die, duos mendicos vicatim collectos alebat; festo verò, binis bini mares, fœminis fœminæ, ad mensam ministrabant. Ex hoc fonte manauit pia solennisq; Societatis consuetudo, vt singulis mensibus Sanctorum nomina sorte è situla educantur distribuanturq; singulatim. Quo die votis conceptis, religioséq; persolutis opem sui quiq; Diui implorant. Didicerat id in gentilicia Borgiæ familia Franciscus. Ognati quoq; idem seruauit; multa Socijs indulgens, quo die Diui nomen sorte illis obtigisset: ipse adhæc precationi plus etiam temporis tribuere solitus. A Societate hic sortiendi mos in B. Virginis Sodalitates, atque inde in alias aliásque, magno cum fructu, est propagatus. Multi è paruis schedis magna extirpare vitia, egregiásque exercere virtutes, Sanctósque peculiaribus colere honoribus didicerũt. Sed assuetudo quosdam facit negligentes. Alios ignorantia vtendi tanto fructu priuat. Si tollerent ignorantiam Exhortatores aut Concionatores, extinctis vtique impijs sortilegijs, sortes bonas inducerent, cultúmque Diuorum longè latéque propagarent.

IX. Leonardus

De alia Sancti patroni sortitione memorant, quam hîc non omittam interserere. Anno 1208. sacro baptismate tinctus est primus Ar-

Mayr. in Calend. B. Virgin. 4. die Febr.

mus Arragoniæ rex Iacobus, cuius mater, cum dubia esset, quonam Apostolorum nomine filium suum deberet insignire, consilium cepit, sorti iudicium vel indicium permittere. Duodecim itaque curauit cereos fundi æquali pondere & magnitudine. Singulis cereis, alicuius Apostoli nomen inscripsit, vel in schedâ adiecit. Eos omnes pariter in honorem Apostolorum accendi iussit, addita conditione, vt cuius Apostoli cereus diutiùs arsurus esset, eius nomen filius sortiretur. Diutiùs arsit cereus Iacobi. Indicatum est igitur, ex Dei voluntate, vocandum esse Iacobum. Quod & factum est: neque sine emolumento. Nam hic postea Iacobus & regnum Hispaniæ, & religionem Catholicam, & honorem D. Iacobi mirificè propagauit. Plausum tulit fructúmque hic modus sortiendi: quia nullum periculum erat, quicunque Apostolus in patronum eligeretur. Quare eo superstitionem suam tueri non possunt stultæ illæ mulierculæ, quæ, in die Fidelium animarum, tot cereos accendunt, quos liberos habent, eámque prolem, cuius cereus citiùs absumitur, sibi persuadent citiùs morituram; quasi Deus, qui vult hominibus horam mortis esse incertam, illam cereis reuelaret. Sed rectè eiuscemodi matres sua curiositas plectit, semper enim postea anxiè metuunt, quod superstitiosè crediderũt.

X. Istam porrò Sanctos sortiendi consuetudinem non nouam esse, docetur eo argumento, quia, ante annos plus quàm quadringentos, eius consuetudinis meminit Bernardi æqualis, & ex eodem ordine, Cæsarius Heisterbachiensis, cuius hæc sunt. *Consuetudo est maximè prouinciæ nostræ matronis, vt tali sorte specialem sibi Apostolum eligant. In duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ à sacerdote benedictæ alteri simul imponuntur. Accedens verò femina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus ceteris & honoris, & obsequij impendit. In hunc modum cum quædam matrona S. Andream extraxisset, & non ei placuisset, repositâ candelâ alium habere voluit, sed iterum idem occurrit. Quid plura? tandem traxit sibi placentem, cui cum multum exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad extrema perueniens esset moritura, non illum, sed B. Andream sibi assistere vidit. En, inquit, ego sum ille despectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnunquam Sancti etiam vltro se ingerant humanæ deuotioni.* Quod cur faciant, etsi inter arcana Dei sit habendum, tamen etiam bonitati eorum ascribi potest, vt qui vel spernentes se, non spernant, immo benefacere his, qui oderunt illos, pos-

Cæsar. lib. 8. Mirac. c. 56.

los possint. Quanto autem magis diligentes se diligent, & cultoribus suis patrocinabuntur? Neque præiudicium fit alijs, si vnus altero colatur impensiùs; non enim idcirco hic sanctior, aut ille impotentior censetur, in adminiculando; sed cum vniuersim omnes, tanquam *nimis honorati amici Dei*, tum in Litanijs, tum in alijs precibus inuocentur; vnus eligitur alterúe ab hoc, alius ab alio, vt etiam peculiariter colantur, pérque hunc peculiarem affectum Mundo magis innotescant. Cum autem etiam in magnis aulis aut conuiuijs, etsi omnes serui conuiuis omnibus honorem exhibeant, tamen alius huic, alij alius astare seruiréque iubeatur; cur nõ & diuina sapientia Sanctis suis prouideat seruos & seruis Sanctos peculiares? Imo, puidet. Hinc vel ab ipsis Sanctis Sancti aliqui præcipuo amore atq; honore culti fuêre. Sic culti sunt, à S. Basilio & fratre Nysseno, Martyres quadraginta; itémque Theodorus. Sic cultus est à Chrysostomo Paulus, ab Augustino Stephanus, à Gregorio Andreas, ab alijs alij. Neque putandum est, esse inter Sanctos æmulationem; nullus alteri inuidet; nullus existimat, se iniuria affici, quando alter honoratur. Alioqui etiam Ecclesia nullam auderet orationem ad D. Martinum fundere, ne D. Georgius offenderetur; aut, cum S. Nicolai festum celebrat, metuendum esset, ne S. Dionysius læderetur. Certè multi beneficio obstricti videntur, vt vnum Sanctum præ alio venerentur. Cur enim S. Benedictum PP. Benedictini, S. Bernardum Bernardini, S. Franciscum Franciscani, S. Dominicum Dominicani, S. Norbertum Norbertini, & qui S. Ignatij instituta sequuntur, S. Ignatium peculiaribus obsequijs non venerarentur? Colit quisque ducem suum, eúmque meritò censet honorandum, quem ei Deus dedit imitandum. Dare autem solet, non modò per vocationem, sed etiam per sortem.

XI. Surius 19. Nouemb.

Cuius rei exemplum, in vita quoque S. Elisabethæ, quæ postea Lantgrauij fuit vxor, legimus. Illa *D. Ioannem Apostolum, præter ceteros, charum, sibi, patroni loco, delegerat, imitata pietatem Christianorum* (vt refert Iacobus Montanus Spirensis) *quibus singulatim eligere aliquem è cœtu Apostolico, quem familiariùs clientum more colant, consuetudo est. Ne tamen electionis euentu (vt assolet) incerto, quia sorte agebatur, alium, quàm Ioannem nancisceretur, præmissa ad Deum prece, effecit, vt quem summopere volebat, semel iterúmq; ac tertiò sortiretur. Cuius voti compos effecta, adeò dilexit coluitq; adeptũ,*

vt ob ipsius nomen meritumúe rogantibus nihil denegandum putaret. Est in hoc exemplo affectus erga Sanctum, Suffragium *Sortis*, & preces à Deo impetrantes, vt *Sortes* temperaret; qua in re multi hodiéque sunt pij imitatores, dumodo assuetudo non minuat pietatem.

XII. Possunt & alij diuinæ voluntatis explorandæ modi inter *Sortes* computari, qualis fuit ille, quem Gregorius Turonensis recenset his verbis: *Chlodoueus rex ait suis: Valde molestè fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis, redigamus terram in ditionem nostram. Cúmq; placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu, Pictauos dirigit.* Et paulò pòst: *Ipse verò rex direxit nuncios ad Beatam Basilicam* (S. Martini) *dicens: Ite, & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sancta suscipietis. Tunc, datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait, Si tu, Domine, adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, sempérq; æmulam tibi meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ S. Martini, dignare propitius reuelare, vt cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium regis, dum Sanctam ingrederentur Basilicam, hanc Antiphonam ex improuiso primicerius, qui erat, incæpit: Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Quod satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota B. Confessori promittentes læti nunciauerunt regi. Porrò ille cum ad fluuium Vigennam cum exercitu aduenisset, per quem locum transire deberet, penitus ignorabat, inundauerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmq; illa nocte Dominum deprecatus fuisset, vt ei vadum, quo transire posset, dignaretur ostendere, manè facto, ceruam miræ magnitudinis, ante eos, nutu Dei, flumen ingreditur, illáq; vadante, populus, qua transire posset, agnouit.* *Sortis* loco, regi fuit vox, sub ingressum legatorum, in templo excepta victoriæ nuncia; & cerua ductrix.

Gregor. Turon. l. 2. hist. Francor. c. 37.

XIII. Qualis datus est dux etiam S. Itæ innocenti, ob arreptam adulterij suspicionem, ex arce ac turri præcipitatæ, atque in nemoris salutares latebras inuitatæ, ceruus cornuum ramis, candelarum instar, prælucens. Neque noster Patriarcha Ignatius à cæde Mauri aliter est abductus. *Pergentem, cæpto itinere, Ignatium,* inquit Ribadeneira, *& recta montem Serratum versus progredientem, Sarracenus quidam, siue Maurus assecutus est (erant per id tempus in Hispania Tarraconensi adhuc aliqui ex antiquis eius gentis reliquijs) cũ*

Petr. Ribad. l. 1. Vitæ S. Ignatij. c. 3.

vnâ

vnà irent, incidit (vt fit) illis sermo de Virginitate B. Virginis Mariæ, quam cum in conceptu filij concederet Maurus, in partu negaret, ad eámq; rem naturales rationes aliquot adferret, neq; ad veritatem flecti posset, ab Ignatio celeriter præcessit, solúmq; Ignatium reliquit, hærentem diu, multúmq; dubitantem, vtrum ab se pietas Christiana exigeret, vt Maurum cõsequeretur, & pugione confoderet, quòd de beatissima & immaculata Virgine, coram se, ignominiosè locutus fuisset. Homo quippe militaris, & fallaci veri honoris imitatione olim delusus, dedecori sibi esse ducebat, si quid à religionis Christianæ inimico, se audiente, de inuiolata Sacrosanctæ Virginis integritate impunè detraheretur. Quæ quidem cogitatio in speciem pia, diu, multúmq; rudem tunc Christi militem torsit, in eámq; deliberationem tandem induxit, vt, vbi ad biuium (vnde è via publica ad oppidum vicinum Maurus declinârat) constitisset, habenas mulæ, qua vehebatur, permitteret, &, si ad locum, vbi Maurus erat, diuerteret, quæsitum illum, atq; inuentum interficeret: sin rectè pergeret, omitteret. Atq; ita diuina prouidentia factum est, vt iumentum lata, facilíq; via prætermissa, suum iter sequeretur. Vt omnes intelligant, quibus initijs, quibusq; progressibus, Deus militem suum ad extrema perduceret. Nam, vt ait D. Augustinus, animæ virtutis capaces ac fertiles S. Aug. l. 22. cont. Faust. c. 70. *præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Vnde & Moyses interficiens Ægyptium, adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat.* Neque debet Momus hîc aliquis ridere, viam Deo displicentem, mulæ indicio, proditam Ignatio, cum Balaam ad Balac proficiscente, & irato Deo, *cernens asina Angelum stantem in via, euaginato gladio,* auerterit itidem *se de itinere, &* iuerit, *per agrum,* tandémque etiam prodigiosa voce hominem docuerit, quà non esset eundum. Quemadmodum & Saul asinas amissas quærens regnum inuenit. Quin hoc ipsum sortiendæ viæ genus, in sacris paginis, legimus. Ita percussis à Deo Philistheis suasum est: *Arripite & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. Tolletisq; arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: & dimittite eam, vt vadat. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè: sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.* Non est difficile diuinæ sapientiæ etiam per Num. 22. 23. 1. Reg. 9. 3. 1. Reg. 6. 7.

Arcadicum pecus, aut asini aut mulæ, aut bouis, aut vaccæ stupiditatem, ad prudentiam erudire. Cum rebellem filium Absolonem vellet Deus infelici arbori suspendere, mula carnificem egit: potest eadem etiam, si Deus vult, agere præceptorem. Vnde multò stultissimè agunt, qui inde se excusant à diuini Verbi auditione, quòd Parochos habeant & simplices, & non satis doctos. Per bestiam te potest summus Magister instruere, quid quæris Platonem? Ipsi Apostoli nonne simplices fuerunt, atq; illiterati? Quid tunc feciſſes, an Petrum piscatorem, aut Nathanaëlem *verum Israëlitam, in quo dolus non erat*, concionantem audire noluisses? Sed ad *Sortes*, immo sortientes enumerandos reuertamur.

2.Reg.18.9.

Io.1.47.

XIV. Notissimus est D. Bennonis Episcopi & piscis & claues, cui similem, sed non æquè notam historiam, ex Venantio Fortunato Episcopo Pictauiensi, qui tempore Iustini iunioris An. 570. floruit, referam. D. Maurilius Mediolanensis D. Martini discipulus, multis magnisque miraculis clarus, quem Andegauenses Pontificem habuerunt, paulo postquam à S. Martino columba candidissima super caput eius descendente, initiatus erat, in D. Petri templo solenniter fecit. Dum sacrificaret, adfuit, cum moribundo filio matrona illa, cui, ante id tempus, sterili eundem precibus à Deo impetrauerat. Ea matrona, non vitam corporis gnato, sed Spiritum S. postulabat manuum impositione, seu Confirmationis atque extremæ vnctionis fortasse etiam sacramento impertiendũ; pulcherrimo matrum documento, ne mysteria tam sacrosancta luctui & lamentis suis posthabeant, sed vt regnum cælorum inprimis medicúmque animæ antè, quàm corporis quærant. Maurilius nequaquam rem præcipitare sacram assuetus, sed diuinis affectibus absorptus, dum in corpore & sanguine Seruatoris consecrando moram trahit, desinit puer trahere animam; atq; ita hic priùs vitam, quàm ille Missam absoluit. Audite, obsecro, rem mirissimam, & æri, immo pectori omnium Episcoporum ac Ecclesiasticorum penitus insculpendam; eorum autem præsertim, qui dum visitant ditionem, dum Sacramentum Chrismatis conferunt, lustrum est; aut qui lusibus symposiisque, cum morte & Styge luctantium, agones negligunt, eósque sine culparum expiatione, sine extrema Vnctione, sine cælesti viatico emori sinunt, ne suas cogantur interrumpere compotationes ac ebrietates. Non sic Maurilius, non sic fecit; puer, sine Confirmatione decessit, illo non perpotan-

Venant. Fortunat in vita D. Maurilij cap. 15. & Sur. tom. 5. die 13. Septemb.

perpotante, sed ad sacratam mensam operante, libantéque sanguinem Christi. Quis eum non excusaret? quo altero negotio sanctiore occuparetur? immo quis religioni sibi non duceret, eo loco, interiungere? At longè aliter calculum duxit sanctus ille Præsul. Nam postquam *Ilicet*, dixit, vbi cognouit, puerum vixisse, inconsolabilibus lachrymis negligentiam suam deplorauit, sibi attribuens, quòd ille chrismate atque sacro oleo non vnctus, sine tanto dono, vitam finijsset. Hîc cupio omnes mortales diligenter perpendere, quanti vel leuem culpam faciant, diuinorum iudiciorum gnari. Nam Maurilius, quoniam delictum istud nullo satis fletu ablui posse arbitrabatur, diu multúmque, quid ageret, animo secum colluctante, statuit, domi ac inter ciues, tale piaculum lui non posse, sed voluntario exilio puniendum. Consilio hoc capto, clam profugit, incogitánsque secum claues asportat, quibus Reliquiæ Diuorum, in Andegauensi Ecclesia, custodiebantur. Solicitus exul nullum satis remotum securúmque exilium existimabat, nisi quod mare interpositum muniuisset. Ad littus vbi peruenit, dum nautæ morantur ventúmque expectant, ne nihil ageret, per otium, in lapide, diem nauigationis suæ incidit, nomémque adiecit, à nullo vtiq; Andegauensi reperiendum. Conscensa naui, atque in altum prouecta, tum demum cæpit animaduertere, claues sacri thesauri secum ablatas: eásque, cum manibus versasset, subitò, dæmonis inuidia excussas atque in mare esse prolapsas, duplici dolore angebatur. Quamobrem, non sine pio fletu, exclamauit, se, nisi has claues iterum videre meruisset, patriam vrbémque, non reuisurum. Et sanè, ante integrum septennium, non reuisit. Tanti etiam Deus vel leuem, vt nobis videtur, labeculam facit. Quot annis, aut quibus pœnis castigaturus est, eos, qui, non Sacrificij, cum consueta pietate, absoluendi caussa; sed vt dormire, & edormire crapulam, vt perpotare, vt ludere possint, tot deserunt moribundos? tot oues negligunt, neque instruunt illis doctrinis, sine quibus æternam salutem non consequuntur? Decimas suas accuratè exigunt, vt habeant, vnde viuant. Sciant & oues exigere pabulum spirituale; quo subducto, illis est pereundum. Quid ergo tunc eiuscemodi pastoribus continget? an septennij exilium illis sufficiet? Nequaquam, sed, ob vnamquamque ouem æternùm, illorum negligentia, pereuntem, æternùm sunt, perituri. Sed reuertamur ad nostrum Maurilium. Is, nauigatione su-

ne superata, vestem mutauit, ne agnosceretur; vtque corpus assiduis laboribus diuexaret, Hortulanum professus, homini primario operam condixit. Eo in opere apparuit, quanti referat, qua manu quid seratur, quámque salutaris sit imber diuinæ benedictionis. Siquidem quidquid seminauerat, quidquid plantauerat, incredibili auctu fœnoréque proueniebat; adeò vt non solùm omnibus sufficeret, sed etiam nunquam deficeret, quod culinis suis petebant. Hęc fertilitas & gratia horti magnam illi gratiam amorémque conciliauit; tandémque, etiam extra Phæaciam, pro Alcinoo habebatur, Alcinous pariter plantando, & Onias, pro populo ac ouibus suis identidem orando.

XV. Interea Andegauensis populus pastore suo viduatus absentiam illius semper magis magísque sentiebat. Deerat enim qui iussu dæmones fugaret, oratione ægros sanaret, signo crucis cæcos illuminaret. Quin è cælo quoque, per varia visa admonebatur, pérque portenta terrebatur, ne deses esset in Antistite suo quæritando, si vellet imminens vrbi excidium declinare. Adeò Deus bonos pastores cordi habet, & populum pastoris amantem amat; vt etiam terreat, & puniat, si non satis curet curatorem. Quem tantò impensiùs curandum, vel inde docemur, quòd vnius Episcopi sanctitas possit diuinæ iræ obstare, ne tota aliqua ciuitas euertatur. Electi sunt igitur, communi consilio atque impensa, viri quatuor probatissimæ virtutis, qui omnibus rebus necessarijs instructi, per diuersas orbis partes, Præsulem quæsitum proficiscerentur. Hi omnem ferè Europam perlustrarunt frustra, septimóque tandem anno, re infecta, in Galliam reuersi, quem cis mare nõ repererunt, trans mare indagaturi, diuino ductu, ad eum Oceani portum, qui in Britannia minore est, peruenerunt. Ibi dum nauim expectantes, temerè aliquot spatijs factis, per littus, obambulant, in silice inscriptum inueniunt: HIC TRANSIIT MAVRILIVS ANDEGAVORVM EPISCOPVS &c. Ea indicina læti nauem, & mox mare intrant. Ad medium progressis, ex improuiso, grandior piscis, potenti saltu, de gurgite in nauim se librat, in quo exenterato eas ipsas sacrarum Reliquiarum claues, quæ de S. Maurilij manibus, ante tot annos, arte dæmonis exciderant, benignitate Numinis iterum inuenerunt. Quibus agnitis, haud mediocri pauore percuisi timuerunt, ne & ipse Maurilius naufragio haustus perijsset. Anchoras iaciunt, &, naue stante in medium

medium consulunt, progrediendúmne sit, an patria repetenda? Suadebant potenter nautæ, actum esse, reuerterentur, claues notas hausti fluctibus Maurilij euidens indicium haberi. Dum consulunt, nox subit, & somnus, & cum somno omnibus mandatum à Deo datur, vt cæpto itinere pergant, neque cessent Antistitem suum inuestigare. Hoc somnio vno eodémque omnes vsi non censuerunt retro, sed porrò nauigandum. Quare, Angelo duce, & portum obtinuerunt, & hospitio circumspecto, non in hospitium, sed in eas ipsas ædes delati sunt, in quibus Maurilius topiariam factitabat. Vix domum ingressi audiunt illicò desideratissimum nomen, Maurilium, vt cum oleribus præsto esset, inclamari, vidéntque quasi mediastinum, cum oleribus accurrentem. Mirificum tunc extitit gaudium, summáque admiratione stupefacti, ad illius se pedes abijciunt, atque vbertim lachrymantes, summa, qua possunt, ope, rogant, vti patriæ ciuitatíque suæ succurrere periclitanti ne dedignetur. Admiratur non minùs Maurilius, se inuentum & agnitum, quàm qui illum agnouerunt. Cum igitur se ipsum negare non posset, fugam fassus, reditum negauit, asserens se & voto, & iuramento constrictum, ne vnquam domum reuerteretur, nisi perditas in vndis claues recepisset. Ibi se demum diuinæ prouidentiæ ambages aperuerunt. Nam &, qui ad eum indagandum missi fuerant, visa sua retulerunt, & claues ipsæ è profundo pelagi postliminiò à pisce redditæ testimonium fuerunt diuinæ voluntatis. Excitata est ingens, inter omnes, admiratio, sed præcipuè obstupuerunt illi, quibus tantus Præsul, per tam multos annos, verniliter seruijt. Itaque quem vt hortulanum habuerant, iam vt Præsulem venerantur, ignoscíque sibi petunt, quòd incognitum non tractârint pro reuerentia & dignitate. Maurilius tot pulsatus argumentis precibúsque fatigatus nondum tamen plenè consensit in reditum, nisi priùs os Domini consuluisset. Inducias igitur, in alterum diem, petiuit, totámque vigilijs ac precibus noctem impendere statuit, vt mentem opémque diuinam imploraret. Cõcubia nocte, peruigilio fessum lenis sopor oppressit; ibi Angelus adfuit eúmque ita affatus est: *Surge, Maurili, & populorum te requirentium exequere votum. Ecce enim tuis precibus & meritis tibi cõmissus Dominus seruauit oues, pro quibus rogasti, & insuper reddidit puerum, quem diutiùs plorans quæsisti.* Facto die, non minore luctu eorum, quos relinquebat, quàm gaudio illorum, quos comitabatur, ad

tur, ad nauim deductus est. Domum vbi venit, ad defuncti pueri & iam septem annis sepulti tumulum accessit, terráque eruta, in genua procumbens, longam, cum vberrimo fletu, orationem ad Christum effudit. Qua finita, vtrique consurgunt. Maurilius de oratione, & puer de morte: quem consecratum, ex euentu Renatum appellauit, habuítque post se, in Episcopatu Andegauensi Successorem, & ipsum miraculorum grandium patratorem. Sic Maurilio defunctus puer, Maurilius populo suo redditus, maiore cum gaudio & honore domi exceptus, quàm, in exilio, ad nauim, ingenti hominum multitudine concurrente, deductus est. Sic clauium repertarum sors Maurilium domum reduxit. Verùm, vt de muneribus dici assolet, ita & hîc *nec omnia, nec passim, nec ab omnibus* imitanda sunt. Itaque ne aniculæ, cum his talibus, friuola, & gerris Siculis vaniora, permisceant, *& Hiberas nænias Ægyptiáq;*, vt D. Hieronymus ait, *portenta sectentur*, prouidè scoria ab auro est separanda. Quid si Maurilius, claues in mari sepultas, putasset nunquam, sicut ferrum ad securim olim, nataturas, atq; ea loquendi formula indicare voluisset, se quoq; nunquam rediturum, atque ita non ipse *sortes*, aut signum reditus à Deo poposcisset, sed Deus non poscenti inuentionem clauium pro sortibus esse constituisset? Quod sæpe euenit nunc, nihil minùs, quàm de *sortibus* cogitanti. Vnde nihil hîc in exemplum trahere possunt mali *sortium* vsurpatores.

Vlpianus in Pandect. l. 1. tit. de officio Proconsulis, ex epist. D. Seueri & Antonini Impp.

S. Hieron. in 12. qq.

CAPVT XXXV.

Quænam exploratio diuinæ voluntatis, per sortes, aut quæ sors sit licita?

I. NVsquam magis inter Scyllam & Charybdim nauigatur, quàm cum de *Sortibus* est disputatio: vtrinque enim sunt scopuli: & qui omnes *Sortes* damnat, malus est iudex, & qui omnes absoluit, impius vsurpator. Recensui varias Sortes, & varios, qui illis vsi sunt, non tamen omnes probaui; improbus autem essem, si omnes reiecissem. Vt ergò tutò, etiam hac ratione, Dei iudicia indagari possint, sequentia dabo documenta.

Primum

Primùm documentum. Quædam *Sortes* vocantur, quæ non sunt *Sortes*, sed meræ industriæ naturales, atq; ex se non illicitæ; sed sæpe etiam laudatæ. Talis fuit Sors, ex hinnitu equi captata, de qua supra. Etsi enim vera sors fuisset, si in regem electus esset, cuius equus in forum deductus casu hinnijsset; non fuit tamen vera sors, si ad illum aspiciamus, cuius consilio ingenióque, equus, præcedente die, in eodem loco ad aquam admissus, quodammodo eruditus & assuetus fuit hinnire, cum ad eundem locũ redijsset. Talis industria fuit Friderici III. apud quem, cum rusticus questus esset, iugalium equorum alterum, in caupona sibi, per abigeum, subductum esse; abactorem sibi Imperator iussit indicari. Rusticus id à se fieri posse negauit, eò quòd hominem nõ nosset. Subridens Fridericus ait: Clementer tecum est actum, nam cum in hac vrbe tot sint equites, equi tam pauci, mirum est, milites non vtrumq; equum simul abstuliſse. Equa, ô Cæsar, subdit rusticus, est altera, quæ militibus paruo vsui. Age igitur, inquit Imperator, equam inscende, pérque omnes vicos, plateas, compita, & angiportus vrbis obequita. Subtractus equus in aliquo stabulo latitat; is, cum iugalis odorem senserit, illico hinnitum edet sociámque salutabit. Placuit rustico consilium, & profuit. Nam hinnitu proditus est abigeus, sicut quondam Cacus mugitu. Quis sortem hanc potiùs, quàm artem vocaret? Hæc sagacitas, in diuinis litteris, *diuinatio* appellatur: *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.* Eiuscemodi *diuinatio*, seu industria necessaria est iudici, in perplexis ambiguísque factis eruendis, & in rebus, quarum veritas ignoratur, sollerti discussione conijciendis. Tali sollertia Salomon veram matrem agnouit, eique filium reddidit. Tali Ariopharnes Thracũ rex filiũ regis regno dignũ inuenit. Tres fuerunt Cimmericorum regis filij, regnum paternum quisque affectabat. Ariopharnes iudex eligitur. Hic erutum patris eorum cadauer è sepulchro, arbori alligat, arcui sortem committit. regni successor destinatur, qui cor patris sagitta tetigisset. Primogenitus guttur, alter medium pectus corde illæso transfixit. Supererat minimo spes regni, vicit pietas, & se regno cedere malle, dum in patris cadauer pietate superior esset, professus; iaculari detrectauit. Huic ergo regnum est adiudicatum, quòd se pariter & verè filium, & virtute superiorem demonstrasset. Ariopharnes hîc sorte se vsurum simulauit: arte vsus est. Eiuscemodi complura, de

II.

Æneas Silu. l. 2. de gestis Alphonsi.

Prou. 16. 16.

3. Reg. 3.

Diodor. Siculi. lib. 20.

Anton. Panorm. l. 2. de gestis Alfons. Ioan. Magn. l. hist. Gotth. c. 29. Andr. Barbat. in c. præsenti in probation. Eccl. 10. 10.

Alphonso primo Neapol. rege, inter ancillam & dominum facinus negantem; itémque de Theodorico rege Gothorum, inter matrem & filium; déque ipso Carolo Magno, inter patrem & filium non tam fortuitò sortiente, quàm prudenti & ingeniosa argutia verum exprimente. Qualibus industrijs, ex se spectatis, non peccatur, nisi finis prauus, aut dolus malus accedat. Sæpe, qui dedit ingenium, vtitur ingeniosis, vt detegat fraudes stupidorum doceátque eos sapere. Nam, *post industriam, sequetur sapientia.*

III.

Secundum documentum. Etiam propriè dictarum vsus *Sortium* vniuersè damnari non debet, non potest. Quia alioqui multi sancti, qui eas vel laudarunt, vel, etiã Deo inspirante, vsurparunt, immo ipse Deus Sortibus vti iubens, damnaretur. Et quidem

S Gregor. in cap. 4. 1. Regum.

D. Gregorius de hac re agens, præter supra è veteri lege cõmemorata, & quæ infra commemorabuntur, affert in exemplum, Mathiæ electionem, quæ si mala esset, Apostoli eligendo peccauissent; neq; diuinum iudicium interceßisset, post humanum, quo duos selectos, vnúmque à S. Spiritu electum Origenes, & D. Augustinus docuerunt, quando Apostoli *statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Matthiam*, nominánque eorum, vt multi tradunt, inscripta in vrnam miserunt, rogárúntque Deum, vt eius priùs nomen exiret, quem sciret esse aptiorem.

Orig. hom. 23. in Iosue. Augustin. in Ps. 30. cõc. 2. Act. Apost. c. 1. 23.

De vsu Sortium, in Veteri Testamento, res è supra memoratis exemplis est clara. Quod si autem tunc maior fuit imperfectio, etiam ob vsum sortiendi; haud tamen reprehendi potest vsus ille, nisi Deum ipsum velimus reprehendere, qui, per Moysen, *Sortes* quasdam certas introduxit. Quanquam non putandum est, continuò aberrare à perfectione, minusúe rectè fieri, in noua lege, quidquid lex vetus vsurpauit. Hinc & alij Sancti, in Nouo Testamento, *Sortes* subinde, quamuis neque omnes, neque temerè vsurpauerunt.

IV.

Tertium documentum. Sortes omnes diuina iussione adhibitæ, rectè sunt adhibitæ, vt per se patet. Nam qui Deo paret, non peccat; cum peccatum Deus iubere, vel ad illud adhortari non possit, qui *bene omnia fecit*. Et cur, cuius est, opus præscribere; non posßit etiam modum operis præscribere? Rectè ergo olim hircus immolandus *Sorte* electus est. Rectè electus sorte Aaron,

Marc. 7. 37.

Leuit. 16. 18.

Num. 17. 1.

de quo *locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas, per cognationes suas, à cunctis Principibus tribuum, & virgas duodecim, & vnius cuiusq; nomen superscribes*

virgæ

virgæ suæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsim familias continebit: ponésq; eas, in tabernaculo fœderis, coram testimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius. Has virgas, *cum posuisset Moyses coram Domino, in tabernaculo testimonij: sequenti die, regressus inuenit germinasse virgam Aaron, in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Cur autem Deus hoc fieri iusserit, ipse prodidit illis verbis: *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant querelæ eorum.* Ita enim apparebat, diuinitus, non autem fraterno alioúe humano affectu, factam Aaronis electionem. Quare, etiam in noua lege, fuit inspiratio Dei, vt sorte eligeretur Matthias, ne ceteris Apostolis inferior censeretur, nisi à Christo ipso electus esset; & quia inter Barsabam ac Matthiam sanctitate & doctrina adeò pares, humano iudicio, discerni non poterat, vter præferendus esset; nisi Deus, per sortes à se temperatas, iudicium suum declarauisset. Rectè per sortem electus Saul, de cuius electione sic loquitur scriptura: *Et applicuit Samuel omnes tribus Israël, & cecidit Sors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsq; ad Saul filium Cis.* Quis dubitet, Samuelem diuino iussu, hunc electionis modum obseruasse? 1.Reg.10.20

Sicut & Dauidem, quando familiarum Eleazar & Ithamar vices, in ministerio Domini, sortibus diuisit? Itémque, quando *miserunt & ipsi sortes contra fratres suos filios A[illegible]m, coram Dauid rege, & Sadoc, & Achimelech, & Principibus familiarum Sacerdotalium & Leuiticarum, tam maiores, quàm minores omnes sors æqualiter diuidebat.* 1. Paralip. 24 5. Ibid. v. 31.

Talem sortis vsum expressè, in furto Achan deprehendendo, mandauit Deus, his verbis: *Accedetis manè singuli, per tribus vestras: & quamcunq; tribum sors inuenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domúsq; per viros.* Sic in reum inquiri iussit Deus, quis summum Iudicem iudicet malè iussisse? Qui vtiq; etiam rectè iussit, quando Moysi dixit: *Istis diuidetur terra, iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio: ita duntaxat vt Sors terram tribubus diuidat & familijs. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.* Iosue. 7. 14. Num. 26. 53.

Quartum documentum. Nec iussione duntaxat, sed etiam admonitione diuina, quando ea est satis clara, *Sortes* rectè V.

S. Aug. l. 8. Confess. cap. 12. consuluntur. Quod D. Augustino factum est, de vitæ statu deliberanti. *Flebam*, inquit, *amarissima contritione cordis mei: Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quasi pueri, an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege.* Ac ne temere videatur credidisse ignotæ vocis admonitioni, subiungit: *statimq; mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerent pueri, in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid, nec occurrebat omnino, audiuisse me vsquam.* Eant, qui sorte consultoria se ipsos fallunt, & quærant, quam prætexere possint excusationem suæ leuitati; cum D. Augustinus, ne clarè quidem monenti voci statim voluerit fidem adhibere; quia & imaginatio potest decipi, & vox ab alio etiam ad aures accidere, immo ab Alastore etiam fingi. Qua de causa cautela opus est, præsertim mulierculis, & simplicibus, quibus omnis phantasia reuelatio videtur, alioqui ad sortes & sortilegia pronis. Si tamen vel vox est prudenter examinata, vel instinctus bene exploratus, si spiritus probatus, num ex Deo sit; & potiùs, si constet de reuelatione, ad hoc genus sortiendæ diuinæ voluntatis excitante, nequaquam ei est reluctandum. Discretio autem spirituum, est peculiare donum Dei, nec penes vnumquenque. Quare, ne, in eiuscemodi negotijs, illusionibus, se quis exponat peritiores debet consulere, & finem æquè ac internam lucem spectare, maximéque personam illam, cui reuelatio est facta. Qua de re legendus est Delrius lib. 4. disq. c. 1. q. 3. sect. 1. 2. & 3.

VI. Hoc pacto, carptim & obiter D. Antoninus, plenè D. Bonauentura narrat, S. Franciscum sorte vsum. *Immissum est eius menti*, ait, *per diuinum oraculum, quòd, in apertione libri Euangelici, aperiretur ei à Christo, quod Deo, in ipso, & de ipso, maximè foret acceptum. Oratione itaq; cum multa deuotione, præmissa, sacrum Euangeliorum librum de altari sumtum, in SS. Trinitatis nomine aperiri fecit, per sociũ, virum vtiq; Deo deuotum & sanctum. Sanè, cum, in trina libri apertione, semper Passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quòd, sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transiret.* Optima vtique sors fuit, quæ docuit, non vlcisci inimicos, sed diligere; non sectari delicias, sed, cum Christo, & pro Christo, crucem ferre.

D. Antonin. 3. p. sum. histor. tit. 24. §. 7. D. Bonauentur. in vita S. Francisc. cap. 13.

VII. Pro quarti huius documenti cautela, rectè monent nonnulli, *sortes* è fortuita libri apertione, aut alio quopiam simili signo,

non

ſtō petendas eſſe, niſi, in graui neceſſitate, quis ad id compellatur, vt ad terminandam grauem litem, vel ad anceps conſilium dijudicandum. In quam rem citant D. Auguſtinum, qui, *Si inter Dei ministros sit disceptatio, quis eorum, persecutionis tempore, maneat, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte eorum deseratur Ecclesia: si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari posset, neuter vero alium vel negligentia, vel vrgente necessitate, superaret*; tum ſortitionem fieri poſſe cenſet. Quæ etiam S. Ignatium noſtrum vſum, tradit Iacobus Damianus noſter, in Synopſi primi ſeculi Soc. Iesv. Poſtquam enim Hieronymi Domenecci ſalutaria Panormi inſtituta Siciliæ *Prorex omnia sanxit edicto: primitijs adeò felicibus allectus ad vberiores, per Collegij molitionem, fructus, animum intendit. Illi condendo petijt operas ipse; misit autem Ignatius duodenas, Natalem Hispanum, Frusium Gallum, Canisium Belgam, Benedictum Palmium Italum, aliósq;, si non gente, Prouincijs saltem inter se diuersos. Vna assimilauerat Obedientiæ perfectissimæ ratio. Nam Ignatius iusserat omnes Romanæ domus Socios (sex erant supra triginta) triduo secum expendere, vtrò quisq; magis inclinaret: Permanere in Vrbe, an in Siciliam ire? Huic, aut illi ministerio addici. Tū inclinationem suam scripto expressam tradere. Præstituta die, rescripsere omnes, Nullo se magis propendere. Globus in tabula positus, & omnem adæquè in partem pendens, certiùs in scopum mittitur. Sic è Socijs indiscretè ad omnia promtis, duodecim in Siciliam destinantur.* Hæc ille. Sed hoc genus ſortiendi pertinet ad ſextum documentum.

S. Auguſtin. Epiſt. 180 ad Honorat. Et lib. 1. de doctrin. Chriſtian. c. 28.

Iacob. Damian. lib. 1. cap. 10. Anno 1546.

VIII.

Addit Beda ſecundam conditionem, vt videlicet eiuſcemodi ſortes, *debita cum reuerentia*, &, precibus *ad Deum fusis*, adhibeantur. Has duas conditiones ſtatuit Delrius, *non separatim sumptas, sed coniunctim* intelligendas, adeò vt ſimul & materiæ neceſſitas, & recurſus ad Deum requiratur. Circumſpectè & exemplis Sanctorum conuenienter. Nec Patres alteram conditionem excludunt, cum alteram tantùm exprimunt. Clara ſunt paſſim exempla. 1. Seruus Abrahæ in Meſopotamiam ad quærendam vxorem Iſaac miſſus, vbi ad vrbem Nachor peruenit, ſorte vſurus, ſic precatus eſt: *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto, prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina, hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit: Bibe, quin & Camelis dabo po-*

Mart. Delr. lib 4. Diſpoſit. Magicar. cap. 2. q. 7. ſect. 3.

Gen. 24. 12.

bo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum domino meo. Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur: vt sciremus, precanti sortem & faustam fuisse, & expeditam. Saul quoque exploraturus, quis in populo peccauisset, à precatione orsus *dixit ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël, da indicium, quid est, quòd non responderis seruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* Apostoli antè, quàm sortem in manus sumerent, *orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris, ex his duobus vnum.* Quam orationem credibile est, Petrum nomine omnium pronunciauisse. Cum autem in omni siue sortitione, siue electione, sit Deus exorandus, maximè tamen id faciendum est, in electione Pastorum & Prælatorum, quippe, quia magni res momenti est, & Christus ipse, ad exemplum nostrum, per totam noctem, & vt S. Ambrosius autumat, *cum Apostolis orauit, quod aliàs semper solus fecisse legitur, quasi tanta res, tam communis communem & vnanimem postulet orationem.* Idem obseruatum est, in electione septem Diaconorum, & in segregatione Pauli & Barnabæ. Quare etiam decernit Concilium Tridentinum, vt, cum primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes ac preces publicè priuatímque habeantur, & à Capitulo, per ciuitatem & diœcesim indicantur, quibus Clerus populúsque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Certè quisquis scit, quàm nihil ex nobis ipsis, sine diuina gratia, possimus, multò magis orabit, vt sortes, quæ non sunt in nostra potestate, à Deo temperentur.

1. Reg. 14. 41.

Actor. 1 24.

Luc. 6. 12.

S. Ambros. in eund. loc.

Actor. 6 6. & cap. 13. 2.

Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor.

IX.

Hoc pacto D. Basilius supra commemoratus, priusquam ex Euangelio, vitæ sibi genus sortiretur, *miserabilem vitam* suam *deplorabat*; *optabátq;*, *& præ omnibus sanè multam curam adhibebat* (quid ni & orabat) *vt sibi manuductor daretur.* Hoc pacto S. Augustinus antè, quàm audiret, *Tolle lege*, dimisit *habenas lachrymis*, prorumpentibúsque fluminibus oculorum, dixit: *Et tu, Domine, vsquequo?* &c. Quòd autem idem S. Pater alibi, vbi de sortitione eorum, qui tempore persecutionis manere, aut fugere debebant, agit, orationis mentionem non faciat, non est cur orationem putemus omissam; non excluſit alterum, cum alterum tantùm expressit, scilicet grauitatem materiæ, agebat enim de grege, propter periculum, non deserendo; ac de ijs, quibus sors, sine inuidia, conferre

S. Basil. ep. 79.

S. Aug. l. 8. Confess. cap. 12.

Idem. epist. 190.

ferre poterat securitatem. Hoc pacto S. Franciscus, cum esset, *immissum eius menti, per diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici aperiretur ei à Christo, quod Deo in ipso, & de ipso maximè foret acceptum. Oratione, cum multâ deuotione; præmissa, sacrũ Euangeliorum librum de altari sumtum: in S. Trinitatis nomine aperiri fecit* &c. Recens, & nondum ita vulgatum est, quod memorat Alfonsus Caietanus, in vita Franciſci Caietani Panormi, per Decium Cyrillum Italicè edita An. 1637. Franciscus Caietanus, Dynastæ, seu Marchionis Sortinensis filius, perspecta mundi vanitate, statuit se se rebus humanis abdicare, totúmque Christo, in Religioso ordine, mancipare. Sed anceps erat, quonam animus esset appellendus. Quare censuit, id priùs seriò esse expendendum. Duo, præ reliquis, ambiguum eum fecerant ordines, PP. Cappuccinorũ scilicet, & Societatis Iesv. Trahebat illum, ex vna parte, desiderii pœnitentiæ, affectúsque, quo erga D. Franciscum flagrabat. Retrahebat, ex altera parte, corporis imbecillitas, & tenera delicatéque educta complexio: offerebátque se se identidem concepta, de Societate Iesv, opinio; quam mirè auxerat sanctitas clarissimè resplendens in P. Casparo Concionatore Societatis, ac spirituali duce illius. Ad huius viri normam imitandam extimulabatur. Fluctuabat, inter hos ordines diu, neq; poterat ita se in vnam partem inclinare, quin illico, in alteram reuocaretur. Statuit ergo rem tandem sorte dirimire, quando aliter illi non constabat diuina voluntas. Ne tamen Deum tentare, aut debitam reuerentiam non adhibere videretur, religiosos, religiosásque Sortini habitantes, qua maxima pietate atq; vi potuit, rogauit, vt Numini negotium suum etiam atque etiam, in orationibus, commendarent. Adiunxit ipse non preces tantùm, sed & eleemosynas, & ieiunia, & alia exercitia virtutis. Sic instructus, duas chartulas, duarum Religionum D. Franciſci, & Societatis Iesv nominibus inscriptis insignitas in calicem iniecit, extraxítque sortem Societatis ineundæ. Explicari non potest, qua lætitia hoc acceperit Franciscus; quòd, eo signo, se, de diuina voluntate confirmatum existimaret, quam vnam desiderabat adeò vehementer & quærebat. Virtus postea, & sanctitas, famáque totius illustrissimæ vitæ docuerunt, sortem benè cecidisse. Multa alia eiuscemodi possent adduci, quæ ostendunt, sine oratione, *Sortes* nunquam consulendas esse; sed, ne in infinitum eamus, hæc sufficiant. Certè, quia S. Augustinus dicit:

S. Bonau. in vita ipsius. c. 13.

Alfonſ. Caiet. c. 6. pag. 55.

S. Aug. l 4. super Genes. c. 23. dicit: *Solent, quæ sorte dantur, diuinitus dari, & quod sorte legitur,* vt ait S. Ambrosius, *humano iudicio non comprehenditur,* idcirco decentissimum est, vt, quæ diuina sunt, diuina oratione studeamus impetrare.

S. Ambros. l. 4. epist. 14.

X. Quintum documentum. Librum aliquem pium, etiam sine iussu, aut suasu diuino, aperire, & ex primo, qui occurrit versu, non futura & curiosa cognoscere, sed consolationem duntaxat, aut doctrinam piam quærere velle, non est illicitum, sed pijs hominibus vtiliter consuetum; etiamsi vel casu, vel diuino nutu, reperiatur, quod reuera euenturum est. Ita euenit S. Gregorio Turonensi, vt de se ipse refert. Leudastes impius, cum eiusdem farinæ socio Riculfo, varijs Gregorium Turonensem machinis oppugnauerat, calumniosè deferendo: tandem etiam ausus est, Platonem Archidiaconum & Gallienum amicos eius in vincula dare, catenisque & calumnijs oneratos ad reginam mendacijs incensam ablegare. *Hæc ego audiens,* inquit Gregorius, *dum in domo Ecclesiæ residerem, mœstus turbatúsq; ingressus oratorium Dauidici carminis sumo librum, vt scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est:* Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. *Interea ingressis in fluuium super pontem, qui duobus lintribus tenebatur, nauis illa quæ Leudastem vehebat, demergitur: & nisi nandi fuisset admiculo liberatus, cum socijs forsitan interijsset. Nauis verò alia, quæ huic innexa erat, quæ & victos vehebat, super aquas, Dei auxilio, eleuatur* &c. Quod & versiculo Psalmi respondit, &, quæ postea euenerunt, significauit. Nam innocentia è fluctibus his emersit, & calumnia naufragium fecit, malaomnia, quæ machinata fuerat, in capita authorum retorquens. Ad hunc modum, vt supra memoraui, à multis pijs viris hodiéque, libellus *de Imitatione Christi*, tempore tentationis aut tribulationis, aperitur, sempérque aliquid occurrit, quo mens eorum roboratur, & ad aduersa toleranda confirmatur.

S. Gregor. Turon. lib. 5 hist. Franc. cap. 47.

XI. Eodem potest reduci menstrua Sanctorum sortitio, supra à nobis laudata; in qua non solùm pij homines ad cultum Sanctorum excitantur, sed sæpe etiam, diuina dispositione, eius quis virtutis commonefit, qua maximè indiget; aut illo vitio abstinere iubetur, cui præcipuè indulget. Quin & sententia persæpe fuit accipienti schedam valde accommodata. Scio cuidam, *Meditationem mortis,* eo mense, obuenisse, quo mortuus est: alij eodem die,

die. De Anna Caroli Austriaci filia, Ferdinandi II. sorore, Sigismundi III. prima vxore, Vladislai Regis, hodie Polonis imperantis matre legimus, eam *Tutelarem sibi, in menses singulos aliũ, pro Sodalitatum Deiparæ sacratarum more, sortitò delegisse, cui dum inscriptam sententiam acciperet.* Memento homo, quia puluis es &c. *ceu mortis commonita, omnibus se munyt, ad obitum, Sacramentis, ac discessit è vita An. 1598. Pietatis, Religionis, Innocentiæ, Clementiæ, Modestiæ, Castimoniæ, verbo, virtutis speculum.* Sancto virtus aliqua, aut actio virtutis ascribitur, illo mense inprimis exercenda. Iracundo & ignoscere nolenti *mansuetudo*, & commemoratio patientiæ Christi, in scheda porrecta est, & profuit. Nam, posita ira, inimico ignouit, & postquam illam sententiam legit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*, aduersarium salutare suauiter, eique benefacere cæpit. Mille hîc se se exempla offerunt, vno contentus ero, quod Anno 1606. Ingolstadij contigisse in hunc modum narratur: *Iuuenis fuit, qui, vt vel morbi sæuitiem, vel certè Mundi blanditias euaderet, Deo se se deuouit, & Religioso statui. Morbus abijt, & breui pòst, bonum hoc propositum cum illo. Sensim enim quidquid pietatis in morbo hauserat, euanuit, & ita iuuenis iste, post restitutam corporis valetudinem, ægrotare primùm cæpit animo, & post persanatum morbum, peiùs habere. Principio quidem feruebat, & volabat, pòst paullo lentiùs ibat, deinde stabat. Sed nec diu, nec impigrè; mox languere incipiebat; tandem apertè vitiorum dulcedini succumbebat. Nam mundi facies, quæ priùs terrebat, iam arridere; religiosius status, qui antea placebat, iam terrere; societas bona, qua gaudebat, displicere incæpit. Ita miser tam suauiter & facilè obliuisci potuit primum voti sui; dein sui ipsius; postea cæli; demum ipsius Dei. Ita paullatim per gradus ibat, sed non ad cælum: tendebat in præceps, sed via molli & clementer decliui. neq; enim repentè pessimus factus est; at qui hodie fuit aureus, cras vix argenteus repertus est: breui post æreus: exinde ferreus: deniq; factus est luteus, & ipsum cænum. Ita prodigus ille Euangelicus primo patrimonium repetit: hoc impetrato, in regionem longinquam abijt, parentis q; oculis se subduxit. Neq; hîc stitit: praua etiam societati se iunxit. Nondum finis. Ea tandem fecit, quæ socij & sociæ; gula & luxuria in quotidianos mores transierunt. Ita, ad mentem Siracidæ, est processio in malis viro indisciplinato. Hoc planè modo iuuenis ille, de quo cæpi dicere, sensim seipso deterior factus est, & è sancto, progressu temporis, in improbum*

Ex Genijs Philippi VVilhelmi Com. Palatini in Oliua Iagellonia.

Ephes. 4.

Hierem. Drexel. l. 2. Trismegisti. c. 7. §. 3.

Eccli. 20. 9.

bum mutatus. Hoc ferè solùm retinuit boni, quòd Beatissimam Virginem & Marianæ Congregationis cœtum non penitus deseruerit, sed subinde se præsentem stiterit, saltem in ceremoniam. Ita factum est, vt, stato die, cum ceteris, MENSTRVVM SANCTVM acceperit, & quidem SORTE prorsus diuina. Nam sententia quæ pronunciata est, dum ille, ante crucifixi signum, ex more, flectit genua, è mellifluo doctore Bernardo transcripta erat, hisce omnino verbis: Quid tardas ipsum, quem iam dudum conceperas, spiritum parturire salutis? nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis. quo modo viuere potes, vbi mori non audes? Audijt hæc iuuenis tacitus quidem, sed, quasi fulmine ictus, monitorem è cælo agnouit; & illo statim die fugam è lubrico in tutum parauit, altera verò luce, hilaris & alacer ad Religiosam domum contendit, ijsq; se aggregauit, quos diu fugerat, victurus illic, vbi mori non trepidaret. Sic multos tetigit Deus sorte chartacea, & veluti ceruos fugientes iaculo amoris vulnerauit. Tria tamen hîc monenda censeo. Primum, eiuscemodi sententias Sanctis Menstruis subiunctas, semper posse trahi in vtilitatem, si aut virtutem inde discamus amare, aut vitium detestari, de quo sententia meminit. Secundum, vti non est mens Congregationis alicuius, per eiuscemodi schedas hariolari, aut futura pandere; ita neminem Panico terrore sibi persuadere debere, diuinare se inde posse, aut conijcere, quid in hac vita immineat. Nam, v. g. licet vitam emendare possit, ne morte præoccupetur, qui in Menstruo Sancto *memoriam Mortis* exercendam accepit, stultissima tamen se anxietate cruciaret, si inde certò existimare vellet, sibi illo mense esse moriendum. Tertium est, pessimos esse Sodales, qui, dum nihil pensi habent, de quo morbo ipsi, per eiuscemodi suffragia, moneantur, tamen sitientissimè attendunt, quid alijs legatur; putántque sinistram suam de alijs opinionem, etiam diuino testimonio, per eiusmodi sententias, confirmari. Quare si humilitas alicui commendatur, ea medicina, iudicant, superbiam eius notari; si liberalitas, En, aiunt, qua virtute indigeat auarus. Nempe hic est astus mali dæmonis, vt pietas abeat in risum; & metuat accipere Sodalis, vnde erubescat.

S. Bern. ep. 105. ad Romanum. Rō. curiæ Subdiaconum.

XII. Sextum documentum. *Sors diuisoria Politica ciuilis* licita & vtilis, ac aliquando penè necessaria est. Licita, quia iure ac probis legibus recepta, & consuetudine optimarum Rerump. confirmata est. Hac sorte vsi sunt Romani (& Siculi Athenienses secuti) in iudicibus legendis, prouinciisque assignandis, item in herciscunda fami-

Sigon. lib. 2. de iudic. c. 12

familia, in militia; & cum dubium esset, qui primi caussam in iure dicere deberent, aut cum de optione pluribus relicta, de hæreditate & bonis diuidendis, de seruis manumittendis, ageretur. Quæ omnia permittunt iura ciuilia. Idcirco dixi: *Sortem diuisoriam ciuilem* licitam. Nam constat, nunc planè, in Ecclesiasticis beneficijs, dignitatibus, ac Episcopo eligendo, *Sortis* vsum perpetuò esse prohibitum. *c. vltim. Ex. de Sortileg. in fi.* Vnde sortitone eligi non potest Episcopus. *l. sacris 47. C. de Episcop. & Cleric.* multò igitur minus Papa, qui est summus Episcopus. Cum enim in his eligendis certa à iure præscripta sit forma. *c. quia propter, 42. Ex. de electione.* nemini integrum relinquitur, ab ea recedere, vt Iason aliique ratiocinantur. At verò in secularibus dignitatibus, officijs, actionibus, pœnis, rebúsq; alijs *diuisoriam sortem*, qua quid cuiq; tribuendũ sit, quæritur, non esse vetitam, clarum est, ex cap. primo. 26. q. 2. Hoc genus sortis, est, inter mortales, vsitatissimum, &, vt superiùs vidimus, à S. Augustino, atque à S. nostro Ignatio vsurpatum. Ne autem, etiam hîc peccatum subrepat, monent Theologi. 1. Euentum, non à *Casu*, aut *Fortuna*, aut astris, sed à Deo expectandum, in cuius solius *manu* sunt *sortes nostræ*, teste Propheta. 2. Sortem debere esse simplicem, sine vlla superstitione & abusu sacrarum rerum. 3. Illos, qui sortiuntur, æquali iure niti oportere, alioqui enim iniusta esset sortitio; posset enim sors v. g. in officio publico assignando, cum damno Reip. & iniuria digni, indigno fauere; aut illi cui de mille florenis tantùm decem deberentur, centum addicere. 4. Mentem præcipuam sortientium non debere esse, vt inquiratur voluntas Dei, modo extraordinario (cum talis modus sit prorsus incertus) sed vt tollantur lites, dissidia, querelæ, inuidiæ. Atque hinc vtilitas, & propemodum etiam necessitas eiuscemodi Sortium ostenditur à Salomone dicente: *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoq; dijudicat.* Certè sæpe aliter non potest inter partes conueniri, tunc ergo bonum pacis non solùm permittit iudicium sorti, sed etiam propemodum exigit. Ex quibus omnibus manifestum fit 1. rectè, in militia, duces, sorte seligi, qui primi, qui postremi vrbem inuadere, muros conscendere, aut in acie stare debeant. 2. plures æqualiter reos milites, licitè de vita, vel resti sortiri posse. 3. iustè, tempore grassantis contagij pestilentis, sortiri corporum pariter, ac animarum medicos, quis eorum permanere in auxilium ægrotantium debeat:

ex Asconio. & lib. 3. de Rep. Athen.

L. 14 D. de iudic. L. 2. C. quando & quibus quarta. l. 10. L. 3. C. de legit. Vide Mynsinger. 4. obser. 37. Iason, in d. l. huiusmodi. 86. 9. Si is cui de legat. 1. n. 15. Gottfredus Hostiens. in summa Decret. tal. tit. de Sortilegijs. Delr. l. 4. c 4. q. 1. Psal. 30.

Prou. 18. 18.

quod etiam supra vidimus ex mente S. Augustini, tempore hostilis persecutionis, factitatum. 4. licitum esse, etiam coorta tempestate, quis ex omnium consensu, è naui exoneranda sit spargendus; aut quis ad hostem deprecatum, per tela, per ignes, mittendus. 5. eleemosynas quoque ipsas, si incertum sit, cui cedere debeant, sortitò posse distribui.

XIII. Huc reuocari potest *contractus Sortis*, quem *ludum ollæ*, aut *Fortunæ ollam* vocant; itémque ij, qui aleam iaciunt, statuto precio persoluendo, Symbolam conferentes, vt illius sit liber, aut ensis, aut annulus, cui alea addicit. Est enim & hoc genus sortiendi permissum, nec secundum se est aliud, quàm *sors quædam diuisoria* ex beneplacito consortientium instituta, nec vlli aut diuino, aut humano iuri aduersa, si nulla fraus rem sorte acquirendam exponentis, aut expositam acquirentis interueniat; quod, in publicis ludis, cauere, pertinet ad magistratum; in priuatis, ad conscientiam vniuscuiusque. Mille enim sunt modi alios decipiendi, aut peccandi. Nam qui mercem, in taberna, exponit (eámque, verè, etsi implicitè, vendit omnibus illis, qui symbolis collatis summam conficiunt precio supellectilis expositæ æqualem) potest precium iniustum nominare, aut schedulas pecunia emendas nimium multiplicare; aut etiam vni, præ alijs, clam dare chartulam, in qua scyphus argenteus, vel equus, vel aliud brauium est annotatum. Quæ omnia iustitiæ sunt aduersa. Item Princeps vel Magistratus ipse potest peccare; si aut merces mutari vel minui permittat primò expositas; aut aliquas merces priùs patiatur extrahi, ijs, quæ sunt precioſiores, in vltimum locum ac tempus reiectis, vt sortientes alliciantur; aut etiam, si sinat vrnas in manu exponentium merces, eásque noctu non obsignet, aut custodiat: aut si plures, quàm necesse sit ministros custodésque apponat, quorum stipendijs populus grauetur, quando stipendia precio rerum adduntur. Denique & ipsi ministri à magistratu constituti, possunt corrumpi, aut negligenter inuigilare, ne quid fraudis admittatur. His talibus dolis & culpis semotis, sors, seu *vrna Fortunæ* licita est, & sæpe à Domino Deo in subsidium pauperis alicuius temperata, vt pro sestertio equum, aut crumenam auro turgidam accipiat, pro triobolo. Sæpe & auarum centum Philippeis in vrnam atque hamum missis, non sinit extrahere, quod
1. Reg. 2. 7. terunçio quoque emeret. Nimirum *Dominus pauperem facit, & ditat, hu-*

tat, humiliat & subleuat, Quia ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius. 1. Paralip. 16. 14.

CAPVT XXXVI.

Quàm peruersè Deum, in Sortibus, imitetur, Dei similis Cacodæmon?

MOnstrata via, qua dirigenda est nauis, etiam digitus ad scopulos intendendus est, ne naufragium faciamus. Sunt enim infames hîc scopuli, sunt Syrtes, sunt Charybdes, sunt Acroceraunia. Ad quæ declinanda rursum tradenda sunt documenta. Neq; enim semper, aut temerè, ad iudicium Sortis, licet recurrere; immo sæpius non licet, diuinis humanísque legibus obnunciantibus. I.

Primum documentum. Sortes etiam in scripturis narratæ, & à quibusdam Sanctis vsurpatæ, non idcirco nunc etiam omnes licitæ sunt. De Sanctis constat, eos, ex peculiari Dei instinctu, quædam miranda magis, quàm imitanda fecisse. Nimis diu alijs expectandum foret, si domum redire nollent, donec eis proiectas in mare claues piscis referret, vt S. Bennoni & S. Maurilio contigisse, supra meminimus. Neque vaccarum aut mularum aliorúmque animalium iudicio, aut indicio potiùs, permittendum est, quà eundum sit: tametsi, in veteri Testamento, vaccis ita arca sit imposita; & camelis, sine duce, ituris ad S. Frontonium cõmissus commeatus; aut ab Ignatio mulæ permissum, vtram ingrediam vellet. Adde, & Sanctos non semper ab infantia fuisse sanctos; neque omnia, quæ vnquam fecerunt, sancta arbitranda; cum homines fuerint, & subinde, vt homines, errârint. Communis via tutissima; præsertim mortalibus, quibus est communis vita. Certè, ne quis seipsum decipiat, si in SS. legat *Sortes* adhibitas, prudentissimè, post S. Hieronymum & Bedam, monuit Gratianus, eiuscemodi *Sortes* ad nostra tempora non pertinere. Quia illa sortitio *cærimonialis* fuit Itaque cum veteris legis cærimoniarum abrogatione, ista quoque sortitionis cærimonia sublata est. Qua ipsa de caussa monet Beda, Apostolos, ante S. Spiritum acceptum, in electione Matthiæ, adhuc legali cærimonia vsos fuisse; II. Supra cap. XXVII. §. XIII. & §. XIV. 1. Reg. 6. 7. Supra, c. 9. §. III. Beda in c. 1. Actor.

postquam autem Spiritus S. in eos missus est, nullam deinceps *Sortem*, sed solam orationem, cum ieiunio, adhibuisse. Vnde postea
Act. 6. & 14. septem Diaconos, & Presbyteros sic elegerunt. *Sanè, cum Saluator, qui fallere non potest, nec falli, cuncta promittat orantibus; stultum*
Matth. 7. 7. Ioan. 14. 13. *& absurdum est, relicta oratione, quæ promissionem habet; confugere ad Sortem, cui se adfuturum Deus, in nouo testamento, non repromisit.*
Delrius l. 4. disquis. c. 4. q. 1.

III. Secundum documentum. Multò minùs licita est *Sors*, si ad occulta quasi miraculosè detegenda vsurpetur. Esto olim & hæc licita, & à quibusdam Sanctis, etiam noui Testamenti, dispensante Deo, fuerit adhibita. Quia quando Deus sibi aliquid reseruat, non licet id homini, absque sacrilegij impietate, scrutari, vt è D. Thoma Fernandus Vasquius docet. Certè ob eiuscemodi *Sortes*, multi in Idololatriam lapsi sunt. Quam ipsam ob caussam, variæ grauésque pœnæ in Sortilegos constitutæ reperiuntur. Cum enim occulta hominum facta, quæ per haruspicia, vel auguria, vel *diuinatorias sortes* inquiruntur, nequeant sciri, si Deus non reuelet, necessum est, dæmonis ope, adeóque Stygia suspicione aut scientia talia velle scire eos, qui *Sortibus* occulta indagant: sicut & qui, per *Sortes* conantur futura contingentia prædicere, in quales lata est excommunicationis sententia, c. si quis Episcop. 26. q. 5. & qui per *sortes consultorias*, inquirunt, quid faciendum, iudicandumúe sit: quæ itidem subanathemate, prohibita sunt; cum non fas sit huiusmodi res, nisi à Deo inquirere; Deus autem, in noua lege, ordinariè non velit nos suam voluntatem, per *Sortes*, indagare. Vt enim maior & perfectior coniunctio dependentiáq; esset, placuit illi, vt diuinam eius voluntatem, à doctrina Ecclesiæ; à sacris litteris eiusdem Ecclesiæ sanctorúmque Patrum authoritate declaratis; à superioribus nostris; à Confessarijs, ab alijs doctis piísque viris, non autem à *Sortibus*, disceremus. Quin neque in veteri lege eiuscemodi sortes ac signa, seu omina licita fuêre nisi illis, qui ad eiuscemodi signa à Deo moti instigatíque fuerunt. Vnde, malè
1. Reg. 6. 7. ominati sunt Philisthæi, qui ex vaccarum arcam Domini vehentium, itinere gressúque, coniecerunt, an plaga eis immissa à Deo, an à casu obuenisset.

IV. Qua ipsa de caussa etiam Iurisconsulti docent, non cuiuis & indistinctò integrum esse, *ad iudicium sortis* recurrere; sed tum demum, cum dubium de iure vertitur; factum autem certum est. Si enim de ipso quoque facto ambigeretur, *ad Sortis arbitrium* id-
Accurs. in l. 1. verb. prohibebit. C.

circo

Fernandus Vasq. lib. 1. Illustr. Controuers. cap. 49. n. 19. De his pœnis. 26. q. 2. 3 4. 5 & tot. tit. Ex. de Sortilegijs; & apud Lucam de Penna in l. memini mus. C. quã. & quibus quart. pars. lib. 10. c. sortes 26. q. 5.

circo non concedunt deuenire, *quòd facta legitimè & plenè per eum probari debeant, qui intentionem suam in his habet fundatam.* Monet Ang. Aretinus, si *Sorti* debeat esse locus, de præiudicio tertij agendum non esse. Quin Baldus aliíque statuunt, casus illos, in quibus *Sortem* adhibere velis, à iure expressos esse oportere. *Sorte* igitur, res dirimitur, si plures, quibus optio legata est, discordes sint, in eligendo: si de deponendis, apud aliquem, instrumentis agatur: si dubitetur, quinam prior causſam dicere debeat: si de seruis manumittendis, quæstio sit: si de diuisione bonorum, inter cohæredes, facienda controuertatur: item, si de liberis diuidendis agatur. His talibus in casibus *Sortis iudicio standum* censent, si quidem vtraq; pars cõsentiat, vt *Sortis iudicio* controuersia dirimatur; alterutra enim dissentiente, nihil agi, fatentur. Igitur dubium iuris, non dubium facti iura *Sorti* promittunt.

Vti possidet. Iason in l. si duobus 3. c. comm. de legat. L. ei qui ff. de probat. l actor C. eod. tit. Iason. in l. huiusmodi. 86. §. si is cui de legat. 1. n. 17. Angel. Aretin. in §. Optionis. Institut. de Legat. n. 2. Angel. Aretin. in §. Sed si ex testamento. Instit. de satisdat. tutor. n. 4. Bald. in l. memininus. C. quando & quibus quarta pars. lib. 10. Alciat. in l. Gallus. 29. ff. de lib. & posthum. n. 65. Vide Guidonem Pancirollum lib. rer. memorab. c. Fibula.

V.

Quin, in veteri quoque lege, *Sors diuisoria* longè frequentiùs, quàm *consultoria*, fuit vsurpata. Et quanquam etiam in facti dubio, aut, per consilij modum fuerit adhibita: id tamen non est nunc, alia sub lege, in exemplum trahendum: cum penes Deum sit, sua secreta reuelare, prout ipsi placet. Nostrum non est, illi modum præscribere, illius est modum concedere. *Sorte* deprehensum est furtum Achan; & Ionathæ præuaricatio: quis nunc timens DEVM sic audeat fures indagare, aut deprehendere præuaricatores? At illi, qui DEVM non timent, quorum vox est: *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo*, illi nihil pensi habent, à Superisne, an ab Inferis auxilia tententur. Hinc stygiæ illæ artes, vt motu cribri versatilis è forfice pendentis; per lancem item & licium, quem modum sextus Pompeius describit; aut herbâ certâ, pisisue è butyro, aut lebete salientibus; & nescio quibus non modis, (sunt enim fere sine numero, quia ad anicularum arbitrium) examinent indagéntque aut furti, aut calumniæ, aut alterius facinoris authorem. Quasi non aut casu talia fieri; aut mentiri in innocentes dæmon possit. Neque enim sufficit dicere: Ego dæmonem non inuoco. non inuocas verbo; re tamen ipsa vteris illius ope; sine qua talia sciri non possunt, Deo iam dudum extraordinarios eiuscemodi modos detestato.

Iosue. 7. 18. 1. Reg. 14. Virg. lib. 1. c. 2. de sortileg. c. si quis

ſtato. Quare non nemo, qui per aſtrolabium conatus fuerat furem occultum noſſe, etiam ſine intentione dæmonem inuocandi, ab altaris miniſterio fuit ſuſpenſus, per annum; idq; ex gratia ac diſpenſatione: nam ſecundùm ius commune, in perpetuum, ſuſpendi debuiſſet. Sunt enim non expreſſa tantùm, ſed etiam tacita, cum hoſte, pacta, inhoneſta.

Epiſcop. 26. q. 5.

VI. Hoc dicunt plerique, ſe pactum cum Orco non habere: implicita ſunt tamen hæc pacta; cum patre mendacij vtiq; non ineunda. De hoc cenſu videri poſſunt, qui olim ab Ezechiele reprehenſi ſagittis ſortiebantur: *Stetit rex Babylonis*, inquit, *in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogauit idola exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem.* Quem ſortiendi modum S. Hieronymus ſic exponit: *Stabit in ipſo compito, & ritu gentis ſuæ, oraculum conſulet, vt mittat ſagittas ſuas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas, ſiue ſignatas nominibus ſingulorum, vt videat, cuius ſagitta exeat, & quam priùs ciuitatem debeat oppugnare.* Ex mente igitur S. Hieronymi, his fuit pharetra pro vrna; & pro calculis aut ſchedis ſagittæ. Sed verba Ezechielis (*ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem*) cõfirmant eorum ſententiam, qui putant commixtas ſagittas in aërem iactas, & in quam partem caderent, dexteram, an ſiniſtram, verſus Rabath, an Ieruſalem, obſeruaſſe. Quia autem idem Hebræum verbum *commiſcens ſagittas*, etiam ſignificat *læuigauit*, aut *poliuit ſagittas*, non deſunt, qui arbitrentur, tangi augures, qui inſplendenti cuſpide, velut in cryſtallo, aut vngue, futura inſpiciebant. Sed veroſimilius eſt, hîc caſtigari genus diuinandi, quod Græci βελομαντειαν quàm quod *Catoptromanticum* nominant. Quò etiam refert D. Hieronymus id, de quo Oſeas ait: *Populus meus in ligno interrogauit, & baculus eius annunciauit ei.* Theophilactus hunc ritum ita explicat: Virgas duas ſtatuentes, carmina & incantationes quaſdam ſubmurmurabant: *deinde virgis, dæmonum operatione, aut effectu, cadentibus; conſiderabant, quonam vtra, earũ caderet, antrorſumne, an retrorſum; ad dexteram, vel ſiniſtram. Sicq; tandem reſponſa dabant inſipientibus, virgarũ caſu, pro ſignis, vſi. Eundem ad modum Nabuchodonoſor vaticinabatur, vt Iezekiel habet.* R. Moſes Samſonis F. ritum ſic exponit: Decorticabant bacillum ligneum, vno tantùm ex latere, tum in aërem proijciebant. Si fortuito caſu, primo iactu apparuiſſet ſuperior pars decorticata; ſecundo

Ezech. 21. 21.

S. Hieron. in cap. cit.

Oſeæ. 4. 12.

Theophil. in cit. loc. Oſeæ.

R. Moſes in explicat. præcepti negatiui. 52.

eundo autem iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur: sin primùm prima pars vestita, infelicem: si vtroque iactu vestitum, vel nudatum latus superiùs fuisset, mixtum euentum sibi pollicebantur. Vt vt sit, reperit Acheronticus Alastor, in omni superstitionis modo, imitatores. De antiquis Germanis, per amputatos, è fructifera arbore, surculos, supra candidam vestem, spargentibus, constat ex Tacito: de Persis & Scythis, per myricinas salignásque virgas, vaticinantibus, docet Cæl. Rhodiginus & alij. Eundem morem Turcas Scytharum progeniem retinuisse Collenucij historiæ testantur. Sed & nostra tempora retinent antiqua vitia. Neq; enim Sueci tantũ, velut diuina quadam virgula, aurum argentúmque, vbi lateat, norunt hariolari; sed alij quoque conceptis verbis efficiunt, vt virgula recta, ad nomen rei, quem indagant, sponte sua, iunctis extremitatibus, in circulum coëat, & à cornibus velut lunetur.

Tacit. de morib. German. Cæl. Rhod. lib. 7. antiq. lect. c. 29. Herodot l. 1. Strabo. l. 15. Collenuc l. 1. Rer. Neapolitan.

Nimirum insignis Dei simia est diabolus. Quem non potest imitari, æmulatur. Scit olim Aaroni, virgula florente, sacerdotij prærogatiuam obtigisse, dicente Domino: *Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas, per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuscuiusq; nomen superscribes virgæ suæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsim familias continebit: ponésq; eas in tabernaculo fœderis, coram testimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius.* &c. Gessit & Moyses res prodigiosas, per virgam. Sed diuina vis non est perinde omni virgæ alligata. Itaq; sicut Pharaonis *malefici fecerũt etiã ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædã similiter: proiecerúntq; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones*: ita hodiedum cacodæmon homines dementat, vt dum sunt Orcini, sibi diuini esse videantur. Illi scire debent, antiquam hanc esse antiqui serpentis artem, vt se in Angelum lucis transfiguret, fallacissimáque promissione dicat: *Eritis, sicut dij, scientes bonum & malum.* Accedit, hoc tempore, *diuinatoriam sortem* nec iussam à Deo, nec, sine peculiari instinctu Dei permissam; sicut adhuc permissa fuit, quando B. Dei Mater Iosepho sponsa data est, itidem virga eius germinante, vt quidam piè credunt.

VII.

Num. 17. 2.

Exod. 7. 11.

Gen. 3. 5.

Diuinatoriæ sorti olim valde dediti fuerunt, Augustus, Tiberius, itémque rex Pergami Attalus. Vtinam & nunc non etiam multi magnates se sinerent in hoc barathrum præcipitari, vt con-

VIII.

Sueton. in Augusto & Tiberio.

 silia

silia matrimoniorum, bellorum, aliorúmque negotiorum *sorti* committerent! Vidi homines, non de plebe, qui ex nominibus, mero parentum arbitrio impositis, fausta infaustaúe matrimonia ominabãtur, dicebántque, vter coniugum priùs esset è vita discessurus. Quæ est superstitiosa *Onomantia*, à Græcis, in nomine Astyanactis, & ab Augusto, in nomine Niconis, obseruata. Quid si parentes alia nomina imposuissent, nũ fortunam mutassent filiorum? Quod si ita est, obseruarent vtiq; homines, quænam nomina sint malè ominata, quæ fortunam secundam afferentia: & stultissimi essent, si non omnes filios suos, Victores, Victorinos, Valerios, & Alexandros potiùs, quàm Priamos appellarent. Verum est quidem, *Conueniunt rebus nomina sæpe suis*: & *Nabal*, iuxta nomen suum, stultus fuit; sed sæpe etiam non conueniunt. *Ioannes gratiosum* aut *pium* significat, multi tamen Ioannes *pij* non fuerunt, sed damnati sunt, vt exemplo esse potest Ioannes Caluinus. Eadem est superstitio, quæ Pythagoræ tribuitur, in nominibus proprijs vocalium numerum parem prosperum, imparem infelicem interpretans; aut numerum maiorem fortunatiorem existimans, quasi idcirco Hector ab Achille sit superatus, Hectórque superior euasisset, si fuisset Achilles nominatus. Enimuerò numeris vim aliquam diuinam, aut naturalem proprietatem tribuere, error est. Esto Apostolus nomen Antichristi, per numerum 666. significârit, quod factum est, Deo reuelante; & reuelante arcana suacui vult, non qui vult. Nam id vt fiat, petere, à doctis & pijs non probatur. Etsi enim reuelationes plurimæ sanctis sint factæ; tamen desiderare, plerumque oritur ex occulta superbia, æstimatione & amore sui; quia tales cupiunt suam alijs manifestam fieri sanctitatem, (quæ tamen in talibus non consistit) aut certè ex vana curiositate, quæ à Deo punitur. Vt autem nec litteris, nec numeris, ita neque verbis neque libris vis vlla physica, aut diuinatoria inesse est credenda. Quod tamen itidem ab ijs creditum vidimus & vsurpatum, qui alios, hac in re superstitiosè credulos castigare debuissent. Fit hæc στιχεομάντεια, aperto temerè Homeri aut Virgilij libro, & primo, qui obuius inspicienti occurrit, versu obseruato. Ita Socrates olim mortis suæ diem; Claudius, Macrinus, Gordianus iunior & alij Impp. tempus regni vel vitæ dicuntur coniecisse. Has Ethnicorum nugas imitati sunt postea etiam Christiani, Veteris aut Noui Testamenti apertione, quã

Apoc.13.

Franciscus Arias lib. de orat.ment.

Sortes

Sortes Apostolorum appellauerunt. Contaminauerunt se hoc genere *Sortis* Heraclius, apud Cedrenum; Romanus Diogenes, apud Cuspinianum; Andronicus senior, apud Gregoram; Charannus filius regis Francorum, apud Gregorium Turonensem; B. Theodora Alexandrina nondum bene catechizata, apud Simeonem Metaphrasten; Gundulphus, apud Ranulphum; Meroueus item, apud Gregor. Turon. apud quem tres codices S. Scripturæ super S. Martini sepulchro collocantur, & sigillatim singuli aperiuntur: Deniq; & Cardanus, & Cardani imitatores, & quicunque seriò adhibent librum *Fortunæ Rotam* dictum; aut alios seu prosa, seu ligata oratione vaticinantes; qui Ecclesiæ Catholicæ pluribus decretis damnati sunt, seueriſſiméque etiam ab Vrbano VIII. prohibentur; præsertim, qui de morte Principum vanissima oracula mentiuntur. Neque pro istis quidquam facit, quod supra recensuimus, de S. Basilio, Augustino, Ignatio, qui libros sacros vtiliter aperuerunt, non vt futura inde discerent, aut occulta explorarent; sed, vt in scripturis, alijsúe pijs libris, doctrinam in solatiũ, aut exhortationem, in spiritualem fructum, reperirent: in quem vtiq; finem eiusceмodi volumina sunt à Deo nobis data. Sed ita est, etiam ipsis pijs libris, quibus nos Deus vult vti, diabolus vult abuti.

Gregor. l. 8. Greg. Tur. l. 4. hist. c. 16. & 20. Sim. Metaphrast. XI. Septẽbr. Runulph. l. 7 Polychronic. c. 6. Gregor. Tur. l. 5. hist. Franc. c. 14. C. aliquanti. & c. si quis clericos. 26. q. 5.

Quod etiam facit in speculis. Constat è S. Scriptura, fuisse quendam occultorum Dei consiliorum iudiciorúmque ac prophetiæ modum, in applicatione *Ephod*, quod vel linteum erat, atque etiam minoribus ordinibus concessum, vt puero Samueli; vel *Sacerdotale*, quod & *superhumerale* dicebatur, auro & trium colorum varietate conspicuum à Iosepho *stola hieratica, epomis, & diplois*, vocatum. Huic aureis catenulis appensum fuit *pectorale*, sic dictum, quia in pectus, propendebat, alio nomine etiam *Rationale, Rationale iudicij*, & *iudicium filiorum Israël*, itémque *iudicium Vrim* nuncupatum. *Rationale* quidem, quia more animalis ratione præditi, ratiocinabatur: *Rationale* autem *iudicij*; quia diuinæ litteræ solent id, quod quisque facere debet, siue cuiusque officium, *iudicium* appellare: *iudicium* quoque *filiorum Israël*, quia sacerdos rationali indutus, Deo hominum dubia, desideria, negotiaúe proponebat: Deus verò, per *Rationale* significabat hominibus, quid fieri vellet, & quis rei successus futurus esset. Vnde idem *Rationale*, seu gemmæ illius duodecim *Vrim* & *Thummim*, hoc est, *manifestatio* & *veritas* rerum futurarum dici consueuerunt. Idcirco legimus:

I X.

1. Reg. 2.

Vide Exod. 28.

Exod. 28. 15. & 30. Num. 27. 21.

Prou. 1. 3. c. 1. v. 9.

Exod. 23. 17. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem.* Hoc *Rationale, & Ephod,* cum alijs vestimentis sacerdotalibus induti sacerdotes post debitas preces, viua voce, ea quæ intelligere cupiebant, proposuerunt; quod dicebant, *applicare Ephod,* & *consulere Dominum.* Tum, vt tradit Iosephus, si Deus quidpiam suadere aut approbare volebat, externo atque inusitato quodam lapidum splendore, internáque luce menti sacerdotis infusa respondebat. Quod etiam, in Ecclesiasticis historijs legimus, contigisse. Rem memoratu dignissimam ipsis verbis D. Gregorij Archiepiscopi Turonensis referam.

1. Reg. 13. 9. Ioseph. l. 3. antiq. c. 9.

X.

S. Gregor. Turon. lib. 1. de glor. martyr. cap. 13.

Quoniam Vasatensis vrbis meminimus, inquit, *operæ precium puto, miraculum, quod in ea Dominus largitus est, memorare. Tempore, quo diuturna obsidione, vallabatur à Chunis, omni nocte sacerdos, qui præerat, circuibat psallendo, & orabat, nec ab vllo auxiliũ, nisi à Domini misericordia requirebat. Hortabatur omnes orare, & non deficere asserens humiles preces, cælorum ianuas penetrare. Hostis verò in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineásq; pecoribus intromissis, vastabat: sed sacerdoti bono operi insistenti, celeriter, virtus diuina adfuit. Nam nocte visum est ipsi Barbarorum regi, quasi psallentes homines, in vestimentis albis, accensis cereis, circuire muros, vrbis, & indignans, ait, quæ est hæc peruersitas, & securitas vana, vt obsessi quasi despectis nobis, canticis, nescio quibus, ac laudibus perstrepant? verè quia digni sunt perditione. Et statim misit ad vrbem nuncios, interrogantes, quid sibi ista velint? At illi negant, scire se, quæ dicuntur, neq; de ijs aliqua persensisse. Alia verò nocte, vidit quasi globum magnum ignis super vrbem descendere: & ait, si contra nos hi obsessi contumaciter agunt, nec nos metuunt, vel cælestis eos ira consumit. Cúmq; non videret vllum ab vrbe incendium consurgere, misit iterum interrogare, quæ essent, quæ, viderat. Similiter negauerunt, nihil se omnino vidisse. Tunc rex Gausericus ait, si hæc isti nescíunt, manifestum est, quòd Deus eorum adiuuat eos: & statim discessit à loco illo. Sacerdos autem, conuocatis ciuibus, vigilias celebrat, & missarum agit festa, pro liberatione populi sui. Dum autem hæc ageret, respiciens sursum, vidit super altare, quasi de camera templi, cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate, candore crystallum vincentes, cúmq; omnes cum admiratione & stupore vehementi intenderent, eásq; nullus auderet attingere, Petrus quidam presbyter, qui vt res ipsa adserit, magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur: quæ dum per altare vago cursu rotan-*

rotantur, defluentes in ipsam patenam statim in se coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: patuitq; euidenti ratione, contra iniquam & Deo odibilem Arianam hæresin, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta. Agnitum est, Sanctam Trinitatem in vna omnipotentiæ aqualitate annexam, nullis garrulationibus posse disiungi. Tunc gauisus populus, & intelligens munus sibi indultum fuisse diuinitus, conferens aurum gemmásq; precioſas, crucem fecit, in qua hanc gemmam statuit. Sed protinus omnes reliquæ gemmæ hac accedente ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens, non esse consortium cælestibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro purissimo, eam gemmam media intercapedine locat, & populo adorandam præbet. Nec mora, fugato, vt diximus, hoste, ciuitas est liberata. Iam ex hoc multi infirmi hausto vino, vel aqua, in qua gemma abluitur, protinus sanitati redduntur. Denig; cum adorata fuerit, si à peccato est homo immunis, & ipsa apparet clara: cæterùm si vt plerumq; adsolet, humanæ fragilitati, aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obscura: miráq; præbet discretionem, inter innocentem & noxium, cum vni atra, alteri monstretur splendida.

XI.

Hæc talia iudicia sua Deus potest & nunc, & solebat olim in gemmis Ephod, velut inscribere; solet autem etiam æmulari Sathan. 1. Pythagoras speculo concauo litteras humano sanguine temperatas inscribebat, & speculum Lunæ opponens diuinabat, vt quidam recentior tradit; ac nonnulli stolidi iuuenes somniant naturaliter fieri posse. 2. Pausanias agens de Cereris æde, ait: *Ibi oraculum maximè veridicum fuisse cognoui. ex eo non rerum omnium, sed morborum tantùm euenta prædicebantur. Speculum tenui suspensum funiculo demittunt, ita librantes, vt in fonte omnino non mergatur; sed imo ambitu summam aquam contingat. Exinde, vbi odores adoleuerint, & ritè Deam precati fuerint, inspiciunt in speculum, & ex eius imaginibus, periturúsne, an victurus is æger sit, de quo consuluerunt, diuinant.* 3. *Fuit præterea, in Iuliano, hæc amentia,* ait Spartianus, *vt per Magos pleraq; faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina prophana incantauerunt, & ea, quæ ad speculum dicunt fieri (in quo pueri, præligatis oculis, incantando, vertice respicere dicuntur) Iulianus fecit. Tuncq; puer vidisse dicitur & aduentũ Seueri, & Iuliani decessionem.* 4. Turcæ in peluim aqua plenam inijciunt lapides precioſos, item auri argentique laminas, & aiunt se responsum è peluis fundo audire.

Leloyher. lib. 4. de spect.

Pausan. in Achaic.

Spartian. in Iulian.

5. Nostra tempora, vt omnium ætatum stultitias videantur collegisse, audent non solùm consulere, sed etiam emere ac secum gestata eiuscemodi specula iactare. Audiui iuuenis, & noui oculatos testes, qui se vidisse, aiunt, phialas, globósque chrystallinos, apud magnates, monstratos, à spiritibus insessos, qui iam in cicadas, mox in homines, & momento in dæmones versi, tandem furta ac fures repræsentabant; & puero quodam exclamante, IESVS, MARIA, in ictu oculi, euanescebant. Vsque adeò diabolus se etiam apud magnos insinuat, & in aulis quoque dominatur. Sed placet, referre, quod in non indocto commentario *de dæmonum natura*, quidam, in Germania, libello Plutarchi, *de defectu oraculorum*, præfixit. *Consulti*, inquit, *aliqui de rebus ignotis, in crystallis, conspiciunt ea manifestò, de quibus quæsitum fuit.* Et addit: *fuisse sibi notum vnum ex præcipua familia Norinbergæ. Eum, quodam tempore, venisse ad se, & attulisse, in serico panniculo inuolutam gemmã crystallinam, figura rotundam, & dixisse: donatam sibi illam fuisse à quodam ignoto, qui se, ante multos annos, de hospitio compellasset, fortè in forum conuentum, quémq; ipse in domum suam adduxisset, & triduò habuisset secum. Fuisse autem ab illo discedente, & relinquente munus hoc, ad significationem grati animi, edoctum se crystallini vsum talem: Si qua de re certior fieri vellet, vt promeret crystallum, & puerum márem castum iuberet aspicere, & ex eo percunctaretur: Quid cerneret? fore enim, vt de apparentibus puero visis omnia, quæ requireret, indicarentur. Atq; affirmarat hic, se nulla vnquam in re fuisse deceptum, & mirabilia de puerorum indicijs resciuisse; cum ceterorum nemo quisquam aliud, quàm nitidam & puram gemmam intuendo videret. Quodam tamen tempore, cum grauida ipsius vxor puerum gestaret in vtero, illi quoq; species in crystallo oblatas. Primò autem omnium formam viri se se exhibere solitam, illo habitu, quo tum communiter vterentur. Et ita deinceps aperuisse, de quibus interrogatum esset, cetera: explicatisq; cunctis, illã rursus viri figurã discessisse, & euanuisse reliqua. Discedente autem eam, quam diximus, figuram viri visam sæpe vrbem perambulare, & ingredi templa. Fuerat autem fama passim dissipata de illis indicijs, vt negantibus aut dissimulantibus suum delictum aliquod, vulgò minarentur, se relaturos de ea ad illum se in crystallo ostendentem viruunculum. Quin etiam compertum est, fuisse à doctis quibusdam, de dubitationibus suis in litterarum studijs aliquando, nescio quid, propositum, & in crystallo lectum. Sed his & alijs huiusmodi compluribus commemoratis,*

moratis, dixit Spenglerus, hunc aliquando ad se venisse, cum tali oratione: Arbitrari se, tempus esse, vt à crystalli tali vsu tandem abstineret. Nam & sibi iam persuasum, eo ipso non leuiter peccari, & animi perturbati cruciatus grauissimos, se diu sanè perpessum esse. Itaq; se decreuisse, deinceps nihil cum illo experimento velle negotij habere: & tradere nunc ipsi, quod accepisset, de quo meminisse posset, quid ei sæpe demonstrasset, neq; nesciret, qui rumores, in ciuitate, percrebuissent. Permittere autem, vt faceret de eo, quod collibuisset. Tum Spenglerus, collaudato eo, accepisse se aiebat crystallum, & in minutissimas partes contudisse, & vna cum serico inuolucro, in latrinam abiecisse. Quàm dignum fuit hoc tumulo istud cadauer ?

XII.

Vtinam imitarentur hoc factum, quicunque plus quàm vitrea ac fragili veritate nituntur ! Quid amentius potest esse, quàm credere hosti? quid stultius, quàm adhibere fidem ei, *qui in veritate non stetit: quia non est veritas in eo?* immo qui, etiam cùm vera loquitur, mentitur; loquitur enim, vt fallat. Verum erat illud: *Aperientur oculi vestri:* falsum, quod mox subiunxit: *Et eritis, sicut dij.* Nempe, sicut lignea sagitta non penetraret, nisi cuspis ferrea præfixa viam aperiret; sic multi diabolo mentienti non crederent, nisi vel vero, vel specie veri deciperentur. Eleganter Augustinus hîc occurrit inquiens: *Sed fortè dicit aliquis: Quid facimus, quia auguria ista, vel characteres, vel diuinationes frequenter vobis veritatem annunciant? De hac re Scriptura nos contestatur & monet dicens: Etiamsi vera dixerint vobis, nolite credere: tentat enim vos Deus vester, vtrum eum timeatis, an non. Sed iterum dicis: Aliquoties, si præcantatores non fuerint, aut de morsu serpentis, aut de aliqua infirmitate prope vsq; ad mortem multi periclitantur. Vnum est, fratres, quia permittit hoc Deus diabolo, ad probandum populum Christianum: vt cum interdum, per illa sacrilegia, aliqua remedia receperint, facilius postea diabolo credant. Et ideò quantum potestis circumuentiones illius fugite.* Quod planè etiam est, de sortibus Sathanicis dicendum; quæ non periculis duntaxat, sed etiam falsitate sunt plenę, & sæpe non tam præsciente diabolo, quàm temerè conijciente, attingunt veritatem; sicut qui fastos & calendaria condunt, etiãsi stellarum nullam habeant peritiam, etiamsi temerè imbres aut serenitates prædicant, tamen non rarò id prædicunt, quod postea euenturum est; etsi non rarò etiam pinguissimè mentiantur. *Quoniam enim*, teste Augustino, *non tenent homines memoria falsitates*

Ioan. 8. 44.

Gen. 3. 5.

S. Augustin. serm. de temp. 241.

S. Aug. l. 83. qq. q. 45. *errorésq; Mathematicorum, non intenti, nisi in ea, quæ illorum responsis prouenerunt, ea quæ non prouenerunt, obliuiscuntur: & ea commemorant, quæ non arte illa, quæ nulla est, sed quadam obscura rerum sorte contingunt. Quod si peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiosè diuinare etiam mortuas membranas scriptas quaslibet, de quibus plerumq;, pro voluntate, sors exit. Quod si non arte de codicibus exit sæpe versus futura pronuncians, quid mirum, si etiam ex animo loquentis, non arte, sed sors erit aliqua prædictio futurorum?* Ratum est, apud Theologos, futura contingentia dæmones, non nisi ex incertis coniecturis, aut aliquando è certa Dei reuelatione nosse. Coniectando sæpe hallucinantur. Cum reuelata propalant, tamen hominibus non constat, an ex Deo habeant. Cum ergo ex ipsis dæmonibus futurorum iudicia certa non hauriantur, quæ esset in *Sortibus* dæmonum certitudo? Inde nec propriè *Sortes*, sed, cum addito, *Sortes diabolicæ* sunt appellandæ. Qua ipsa de caussa vera & absolutè *sors* D. Augustino, *non aliquid mali est, sed res est, in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem.*

XIII. Denique, si quando eueniunt, quæ ex illicitis *Sortibus* homines se vel occulta, vel absentia, vel futura venatos arbitrantur, non rarò eueniunt in pœnam, vt hominibus stultis fiat, sicut crediderunt. Quidam varijs chartis varia genera mortis inscripsit, vt sciret, qua ipse esset interiturus, in lecto, an campo; fune, an ense? Extraxit semper funem. Ergo infamiam patibuli, quod sibi imminere dicebat, horrens, se ipsum domi suspendit, ne id carnifex foris facere cogeretur. Chronica Scotorum de Nathaloco

Buccanan. lib. 4. fol. 35. rege XXX. memorant, illũ ipsum, à quo rex cæsus, *ad diuinos missum, vt de victoria, de vita Regis, ac regno eius percontaretur: responsum à quadam anu accepisse: Regem non diu victurum: nec periculum ei ab hoste, sed à familiaribus instare. Cum ille vrgeret*, A quo? *anũ*, A te, *subiecisse. Ille mulierem execratus, cum domum rediret, subijt animum illa cogitatio: nec responsum cælari posse, nec edere tutũ esse: ne se apud Regem hominem prauum, & suo timori indulgentem, suspectum redderet. Itaq; tutius est tyrannum, cum multorum gratia, interficere, quàm cum grauissimo capitis proprij, discrimine incolumem seruare. Statim, vbi domum rediit, impetrato, ad responsa diuinorum expromenda secreto; cæso Rege, duodecimum imperij annum ingresso, patriam seruitio, & se periculo exemit.* Nonne his talibus *Sors* exitiosa fuit? Tuo,

Psal. 30. 7. ô Deus, iudicio fuit, qui *odisti obseruantes vanitates superuacuè. Ego autem in-*

autem in Domino speraui : exultabo & lætabor, in misericordia tua. Perer. in c. 24. Genes. vers. 13.

Plura de omine sacro & licito, ac profano & illicito & superstitioso reperiet lector apud Pererium.

CAPVT XXXVII.

An Deus aliquorum innocentiam, vel iustitiam declaret, qui aduersarios suos, ad vallem Iosaphat citant, aut qui ad diuinum iudicium prouocant?

PErtinent ad *Politicas sortes* etiam *exploratoriæ probationes*, quibus fortuito euentui veritas culpæ vel innocentiæ permittitur decidenda; & sæpe, non sine euidenti miraculo, deciditur. Inter has iudiciarias disquisitiones, est etiam illa vna, qua se se homines, mutuò, *in vallem Iosaphat*, & ad diuinum tribunal solent citare. In qua citatione vel damnandâ, vel imitandâ homines possunt cõmittere temeritatem. Sæpe enim eiuscemodi citatio à Deo est, sæpe contra Deum: sæpe contemni debet, sæpe formidari: vt enim vel licita est, vel iniuriosa; ita supremus iudex, per eam, vel vult, vel non vult iudicia sua manifestare. Sicut etiam duplicis generis homines, qui hac prouocatione vtuntur, rei & innocentes; sancti & impij. Duplex etiam, generatim loquendo, est finis, bonus & malus. Et modus quoque ipse non est idem. Aliquando ad iudicem Deum absolutè duntaxat appellatur; aliquando iubetur aduersarius ad tribunal eius, intra certos dies, menses, aut annos; aliquando, nullo certo tempore nominato, se sistere. Cum ergo impium sit, sanctos temeritatis damnare, qui subinde tyrannum, aut alios, ad comparendum, coram Deo, citauerunt; & stultum, quauis ex caussa, ad summum iudicem prouocare: afferam primò caussas, & exempla licitæ, postea etiam illicitæ citationis, ob quam Deus iudicij sui arcana mortalibus vel negauit, vel patefecit. I.

Qui innocentes iniuriâ afficiuntur, & vitâ digni mortis sententiam accipiunt, vidéntque nullum sibi, in humanis auxilijs, præsidium supereſse; rectè ad Deum confugiunt, cui placere non potest, si gladius, quem Principibus & Magistratibus, in vindictam malefactorum concessit, stringatur in innocentes. *Non accipiet* Eccli 35. 16. II.

Iob. 12. 4. *Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet.* Imo etiam *qui deridetur ab amico suo, sicut ego*, inquit Iob, *inuocabit Deũ, & exaudiet eum.* Exaudire autem eum potest, prout inuocatus fuerit, vel, vt iniquitate oppressum è malis præsentibus eripiat, quod omnino petere frequens & concessum est; vel, vt talem iniuriâ aut morte non fuisse dignum, sumta de aduersario extraordinaria vltione, mortéque etiam ipsi illatâ, declaret. Quod variis quis de causis potest à Deo flagitare. Si, citra odium, aliamúe malam affectionem, bono fine, flagitet, puta, vt innocentia locum habeat; vt scandalum amoueatur; vt familia non grauetur infamiâ; vt homines tam iniustis iudicibus liberentur; aut vt emendentur, qui adeò tyrannicè dominantur; tum licitè flagitat; prouocátque, sine peccato, & verò sæpe etiam cum merito, ad tribunal summum iudicis viuorum atque mortuorum; nec sine petito effectu. Legimus enim frequenter diuinam iustitiam, sic prouocantes manifestissimè absoluisse, & lege talionis ex vita expulisse eos, qui alios & ipsi è vita, sed iniustè, expulerunt.

Ita Feuardent. extremo cap. 13. Esther.

III. Exempla è diuinis litteris, ex vitis Sanctorum, ex aliorum gestis afferri possunt. In diuinis litteris, Dauid capitali Saulis odio

2. Reg. 24. 13. multis que insidijs petitus, *Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te*, inquit. Prouocatio hæc fuit; neque in irritum cecidit, quia, cecidit paulò post Saul, amissâ victoriâ, & vitâ. Clarius exemplum datum est, in Pontifice Zacharia filio Ioiadæ, in quem illi ipsi, quos ab idolis dehortabatur *miserunt lapides, iuxta regis imperium in atrio domus Domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur, ait:* Videat Dominus, & requirat. *Cumq; euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: veniũtq; in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi &c. In Ioas quoq; ignominiosa exercuêre iudicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem, contra eum, serui sui, in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo,* ante diuinum tribunal, de iñocentissimi sacerdotis nece rationem

2. Paralip. 24. 23.

2. Machab. 7 17. & 19. redditurum. Pari pacto Machabæi martyres Antiocho diem dixisse censendi sunt: siquidem eorum prædictiones vim imprecationis & citationis habuerunt, cum dicerent: *Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit.* Dictum, factum. Neque hæc talia ex impatientia, aut ira,

ira, sed ex zelo iustitiæ & odio impietatis, profecta videri debent; sicut neque Moyses, quando dixit: *In hoc scietis, quia Dominus misit me &c. Si consueta hominum morte interierint* Dathan & Abiron &c: *non misit me Dominus* &c. neque Elias, quando dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos:* neque Elisæus, quando vrsos immisit in pueros irrisores. Num. 16. 28. 4. Reg. 1. 10. 4. Reg. 2. 24.

In nouo quoque Testamento exempla occurrunt. Nam & Christus ipse ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans dixit: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet:* & S. Petrus, teste D. Gregorio, *increpando vtrique coniugi*, Ananiæ & Sapphiræ, *vitam abstulit, qui reddidit Thabitæ orando.* Noluit quidem Christus, qui pati venerat, sæuire: ex hoc tamen, & Pauli Elymam excœcantis, atque Corinthium satanæ in interitum tradentis exemplo, *voluit, vt intelligeremus, id se potuisse*, ait Tertullianus. Nimirum non aliena est ab Euangelica suauitate seueritas nonnulla, vt Beda docet. Habenda enim est etiã ratio cõmunis in futurum vtilitatis, &, disciplinæ caussa, obstinatis metus incutiendus. Qua de caussa S. Thomas tradit, Petrum, tanquam executorem Dei, occultum Ananiæ peccatum explicauisse. Prohibet quidem Christus, ne malefacientibus malefaciamus, aut maledicentibus imprecemur, licet tamen quandóque *vtrumlibet zelo iustitiæ, & iudiciaria potestate, atq; sine vindictæ liuore, sine odio*, vt D. Gregorius obseruat. Sic idem Petrus Simoni dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quæ imprecatio & maledictio est præuidentis diuinam de Simone sententiam & huius reprobationem atq; æternam perditionem, non autem vindictæ studentis*, ait cum Beda Glossa ordinaria. Sic Paulus Principi sacerdotum Ananiæ dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Vbi Apostolica auctoritate auctori percussionis suæ interitum denunciauit: certè, vt Propheta, prædixit: *etenim istud euenit, sicq; defunctus est*, ait S. Chrysostomus. Sic & alio tempore idem Paulus existimauit, Alexandro ærario iniustitiam eius impunitam esse non debere, dixit enim: *Reddet illi Dominus secundùm opera sua*, multa siquidem mala Paulo ostendit Alexander, postquam à fide defecit, & Euangelio valde restitit. Denique Sanctorum, pro Christo, occisorum animæ, nonne *clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo, Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra?* Ioan. 8. 50. Act. 5. 5. S. Greg. l. 2. dial. c. 30. Act. 13. 11. 1. Cor. 5. 5. Tertullian. l. de Pudic. c. 21. Beda in Luc. 9. 55. S. Thom. 2. 2 q. 35. a. 7. ad 2. Luc. 6. 28. Act. 8. 20. Act. 23. 3. S. Chrysho. mil. 6. de laudi. S. Pauli. 2. Timoth. 4 15. Apoc. 6. 10.

IV.

V.

Eadem ratione, qua pro Verbo interfectorum animæ cla-

S. Thō. 2. 2. q. 83. a. 8. ad 2. Breuiar. Roman. 2. Maij.

mauerunt, possunt etiam clamare alij Martyres, ac Sancti, & diuinam vindictam iustissimè implorare, vt ex D. Thoma constat S. Stanislaus Polonus Regem Poloniæ Boleslaum *grauiter offenderat, quòd illius notam libidinem publicè arguebat. Quare, in solenni regni conuentu, Stanislaum, per calumniam, in iudicium, coram se vocari curat, tanquam pagũ occuparet, quem Ecclesiæ suæ nomine coëmerat. Quod cum neq; tabulis probare posset, & testes veritatem dicere timerent, spondet Episcopus, se Petrum pagi venditorem, quia triennio ante obierat, intra dies tres, in iudicium adducturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo ieiunijs & orationi incumbit: ipso sponsionis die, post oblatum Missæ sacrificium, Petrum è sepulchro surgere iubet: qui statim rediuiuus Episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibiq;, rege & ceteris stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto, testimonium dicit, atq; iterum in Domino obdormiuit.* Simile quid legimus de S. Fridolino Abbate, Seckingæ ad Rhenum, monumentum habente, qui itidem è tumulo mortuum ad humanum tribunal euocauit, vt & innocentiæ, & calumniæ indignitas testem, omni exceptione maiorem, haberet. Quod si igitur Sancti vel ipsos mortuos è sepulchris ad humanum audent tribunal euocare; cur non auderent viuos citare, easdem ob causas, ad tribunal diuinum? nempe, vt aut se, aut sua, aut, quæ sunt Ecclesiæ, tueantur?

VI.

Matthæus Rader. volumine 3. Bauar. S. pag. 185.

Sua & Ecclesiæ bona defendit hac citatione Stanislaus, ac se ipsum quoque à calumnia. Idem fecit S. Benno Misnensis Pontifex, dum, ad diuinum tribunal Dei, Marchionem iniuriosum, certo tempore præscripto, venire iussit. Rem totam ex bulla canonizationis Adriani Pontificis Hieronymus Emserus, atque ex hoc Raderus, his verbis tradidit. *Marchio quidem Misnensis ad rem auidior, cum per summum scelus in possessionem bonorum Ecclesiæ Misnensis irruisset, Beatus Benno hominem rectè facturum affirmauit, si ea, quæ ipsi Ecclesiæ Misnensi eripuisset, restitueret; sin minus, Deum aliquando, pro tanta improbitate, pœnas ab eo expetiturum. Quibus verbis homo furens concitatus Sanctissimum virum alapa percussit. Tunc Beatus Benno diuino spiritu afflatus hanc tantam iniuriam, inquit, hoc eodem tempore, sequentis anni Deus omnipotens vlciscetur, quem Marchio ille proteruus atq; superbus irrisit, ac paulo post Beatus Benno ægrotare cœpit, & breue futurum sperans, vt ex hac vita ad superos, quorum consuetudo dulcis est, atq; æterna migraret, &c.* Postea *è vita excessit,*

cessit, & id quidem quadragesimo pontificatus sui anno, post Christum natum, millesimo centesimo sexto, &c. *Marchio, de quo paullo antè fati sumus, cum tempus illud euenisset, quo sanctus vir ipsum Marchionem pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem prorupit: Benno, superiori tempore, nescio, quid periculi nobis hodierno die, euenturum minabatur; mortuus est ille, non igitur est, quod nobis timeamus. Vix ille hæc verba finierat, subitò consternitur, & auxilium eorum, qui aderant, implorans, miserandum in modum ac magno cum dolore & gemitu moritur. Hinc facilè concipi potest, diuinam potestatem diuino homini communicatam esse.* Ita pro se, pro Ecclesia, Benno ad diuinum iudicium appellauit.

VII. Raphaël Volateran. anthropol. l. 21.

Gualterus Burgensis pro se idem fecit. Erat is vir doctrina & sanctitate clarus, pérque iniuriam Episcopatu Patauensi priuatus & expulsus à Clemente V. Nempe hoc volebat eum Deus pati, propter regnum cœlorum. Et passus est patienter, quoad vixit. Moriens tamen, ne & alijs eiuscemodi iniuria irrogaretur, iussit sepulchro suo incidi: AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Incidit in hanc epigraphen Clemens, & fertur iniuriæ, quam intulerat, memoria expauisse: addunt alij, non diu post, obijsse. Nec mirum est Gualterum, in vita patientem, in morte appellauisse. Ita & Dauid moriturus Salomoni filio quosdam nominauit puniendos, quibus, in vita, pepercerat. Vtrumq; sancti quærunt, & præmium patientiæ, & iustitiæ exemplum. *Vindicta Martyrum est,* ait S. Augustinus, *vt euertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpessi sunt.* Quin omnes sancti, *postulant se vindicari, non voce, sed ratione, sicut sanguis Abel clamauit de terra.* Lætantur autem de vindicta, non propter vindictam, sed propter diuinam iustitiam. Hoc modo, *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris*; qui priùs in illius sanguine manus lauit; quid dico lauit? inquinauit. Admodum simile est, quod Cestrensis memorat, de Roberto Grosseteste dicto Lincolnienſi, magnæ, illa ætate, inter Philosophiam professos, famæ, quem Innocentius IV. excõmunicauerat. Refert enim, Robertum ad Deum iudicem prouocauisse, Pontificémque ad Dei tribunal citatum, eodem die, defunctum, quo Robertus defunctus est; auditámque, in Pontificia aula, vocem VENI, MISER, AD IVDICIVM. post hanc vocem, sequenti die, Papam in lecto exanimatum repertum, ac liuidam in eius latere cruentámque plagam, tanquam si

S. Aug. l. 1. de serm. Domin. in monte. c. 45.

Psal. 57. 11.

Cestrensis lib. 7.

fuste percussus fuisset. Hoc accidisse scribit Anno 1253. cui consentiunt Matthæus Parisius, Ioannes Buriensis, & alij Britannici scriptores; licet alij scriptores nullam de hac re faciant mentionem. Vnde Delrius subsestæ fidei esse iudicat narrationem. Sed suppetunt alia quoq; complura exempla, tam eorum, qui sua, quàm qui aliorum causa appellauerunt.

Martinus Delr. lib. 4. disquis. Magicar. cap. 4 q. 4. sect. 1.

VIII. Alterius causâ appellauit B. Eustachius Abbas. Is, hæretico quodam Agrestio B. Columbanum iam mortuum conuiciis calumniisque lacerante, in concilio Matisconensi, sic vltus est calumniatorem, vt diceret: *In horum præsentia sacerdotum, te ego, eius discipulus & successor, cuius tu disciplinam & instituta damnas, ad diuinum iudicium, cum illo, intra præsentis anni circulum disceptaturum inuito, vt iusti iudicis examen sentias, cuius famulum tuis obtrectationibus maculare conaris.* Nec frustra eum conuadatus est diuino hoc vadimonio. Nam cum Agrestius *sæpius sibi datum pœnitentiæ locum non agnosceret, vt B. Eustachij sententia ad diuinum iudicium ipsum vocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, priusquam vertentis anni meta compleretur, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interijt.* Ita & mortales immortalium queunt caussam agere; & ipsi etiam immortales dicere possunt: *Iudica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta, & ab homine iniquo & doloso erue me.*

Ionas Abbas eius cõtemporaneus, in vita S. Eustachij.

Psal. 42. 1.

IX. Et meritò sibi cauent à tali prouocatione iniquitatis non solùm operatores, sed etiam fautores ac patroni. Quemadmodum cauisse legimus Hannoniæ Comitem: *qui, dum vellet, in Ecclesia S. Ioannis, in Valencenis, canonicos expellere regulares, & pro eis ponere canonicos seculares; Abbas eiusdem loci, ad summum iudicem appellauit. Appropinquante autem appellationis die, cum Abbas inciperet infirmari, & se ad comparendum, coram summo iudice, orationis instantia præpararet; ipseq; Comes, sub eodem tempore, sentiret incommodum, caussæ cessit, omnimodè diem veritus iudicij, & sententiam expectare.* Sapuit iste in tempore, consilium Christi secutus dicentis: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via, cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro: & in carcerem mittaris.* Vtinam & alij consilium hoc audirent, &, dum in via sunt, faciem iudicis præoccuparent. Serò beneuolentia Iudicis conciliatur in tribunali: præstátque aduersarium placare, quàm expectare sententiam damnantis. Rideri homines possunt, *Deus*

Thom Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 35. §. 3.

Matth. 5. 25.

non

non irridetur. Quare, magno suo malo, Numen in Martyre risit Hiberniæ Prorex, de quo eruditissimus Galliarum regis Consiliarius scribit, ab eo Maionensem Episcopum Patritium Ochelium, & Conatium Ornarium Franciscanum, virum religione & sanguine clarum, nempe è Ducum prosapia oriundum, capitis damnatū, ac suspendio addictum, quòd Ecclesiæ caput profanam feminam, Angliæ scilicet reginam vterque constantissimè negauisset. Iam sub patibulo, iam in laqueo erat Ochelius, cum petijt, vt, quando ipsi viuere ampliùs non liceret, liceret saltem, sub finem vitæ, aliquantulum loqui, & populo postremùm valedicere. Non negata est illi ea petitio. Cæpit ergo Deo gratias agere, quòd sibi socióque tantum constantiæ, quòd occasionem fidei profitendæ, quòd gratiam vitæ, pro Christo, proijciendæ dedisset. Adhortatus est deinde Catholicos, si qui adessent, vt in eadem religione, cuius ipse caussa moreretur, vsque ad extremum spiritum & ipsi perseuerarent. Admonuit insuper, si qui secus sentirent, vt & ipsi solum Christum, & Christi Vicarium Romanum Pontificem, pro capite Ecclesiæ agnoscerent. Hac enim vnica de caussa se, cum socio, in vincula datum, atque in teterrimo carcere, solis omnis experte, quindecim dies attentum; ac postea, ex Acherontica illa obscuritate, extractum, multis pollicitationibus ac blandimentis sollicitatum; grauissimis minis ac tormentorum metu perterrefactum, semper negauisse, Reginam esse Ecclesiæ caput. Ob quam constantem negationem, inquiebat, Prorex irritatus, cum tunica molesta deesset, ocreas, butyro, sale, oleo & pyrio puluere iussit impleri, pedibúsque meis inductas, in bullientem aquam imponi. Ita elixis pedibus ocreas, cum carne, detraxit, vnde ossa nuda solísque neruis hærentia gero, quibus in cælum, non in sententiam æternæ damnationi obnoxiam, cum me iturum profiterer, ad noua tormenta sum pertractus. Nam mihi, hi digiti, & hæc brachia, vt videtis, inter duo grandia saxa, sunt miserrimè contrita. Ita frumentum Christi factus sum. Nunc demum, quia de sententia non cessi, vt Christo meo conformis fiam, sublimis pendebo, vt de cruce anima viciniùs ad cęlū eat. In hunc sensum, ad dimidiam horam, eo affectu, eáque vi verborum perorauit, vt etiam aduersarij ipsi nō possent à fletu abstinere. Pro epilogo ad Proregem cōuersus, hac eum oratione compellauit: *Tu quidem, ô Prorex, hoc corpus miserè torsisti, atque iniurias mihi multas intulisti, quarum hic vl-*

tionem

Galat. 6.7.

Florimund. Ramund. lib de ortu & interitu hæreseon. c. 20. n. 6.

tionem non posco, sed te iam, cælo teste, ad diuinæ maiestatis tribunal cito, vt illic facti rationem reddas. Percussit hæc citatio animum Proregis vehementer, altámque ei plagam incussit; qui, vt bilem cum verbis exoneraret, dixit: *I, nunc, bipedum nequissime; I, Pegaseo volatu, ad Cerberum: Tuam ego appellationem, nec hili facio; tu ad Phlegethontem abi.* His verbis vtrinque commutatis, Episcopus, cum socio, strangulatus ad cælum, Prorex ad Limirienſem vrbem ijt. Nõ ita diu post accidit, vt Prorex cum Barone, animi causſa, in campos exspaciaretur. Et peruenit ad eum ipsum locum, in quo duo Martyres laqueo interempti pependerunt. Ibi Baronem compellans: Ecce, ait falsum Prophetam, qui ad Dei iudicium me citauit; cum anima illius iam caleat in flamma, corpus putrescat in furca. Hæc Prorex, inscius, quàm tenui filo sua quoque tunc vita penderet. Nam correptus morbo, qui animam eius, decimo quarto, ab eo, quo ad iudicium vocatus est, die, ad Rhadamantum expulit, verè sensit, ridentes à Deo irrideri, rectiúsque se facturum fuisse, si quod Martyri falsò prædixit, sibimet ipsi ceciniſſet, ac in tempore resipuisset. Sed, vt D. Gregorius ait, *habet hoc prauorum malitia, vt cum vera in se flere mala renuit, fingat aliena: Nam, quasi solatio facinoris vtitur, si, falsis vocibus, & vita corripientis inquinetur.*

S. Gregor. lib. 10. Moral. c. 3.

X.

Alterius etiam caussà, vadimonium constituit, apud doctum & probatæ fidei scriptorem, alius; de quo eiusdem temporis author ita scribit: *Monasterium S. Iacobi, apud Leodium, notum multis est & acceptum. Istud quidam adolescens consobrinus maioris Præpositi, causa deuotionis & religionis, intrauit. Quod vt audiuit Præpositus, indignè tulit: mandat Abbati remitti consobrinum, per clericos: renuit ille. Tunc Præpositus, forti manu collecta satellitum, intrat violenter cœnobium, rapit iuuenem & nudatum Sancto habitu, induit seculari. Abbas ergo Monasterij, collectis primoribus ciuitatis, Episcopo queritur, & totum clerum, pro tantis iniurijs, interpellat. Hoc cum indignanter vix vellet audire Episcopus, & Abbatem potius duris verbis impeteret: flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum, dixit Præposito: Iudicem contra te, ô Præposite, in terra habere non possum, & ideo contra te Deum summum iudicem interpello, vt infra 40. dies vterq; nostrum compareat, coram illo, sententiam pro meritis acceptans. Ad hoc Præsul cachinnans cum suis irrisit hominem atq; spreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? 40. die, circa nonam, mortuus est dictus Abbas: & cum pro eo solemniter pulsaretur, sedens in balneo Præpositus,*

Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 35. §. 2.

quæsiuit

quæsiuit à circumstantibus, quid hoc esset? Mox quidam ingrediens, & requisitus de sonitu campanarum, respondit, Abbatem S. Iacobi modò esse defunctum, & pro eo pulsationem fieri tam solemnem. Illico recordatus Præpositus, quadragesimam diem esse, qua se citatum, coram summo iudice, audierat ab Abbate, consternato animo, dixit suis, citò videte, quid faciam, mortuus ego sum: comparere me hodie summi iudicis conspectibus oportebit, Nec mora, post verba hæc, cum balneum egredi festinaret, in astantium manibus, cum diro eiulatu, & vocibus, expirauit; ibi procul dubio respondere compulsus, vbi causarum strepitus cessant, iurisperitorum aduocatio conticescit; vbi nec preces, nec precium liberabunt, vbi nec interlocutoria iudicis sententiam protelabunt. Clarè hinc perspicitur, etsi iudices, in hoc Mundo, officio suo desint, non tamen deesse Deum, qui iudicet; eúmque Præpositis, ac Principibus longè esse potentiorem.

XI.

Socrates sapientiæ, apud profanos, simulachrum, teste Xenophonte ac Eusebio, hanc pronunciauit sententiam, *cognitionem futurarum rerum, quæ in potestate Dei sunt, non esse hominibus procurandam: neq; enim posse homines eas res cognoscere, nec Deo gratum esse, si quæ illæ occultauit, ea mortales velint nimis studisè curioséq; cognoscere.* Immo & ipse Christus, cum discipuli eius curiosa interrogarent, dicentes: *Quando hæc erunt?* ad quæstionem hanc non respondit, statim ad signa aduentus sui transgressus: alia autem vice, apertè dixit: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Abdita nimirum, & soli Deo reseruata huiusmodi euentorum cognitio est, quæ ex libera vel Dei, vel etiam hominum pendent voluntate. *Quis nostrum docere audeat, vel se scire præsumat, quod Deus ille magister, nec eos discipulos docuit, à quibus præsentibus interrogatus est præsens; nec illi tunc sancti magniq; doctores Ecclesiam docere potuerunt?* Ita planè est, si de ordinario agendi modo loquamur. Extra ordinem, si nulli eiuscemodi futura præsciuerunt, quid erit de Prophetis sentiendum? Quemadmodum igitur Prophetis, ita etiam multis alijs Deus futura quædam reuelauit; immo & ipsas mortes, ac horam mortis eorum: vti Cassio Narnienſi Episcopo, apud D. Gregorium; Æmilianæ ac Tharsillæ, & Ruperto, qui id de seipso scriptum reliquit: immo & ipsis peccatoribus, vt de Prætextato S. Hieronymus narrat. Tametsi enim, vniuersim loquendo, hominibus vtilius sit, nescire certum mortis diem aut horam, vt semper vigilent ac soliciti sint, de

Xenophon. lib. de dictis & factis Socratis. Euseb. l. 14. de Præpar. c. 4.

Matth. 24. 4.

Act. 1. 7.

S. Augustin. epist. 80.

S. Greg. l. 4. dialog. c. 36. Ib. cap. 16. & homil. 38. in Euang. Rupert. in c. 12. Matth. S.

Hieronym. epist. 7. Domini aduentu, nec pij habeant caussam remissionis, impij securioris vitæ: profuit tamen etiam multis, horam mortis ipsis antè fuisse denunciatam. Sic enim vel metu acti peccata retractauerunt: Supra. §. IX. quod, paulò supra, Comiti Hannoniæ ostendimus contigisse. Quin istis quoque ipsis, ad certum diem, ex instinctu Dei, in iudicium diuinum citatis, ad maiorem confusionem, damnationémque cedet, si citati, se non corrigant, sed emendationem de die in diem differant, quod supra memorato Præposito euenit, qui serò nimis Supra §. X. dixit: *Citò videte, quid faciam, mortuus ego sum,* hoc est, tam certò moriturus, ac si iam mortuus essem. O stulte, citiùs videre debuisses, quid tibi esset faciendum. Serò mortem fugit, qui iam mortuus est; nec potest iudicium declinare, qui iam astat tribunali. In nulla re vel malitia hominum pertinacior, vel bonitas Numinis clementior potest demonstrari, quàm cum demonstratur, homines sibi malè conscios, etiam de die mortis, à benigno Deo, per sanctos, admonitos, tamen in malitia, perstitisse. Neque necesse est, eiuscemodi citatores miraculis claros haberi; satis est, si sint in ea re innocentes, in qua iniustè patiuntur.

XII.

Cranzius l. 4 Metropol c. 4. Gotschalcus serm. 16. part. æstiu. Menuercum decimum Paderbornensem Episcopum, Anno 1003. quidam Monachus Corbeiensis, Boso nomine, graui cõtumelia affecerat. Cum enim Menuercus collapsam Monasterij Corbeiensis disciplinam, in pristinum vellet nitorem reuocare, post Walonem Abbatem loco motum, Boso sacrarij custos vestes sacras negauit, & quæ attulerat Præsul, ab ara, proiecit; monitúsque sæpius, grauiúsque, proteruè obstinauit. Episcopus, pro tanta iniuria, nihil aliud reposuit, quàm vt diceret: *Redditurum Altissimo facti rationem.* Quod ipsum vel conscientia Monacho Eccles. 1. 15. dictauerat. At verum est: *Peruersi difficilè corriguntur.* Quare etiã Monachus iste prædictionem flocci pendens vaticinium pariter atq; Episcopum cachinno excepit. Sed & iste risus dolore fuit miscendus, imo finiendus. Nam Episcopo diem suum passo defunctóque, Monachus, cum nihil morbi prorsus sentiret, ea ipsa, qua Episcopus, hora, expirauit. Litigabant de iuribus Ecclesiarum suarum, In Analib. Boiorum l. 4 & Lambert. Schafnaburgensis, & Saxoniæ decimis, tempore Henrici IV. Burchardus Halberstadiensis Episcopus, & Mehingerus Abbas Herfeldensis. Cum nullus cedere vellet, nullus litem amittere; arbitriũ eius in Deum traiecerunt, se se inuicem ad Dei tribunal euocantes. Die dicta, vterque repentè è vita discessit. Vter lite ceciderit, in occulto est, illud

illud constat, citationem valuisse. Sunt qui narrent, Abbatem Herfeldensem decimis, per vim & iniuriam spoliatum; sub vitæ finem Antistiti nunciari iussisse: se quidem viribus imparem; caussa meliorem cedere, atq; etiam vita excedere; sed Deum iudicem futurum, ad quem appellaret. Pararent igitur se ambo, caussam in illo tribunali dicturi, vbi gratia & potentia spretis, sola iustitia vim obtineret, & iniustitiæ præualeret: neque diu postea Abbatem febri obijsse: eodémque tempore, Episcopum, cum equum conscendere vellet, velut fulmine ictum, concidisse, desijsséque his vocibus viuere: Abripi se ad diuinum tribunal, ibíque iudicandum. Iuxta hanc narrationem, melior videtur citantis, quàm citati caussa extitisse. Ex his perspicitur, Deum prouocationes quasdam, velut legitimas admittere, ac sæpe vnum, alterius caussa, è vita exturbare: ne iniustitia dominetur, & triumphet.

CAPVT XXXVIII.

An etiam se mutuò amantium, simúlq; mori orantium preces licitæ; & quando illæ, sicut & citationes supra dictæ, exaudiantur, vel non exaudiantur?

I.

ET cur, iustitiæ caussâ, duos simul mori non permitteret Deus, qui id sanctis ex misericordia concessit? Beda refert, Heribertum pietate insignem Eremitam, quotannis, ad Cutbertum Episcopum ventitare solitum, vt ab eo salutaribus monitis ad perfectionem augendam incitaretur; tandem ei Episcopũ vltimùm vale dixisse, quòd sciret, diem suæ resolutionis instare. Heribertus qui Cutbertum, eximiè amauerat, ad pedes illius se prosternens, cum lachrymis inquiebat: *Obsecro, per Dominum, ne me deseras: sed tui memor sis fidelissimi Sodalis, rogésq; supremam pietatem, vt, cui simul in terris seruiuimus, ad eius videndam gratiam simul transeamus ad cælos. Incubuit precibus Antistes, statímq; edoctus in spiritu, impetrasse se, quod petebat à Domino: Surge, inquit, frater mi, & noli plorare, sed gaudio gaude, quia, quod rogauimus, superna nobis clementia donauit. Cuius promissi & prophetiæ veritatem sequens rerum astruxit euentus; quia & digredientes ab inuicem non se vltra corporaliter vi-*

Beda lib. 4. hist. Eccl. c. 29.

derunt; sed vno eodémq; die, hoc est, Kalendarum Aprilium tertiæ decimæ egredientes è corpore spiritus eorum, mox beata inuicem visione coniuncti sunt, atq; Angelico ministerio pariter ad regnum cæleste transl.ati. Sed Heribertus diutina prius infirmitate decoquitur; illà, vt credibile est, dispensatione Dominicæ pietatis, vt si quid minus haberet meriti à Cudberto, suppleret hoc castigans longæ ægritudinis dolor; quatenus æquatus gratiæ suo intercessori, sicut vno eodémq; tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam vna atq; indissimili sede perpetuæ beatitudinis meruisset recipi. Habemus ergo & causſam, cur multos fæpe innocentes, immo etiam Religiosos viros Deus sinat diutinis morbis afflictari, scilicet ad maiorem, in cælo, coronam promerendam; & insuper, Deum exaudire sanctos pro se inuicem orantes, non vt illis vita ista mortalis prolongetur; sed vt, post vnius mortem, mors alterius, in hac lachrymarum valle, non differatur; atque, vt, qui vnà Deo, in omni vitæ austeritate seruierunt, etiam vnà Deo, in æterna beatitudine perfruantur.

II. Et cur hoc alij impetrare conantes, peccent, cum sic alios diligant, sicut semetipsos? Nam qui charitate Dei ac sui ardent, Ps.119.15. sæpe exclamant: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est?* præsertim quia eos tot corporis & animę mala, in hac peregrinatione, ad patriam faciunt calidissimè suspirare. Quis enim exul ad patriã non aspiraret? Et prudens peregrinus, (nisi proxmi salus aliud exigat) cum Apostolo, magis cupit à corpore, quàm à Domino peregrinari. Quis non mallet cum Angelis, & societate beatorum habitare, quàm *cum habitantibus Cedar*, hoc est, cum barbaris ac efferatis gentibus, quæ non habitant in ciuitatibus, sed in tentorijs, ijsque nigris & rusticis, quales sunt Arabes? per quos ipsi etiam cacodæmones, Principes tenebrarum harum diaboli, ac homines, ipsis diabolis peiores intelliguntur. Ne autem aulici hinc se excipiant, qui in clarissimis vrbibus habitant, nôrint ipsa etiam palatia Principum ac Regum *Cedar*, hoc est, tabernacula esse rusticorum, si ad cælestis Hierusalem mansiones comparentur. Hinc sanctorum voces sunt: Philip.1.21. *Multum incola fuit anima mea.* Rom.7.24. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Coarctor desiderium habens dissolui & esse cum Christo. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ita orare cum ex charitate quis pro semetipso possit, cur non possit etiam pro alio? præsertim cupiente, & vitam beatam miseræ vitæ præferente? Nam multi adeò diligunt hanc miseram pe-

ram peregrinationem, & *tabernacula Cedar* tenebricosa, vt nihil tristiùs audire possint, quàm sermonem de discessu ex hac vita. Tales non cupiunt pro se orari, vt de corpore mortis huius liberentur. Quanquam & qui pro se, & qui pro alijs orant, vt citò possint esse cum Christo, illam vtique orationi suæ conditionem includunt, quam inclusit S. Martinus orans: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; quam etiam Apostolus non dissimulauit, scribens: *Coarctor autem è duobus: desiderium habens*, Philip. 1. 23. velut à portu, aut à tabernaculorum funibus, aut vinculis, aut à corpore mortis, seu cadauere, cui alligata est anima mea, dissolui, *& esse cum Christo*, quod est, *multò magis melius*, seu optimum (hoc enim Hebraismus significat) *permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Si enim Deus vult nos viuere, propter institutionem proximi, tanti facienda est charitas, vt etiam beatæ eiuscemodi morti, immo ipsi quoque martyrio, vt D. Chrysostomus docet, sit anteferenda. Hæc proximi necessitas si desit, rectè ille à D. Augustino laudatus Episcopus moriturus circumstantibus atq; eum retinere volentibus dixit: *Si aliquando, cur non modò?* Rectè etiam Climachus: *Probatus ille est, qui mortem singulis diebus expectat; sed ille sanctius, qui eam singulis horis desiderat.* Desiderabat Romana virgo Praxedes, *quæ, cum tantã Christianorũ stragem tam ferre non posset; Deum precata est, vt, si mori expediret, se è tantis malis eriperet.* Desiderauerunt idem alij innumeri. Quod ergo sibi non solùm fas est optare, sed etiam ex charitate desideratur, cur non posset etiam frater charissimo fratri, soror sorori, vxori maritus, vel marito vxor, aut alius amicus amico dilectissimo & desiderare, & precari? cum hoc sit, illi precari, pro terra cælum, pro miseria felicitatem.

S. Chrysost. homil. 78. in Matth.

Possidon. in vita S. Augustini. c. 27.

Climach. grad. 6. In Breuiario Rom. 21. Iulij.

III.

Neque opinandum est, id alterum nolle, si Deum atque æterna seriò amet; cum etiam ingratum fuerit ijs, qui iam defuncti erant, ad vitam reuocari. Narrat Ruffinus Mutium miræ sanctitatis Abbatem, vt ad discipulum moriturum longè absentem posset peruenire, solem, instar Iosue, stitisse; *cúmq; inuenisset eũ iam defunctum, oratione facta, osculatus est eum, & ait: Quid magis desidery habes frater, abire & esse cum Christo, an permanere in carne? Tunc ille, recuperato spiritu, paululum resedit, & ait ad eum: Quid me reuocas Pater? Melius est mihi redire, & esse cum Christo; permanere autem in carne mihi necessarium non est. Cui dixit: Dormi ergo in pace, fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans se in lectulo obdormi-*

Ruffinus in Vitis Patr. lib. 2. c. 9.

dormiuit. Pari modo Marcellum S. Fortunati Episcopi Tudertini precibus à morte suscitatum memorat D. Gregorius, ingemuisse & dixisse: *O quid feciſti? ô quid feciſti?* Neque aliter ad vitam reductus ingemuit S. Saluius Episcopus, vt copiosè refert Gregorius Turonensis. Eiuscemodi exempla extant complura, è quibus constat, Deum amantibus mortem vitâ fuisse gratiorem; idque non tantùm, quia, per mortem, hac vitæ molestia liberatis, ad pacem ac quietem via est, qui esset amor concupiscentiæ; sed præcipuè, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt nõ ita possit cælestia cogitare, sed ad corporis necessitates & concupiscentias deprimatur; in cælo autem his vinculis libera Deum purè & cõtinuò potest amare; qui est amicitiæ amor. Ob quem etiam, si necesse est, sancti parati sunt, diutiùs inter homines, propter homines iuuandos, vitam trahere. Vnde, teste Possidonio, laudare solebat S. Augustinus sententiam S. Ambrosij è vita discessuri, qua suis flentibus ac rogantibus, vt à Deo longiorem posceret vitam, respondit: *Non sic vixi, vt pudeat me, inter vos, viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Nempe, ad vtrumq; paratus, noluit vitam precibus prorogare, vt eam, cum meliore vita, commutaret.

S. Greg. l. 1. dial. c. 2.
S. Greg. Turon. lib. 7. Franc.
Possidon. in vita S. Augustini. c. 27

IV. Neque idcirco putandus est Christus vel iniuriam, vel molestiam intulisse ijs, quos à morte ad vitam excitauit; vt cùm Iairo principi Synagogę filiam, & viduę filium, ante ciuitatem Naim; ac sororibus fratrem Lazarum; illam domi & de lecto; illum foris, & de capulo; istum in campis, & de sepulchro reddidit: item quando *monimenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Tunc animæ horum excitatorum nondum Dei visione fruebantur, facilè igitur vel è limbo Patrum, vel è Purgatorio, se ad corpus retrahi passæ sunt, vt vel hîc satisfacere, vel merita sua possent accumulare. Quod etiam de ijs, qui in veteri Testamento, reuixerunt, dici potest; & de ijs quoque, quos alij sancti, in nouo Testamento, precibus denuò animauerunt. Certè, quos constat, è Purgatorio redijsse, libenter, in hac vita longis annis varios labores ac cruciatus sustinuerunt, vt pœnas alterius vitæ exhaurirent. Nulli cælo addicti in vitam mortalem sunt restituti. Ad paucos dies, immo horas his restitui, esset graue: & mallent vtiq; denuò mori, quàm consortio carere beatorũ.

Luc. 8. 5.
Luc. 7. 11.
Ioan. 11. 43.
Metth. 27. 53.

V. Ex quibus omnibus duo deduco, Primum, posse, sine in-

iuria,

iuria, vnum amicorum aut sociorum, pro altero orare, vt Deus eum citò, ex hac misera vita, ad alteram felicem educat, & secum in cælo beatum faciat. Si enim id pro se, quem amare arctiùs obstringitur, facere potest, cur non etiam id possit pro altero? Dummodo ex vero, & non simulato, amore, aut odio, id faciat. Noui, in celebri Germaniæ ciuitate, arcularium, qui vulgò probus & vxoris suæ amans esse putabatur. Is lue, cum vxore sua, correptus ad extrema perductus, anima iam fugiente, audiuit, vxorem suam iam esse extinctam: quo nuncio lætus dixit: iam & ego libens moriar, postquam certus sum, me illam, post me, non relinquere, dudum dignam mori. Dixit. & ipse mox secutus, nescio, quam dicti sui mercedem reportârit. Alio fine sancti alijs mortem vel optant vel orant. Quamuis rarissimè; cum pronum sit cogitare, eos vtiliùs ad laborem laborisque præmium, in hac vita superesse: nec manus inijcienda sit sceptro supremi Gubernatoris, cuius prouidâ dispositione fortasse tales adhuc *Plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei nostri florebunt, & adhuc multiplicabuntur in senecta vberi; & benè patientes erunt, vt annuncient* laudem omnipotentis. Psal. 92. 13.

V I.

Alterum, quod deduco, est: tametsi Deus, perinde iustitiæ ac amicitiæ fautor, subinde exaudiat iniurijs ita pressos, vt alios non iam secum triumphaturos, sed, ante diuinum tribunal, disceptaturos, ad vallem Iosaphat, aut Dei iudicium particulare, citent; non tamen exaudire eum illos, qui charitate destituti, ita cum alijs agunt, vti secum agi non vellent. *Voluntatem timentium se facit.* Qui autem charitate proximi destituuntur, Deum non timent. Neque sanè vllus vellet iniustè ipse vel ad ciuile tribunal, ne dum ad diuinum, vocari. Ergo qui iniustè alios ad hoc vadimonium venire iubent, non solùm grauissimè peccant, dum alijs faciunt, quod ipsi sibi fieri nollent, atq; eos, quos citant, tanquam innocentiæ oppressores, iniquissimè suggillant; sed etiam à Deo non exaudiuntur; ex odio enim aut iniusta vindicta alios volunt è vita expelli; stultéque arbitrantur, Deum cæco furori mendaciisque calumniantium cooperaturum. Aut certè sperant, hoc pacto, citatos minaci terrore vsque ad lethalem tristitiam concutiendos. Potest enim tam proterua citatio nonnullos meticulosos, & vel vmbram timentes, ita potenti terrore percellere, vt, ex ipso metu imaginationéque mortis, in morbum & mortem prolabantur. Psl. 144. 19.

labantur. Panicus quidem & vanus est timor, sed multos, si non omnino occidit, saltem vehementer angit.

VII. His talibus inculcandum est, Deum odio alterius aut falsitati non patrocinari. Itaque si ex æquo vel fecerunt, vel iudicauerunt; si constat de facti aut sententiæ, ob quam citantur, iustitia; possunt meritò eiuscemodi citationem nihili facere. Deus iustus est, cuius oculus omnia videt, nouítque, qui sint nocentes vel innocentes. Deus supremus iudex est, cuius vice iudices ceteri funguntur. Præmium ergo ab illo, non supplicium debent expectare, qui, in tali casu, aut innocentes sunt, aut iustè iudicauerunt. Itavidi à quodam Religioso Superiore rideri & contemni, cum à podagrico valdéque impatiente Religioso (cui vinum negauerat vtique nociturum) in vallem Iosaphat citaretur. Adeò nihil effecit ea citatio, vt ægrotus, quantumuis podagricis pedibus, tamen ferè triginta antè annis, cucurrerit ad diuinũ tribunal. Principem quoque noui, qui à compluribus sagis, quas rogo iustissimè addixerat, ad Dei iudicium nequicquam est inuitatus. Arserunt sagæ, Principi nihil mali euenit. Idem feciſſe legitur magnus ille militum Imperator Gundizaluus Ferdinandus de Corduba: *qui, cũ Tarentum obsidens maleficum quendam seditiosumq;* inquit Iouius, *militem ad supplicium duci iussisset; illéq; multum reluctatus se iniquissimè damnari vociferaretur, & proinde Gonsaluum ad dicendam caussam ad Dei maximi tribunal, magna voce, citaret: Vade, inquit, Gonsaluus, festináq; confisus optimo iudici, & caussam instrue. Nam ibi, pro me aderit, qui opportunè respondeat Alfonsus frater; qui nuper ex Serra vermegia, in cælum contendit. Tum enim Gonsaluo nunciatum fuerat, fratrem à Mauris circumuentum, dignam forti pióq; duce mortem oppetiisse.* Ad horum exemplum, quisquis est innocens, potest meritò spernere temerarios prouocatores. Non sunt audaces isti Leontisci, apud Deum, tanti, vt, ad illorum arbitrium, forum agat. *Voluntatem timentium se facit*; Deum timentes, nihil mali petunt, aut dictant.

Iouius in vita Gonzalui.

Ps. 144. 19.

Mali homines non sunt boni
Dictatores.

CAP. XXXIX.

CAPVT XXXIX.

Ob eiuscemodi citationes à Deo exauditas, magno diuinorum iudiciorum metu affici debere alijs iniurioſos, cuiuscung; ſtatus aut conditionis ſint.

VT etiam exemplum faciat Deus, & grandes grandium iniurias, ſimilis exitus metu, refrænet, ſæpe preces & vota citationésque exaudit eorum, qui vel à Principibus aut iudicibus iniuſtè damnati, per vim, ad mortem trahuntur, vel atrocem calumniã patiuntur, à qua eos alius nemo defendit. Itaque, intra condictum certum tempus, aliqui ita citati è vita extruduntur, iudicij ſui iudicium ſubituri; qui alioquin adhuc diu ſuperuixiſſent. Longanimis quidem eſt Deus, & dormire multis videtur, ſed ſæpe etiam repentè, & in furore, arguit peccatores; præſertim cum innocentia iuſtitiáque oppreſſa ad eum de terra clamat. Qua de cauſſa Pſaltes ait: *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Pſal. 4. 2. Et multi ſunt, qui vim paſſi Dei manum, non irritis votis, inuocauerunt, atque idcirco, nunc, in cælo, canunt: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua*, inter quæ eſt illud: *Quoniam feciſti iudicium meum & cauſſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* Pſal. 9. 5. Nam quia iudices ſæpe vel ignoratione errant; vel affectu præcipitant ſententiam; vel dubia pro certis arripiunt; vel probabilem contrarij metũ diſſimulant; meritò & ipſi à ſupremo omnium Iudice Deo, cum iudicijs, iuſtitiísque ſuis, iudicantur; atque extra ordinem plectuntur, qui alios, contra ordinem, tyrannica crudelitate puniuerunt. I.

Huius rei, præter ſuperiùs commemorata exempla, vtile erit & alia recenſere. Atque vt, modò dicto militi reo, militem innocentem opponam, narrat Guilhelmus Ferdinandus ab Effrem de Germano milite, iuuene, ſi ætatem ſpectes; ſi ingenium, faceto; eum, cum horâ conſtitutâ, ad excubias vocaretur; inmilitum corona ſtantem, per iocum, dixiſſe: *Redeunt ad nos excubiæ, vtinam pecuniæ nuncius rediret!* Quàm multis iocari capitale fuit! Neque enim animus dicentis & auris audientis ſemper ſolent conſentire. Adfuit ergo, inter commilitones, etiam tribu- II. Gulielm. Ferdin. ab Ephrem. in Manuali Politico. lib. 5. part. 3.

norum aliquis, qui exceptum hoc verbum, tanquam seditiosum, ad archistrategum retulit. Concilium illico vocatur. Trahitur in crimen vox ioco prolata. Censetur miles tumultũ facere voluisse. Capitur. torquetur. capitis damnatur. Non illum excusatio, non iñocentia iuuat. Ergo videns nihil prodesse, quidquid obtenderet, qdquid obtestaretur; ineuitabili iam morte, vociferari incipit & magnis clamoribus Capitaneum citare, præsentíque diem dicere. *Post tres hebdomades*, inquit, *hac ipsa noctis hora, reddes Deo iusto rationẽ, de sanguine meo.* Sed quasi ventis locutus esset, ita neglectus, hora noctis duodecima, strangulatus, orto die, ad terrorem reliquorum, cum titulo seditiosi in præcordijs affixo, expositus est. Ex ea hora Capitaneus consternatus, semper in metu vixit. Elapso termino hebdomadum, ipsa rursus hora duodecima noctis, exijt domo, ad excubias visitandas, ac, ferè in puncto temporis eiusdem, è ponte nauali lapsus, submersúsque docuit, neque in bello quidem, vbi disciplina seuerior necessaria est, nimis præcipitandum.

III. Æneas Syluius Europeæ histor. c. 43.

Quod militiæ Duci accidit, idem etiam alijs ducibus euenit. Britanniæ Armoricæ Franciscus Dux præfuit, qui reducem ex Anglia fratrem Ægidium læsæ maiestatis falsò accusatum, incarcere, barbara immanitate, interemit. Non habuit frater quò confugeret, nisi ad Deum, ad quem prouocauit; effecítque, vt Dux Franciscus, intra breue tempus, de medio sublatus, neque vitam, neque principatum retineret. Nam paulò ante mortem adiurauit vnum è Franciscana familia Patrem, vti iret, fratríque Duci renunciaret, intra diem quadragesimum, ei, coram summo iudice Deo, caussam esse peragendam, ac proinde se sisteret. Franciscanus mandato obsequens, ad Ducem, in finibus Normanniæ, morantem profectus, fratris mortem & prouocationem denunciauit. Ea denunciatione Dux territus, illicò malè habere cæpit, &, crescente in dies morbo, ad condictum diem, expirauit. Scilicet, ô Deus, *tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti*, contra fratrem Esau olim, nunc autem, pro fratre, contra Franciscum Ducem; non solùm dum *parasti directiones*, hoc est, leges contra homicidium, rectissimas, & ad hominis dirigendos mores, crudelitatémque reprimendam, aptissimas; sed etiam dum contra eundem transgressorem *iudicium & iustitiam* apertissimam exercuisti; neque in annum quidem integrum distulisti. Nimirum etsi ad tempus patiatur Deus innocentes affligi, cædi, occidi: non

Psal. 98. 4.

obli-

obliuiscitur tamen impiorum, quos sæpe, in terris, sæpe etiam, in futuro seculo, plectit. Hoc iudicium, altè cordi imprimite, ô fratres, inter quos sæpe æmulatio parit dissensionem, dissensio exitium; sicut & concordia incrementum. Siquidem, vt Poëta cecinit:

Non caret effectu, quod voluêre duo.

IV. Addo huic Duci alterum Ducem, non iam cum fratre, sed cum hoste, immitiùs agentem. Genuensium triremes, è Liguria, aduersus piratas, emissæ, biremem Gothloanam ceperunt aliquando. Ibi victoriâ insolentes, gubernatorem biremis, extra Drepanum, in ignominiam Siculorum Gotholanorúmque, nocturno tempore, in furcam suspenderunt. Ille, vt vitam conseruaret, ad preces se dimisit; excusationes obtendit, nihil vnquam se Genuensibus nocuisse, protestatus. Omnia frustra. Vt ergo tandem intellexit, plus odium gentis, quàm æqùitatem, apud Genuensem trierarchum, valere, iussit illum, se sequi, atq; intra sextum mensem, ante diuinum tribunal, comparere, vt inhumanitatis tantæ rationem redderet. Audijt Deus vocantem; & condicto tempore, Ligus diem iudiciúmque suum, obijt. Scilicet neq; in hostem est Lemnia manu sæuiendum; qui etiam victus ab homine, vt homo, est tractandus. Fulgos. l. 1. c. 6.

V. Addo & tertium Ducem. Nam auctor est Ioannes Pauli, Rudolphum Austriæ Principem, Equitem Auratum damnasse vt culleo insutus mergeretur; Equitem autem, conspecto Duce, exclamasse: *Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal, intra annum te voco*: cui ille, cum sarcasmo, irridens responderit: *Benè, præito; ego tum adero.* Vertente anno, Dux in febrim incidens appellationis recordatus, seruos affatus dixit: *Tempus mortis meæ instat, & ad iudicium eundum.* Dixit. & vixit. ostenditque, in hac curia, etiam sine vadimonio, non irritam esse vadationem.

VI. Suppetunt & Regum exempla, quibus docetur, innocentum citationes sæpissime non esse irritas. Tradunt Ritius & Mariana, Ferdinandum III. Legionis & Castellæ regem mandasse, vt duo è Caruaialiorum familia, fratres Petrus & Ioannes, ambo nobiles, inauditi, tanquam perduellionis rei, & ob meram suspicionem, è turri, vel rupe formidandæ altitudinis, præcipites iacerentur. Hi duo neq; testibus, neq; alijs probationibus conuicti, obiectum crimen constanter negauerunt. Sed quia nihil effecerunt, Ritius l. 3 de regib. Hisp. Mariana in Hisp. Annal. lib. 15. c. 11.

negando, innocentiâ freti, tandem ad diuinum iudicium appellârunt, regíque iusserunt denunciari, vt inibi se, ad tricesimum diem sisteret. Non est personarum acceptor Deus; sed omnibus idem. Perinde regem iudicat, ac plebem. Itaque & Ferdinandus, rex animi securus, cum contra Mauros, in castra abijsset, morbo statim tentatus Giennium concessit, atque 7. Idus Septembris, hoc est, ipso postea tricesimo à supplicio Nobilium die, repentinâ morte sublatus & in lecto mortuus repertus est, in ipso ætatis flore; annos natus non plures, quàm viginti quatuor, menses nouem. Quo Dei supremi regis iudicio intellecto, proceres & populus rectè dicere potuerunt: *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est: & honor regis iudicium diligit. Magnum nomen*. quia magni Dei; *terribile*, quia potentissimi regis & reges ipsos iudicantis; *sanctum* quia iustissimi iudicis. Siquidem regia sanctitas dignitásque id exigit, vt rex iudicium diligat; hoc est, vt personam non respiciat, siue ea è stabulo, siue è throno prodeat; vt non dissimulet crimen timore; nec furore exaugeat; vt denique amore iustitiæ conseruandæ iudicet; quod non semper in alteram vitam differt, vt doceat etiam vicarios suos rectè iudicare.

Psal. 98. 3.

VII. Venio à purpura ad purpuram, hoc est, à Regibus ad Cardinales. Nam Anno 1154 Friderico Ænobarbo imperante, Henricus Moguntinus, vel, vt alij volunt, Wormacienſis Præsul, falsò, &, per calumniam quasi ad Pontificium inidoneus, Romæ accusatus; Arnoldum misit ad calumniam, diluendam: quam nequam aduocatus magis accendit, corruptósque nonnullos, ad se traxit. Igitur innocens Henricus, à duobus Cardinalibus, quos Pontifex Eugenius III. ad caussæ cognitionem delegauerat, iniustè damnatus & abdicatus est, ipso Arnoldo ambitioso calumniatore, in locum eius suffecto. Henricus exinde mœrore confectus his postremùm verbis iniquos iudices appellauit: *Iniustè iudicastis. Appello igitur ad IESVM Christum æquissimum iudicem; ibi respondebo. venite.* Rem tam seriam illi ioco eludentes, *Cum præcesserit*, aiunt, *nos sequemur.* Nemo se tanti facere debet, vt cum Deo audeat iocari; aut à se oppressam iustitiam contemnere. Sera subinde, sed certa est vltio. Siquidem & hi Cardinales, sibi ipsis ludendo vates, Henricum reuera sunt secuti. Henricus enim, post annum ferè & dimidium, fato concessit, Morte illius audita, purpurati

Conrad. in Chronic. Moguntino. & I. Lipsius lib. 2. Monitor. polit. c. 11.

purati illi Patres veterem iocum repetentes dixere: *Ecce præcessit, nos sequemur.* O miserè iocosi iudices, non iocum, sed vaticinium vestrum repetiuistis. Est, qui audiat iniustè oppressos, Deus. Est, qui iudicia vestra vnam tantùm aurem, & linguam accusantium duntaxat sequentia iudicet, maior iudex. Quamobrem funestum vobis iocum fuisse, euentus docuit. Quippe, vna vos dies ambos morti obiecit, vt author est Nauclerus; nec morti modò subitæ, sed etiam infelici ac miseræ. vnus enim, velut rabie actus, digitos proprios arrodens; alter. Arrij morte, in latrinis fœtentem animam efflauit. Ita *contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoq; dijudicat*: & diuina iustitia, nec purpuras veretur, nec tiaras. Ita Altissimus summos etiam vertices sub se habet. Neq; regias tantùm, sed etiam Imperatorias coronas iudicio arcessit, *qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.* Prou. 18. 18. Iob. 34. 19.

VIII.

Transeo igitur rursus à Cardinalibus ad ipsos Imperatores, qui, cum peccant, Deo soli peccant; nec enim alium, interris, nisi illum formidant. Narrat igitur Petrus Damiani, vir valde sanctus & Cardinalitiæ dignitatis scriptor, Othonem I. Imperatorem Romanum, ab Antistite Moguntino Guilielmo (qui filius eius fuerat) propter initum, cum Adelaide, coniugiũ, Christianâ Apostolicáque libertate, grauiter admonitum, ægrè tulisse; atque eapropter comprehensum in custodiam compegisse. Filius vi oppressus Othonem parentem, ad Numinis tribunal, summum iudicem interpellans citauit his verbis: *Die sancto Pentecostes, autè Dominum IESVM iudicem nostrum, vterq; comparebimus, & de capite causam dicemus. Vter noster æquitatis lineam transgressus sit, diuinum pandet iudicium.* Neque effectu caruit citatio. Quippe nonis Maij, hoc est, ipso tunc festo Pentecostes, Otho Imperator, in Saxonia, repentina inualetudine extinctus, ad iudicium adductus est, vbi eum filius Guilielmus, & ipse paulò priùs humanis rebus ereptus, expectauit. Nimirum & parentes in sobolem possunt esse iniqui, & Cæsares in subditos iniusti, immo & in non subditos. Sed in diuino prætorio idem ius est filio, quod patri; eadem Dice inferiori, quæ superiori. *Ideò viri cordati, audite me; absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum, restituet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.* Cæsarem posuit iu- Petr. Dam. l. 2. epist. 15. Baron. An. 973. aliter sentit. Iob. 34. 10.

dicem reliquorum, in causſis ciuilibus; ipse Cæsaris est iudex, in
Apoc.17.14. omni causſa, *Quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum.*

IX.

Isa. 5. 16. Immo vsque adeò, Isaiæ testimonio, *Exaltabitur Dominus exercituum, in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia*, vt, si vel ipsorum Maximorum Pontificum aures iustissimis defensionibus obstructæ sint, ipse audiat, ad cælum vociferantes, *Innocentes se accusari, damnari, mactari.* Nam, vt non repetam, quod de Clemente V. & Innocentio IV. supra recensui, annotauit Fulgosus, equitem Neapolitanum ex Templariorum ordine atque cœtu vnum, cum alijs Sodalibus suis, vltimo supplicio addictum, ad Clementem VI. & Philippum Pulchrum Franciæ regem, supplicij sui authores &, è feneſtra, spectatores, exclamasse: *Quando mihi, inter mortales, nullus tam superest, ad quem appellem; ad iustum iudicem Christum, qui nos redemit, appello, vt ante eius tribunal, intra annum & diem, vos sistatis, vbi causſam meam exponam.* Intra id tempus, vterq; præmatura morte abreptus in diuinum ius ambulauit. Et Clemens quidem repentè mortuus est, Philippus autem, non multò post, habuisse etiam se mortem in procinctu, sensit Neque calculus temporis huic historiæ obstat, cui Meierus, Christianus Massæus, & alij consentiunt, qui Papam & regem eodem Anno 1314. tradunt obijsse, illum 20. April. hunc 29. Nouembris. Nimirum non vanè, per Isaiam, dixit maximus iudex: *Hos, qui iudicauerunt te, ego iudicabo.*

Supra cap. 32.n.7. Fulgosus l.1.c.6 Meierus l.2. Annal. & l. 17. Chron. Massæ. Onuphrius in PP. Roman. historiæ. Vide Martinum Delr. lib.4. Disquisit. c. 4.q.4.sect.1

Isa. 49. 25.

X.

Psal. 2. 10. Hinc discite, *& nunc, reges, intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.* Subijciuntur vobis etiam innocentes; si eos opprimitis, si iniustè iudicatis; habent alium iudicem, ad quem appellent; cui vestra & illorum vita, iuxta est. Itaque *id, quod iustum est, iudicate*; neque sperate, iudicium de vobis diu procrastinandum; aut mortem adhuc multùm distare. Deus *voluntatem timentium se facit*, & exaudit orantes: *secundùm multitudinem impietatem eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te, Domine.* Expellendi sunt è vita, nec digni, quos terra portet, qui tanta iniquitate eam contaminant impiántque, & Dominum irritant. Parcite cachinnis; seria nimis res est. Agit Deus causſam suorum. Nec moras vobis promittite; in foribus est vindicta; adeò vt supremus arbiter etiã annum, etiam mensem, etiam horam sibi, de iudicio exercendo, præscribi sinat. Quid vos ipsos decipitis? eadem sæpissime sunt, citantis & citati momenta. De Ioanne Tursone, in Gothia iudi-

Iob 6.29.

Ps.144.19.

Ps.5. 12.

cium

dicium iniquum administrante, Olaus ita scribit: *Quendam capite plecti iusserat. Is genibus innixus, en morior iniustè,* inquit, *téq; voco, hac hora, ante tribunal Dei, vt respondeas, cur me innocentem morti condemnes. Vix autem miser carnificis manu obtruncatus fuerat, cum etiam iudex de equo corruit exanimis.* Quàm verè Siracides dixit: *Deprecatio pauperis, ex ore, vsq; ad aures Dei perueniet, & iudicium festinatò aduenier illi:* si illi, ergo & aduersario illius. Vnum enim est iudicium rei & actoris. Olaus l. 14. histor. Aquilon. c. 20. Eccli. 21. 6.

XI.

Meminerint oppressores isti, Deum Iudicem non solùm summum, sed etiam optimum, iam dudum hanc de se parabolam dedisse. *Iudex quidam erat, in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me, de aduersario meo. Et nolebat, per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Luc. 18. 2.

Satis erat, si cum iusto & clemente iudice se comparauisset; nunc, si vidua iudicem ferocem, *qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur,* tamen exorauit; quid innocentes de tam iusto & benigno Deo non poterunt sperare, aut impetrare? *Multùm valet oratio iusti,* & tantùm, vt ipsi Gubernatori orbis quodammodo manus injciat. Nam etsi firma sunt decreta Dei, vbi tamen hominis interuenit oratio, decreta sua definere & velut abrogare decreuit, cum ea, hac lege, atque conditione temperata sint: *Faciam, nisi obstet oratio, nisi intercedat pœnitentia* &c. quam, quia vidit intercessuram, absolutè decreuit, in tali casu, à priore illo conditionato decreto desistere; & vel ordinarium etiam Mundi cursum interrumpere. Ita decreuerat, ob peccatum Dauidis populum, contra voluntatem Dei, numerantis, próque ipsius populi delictis, peste populum, trium dierum spacio, depopulari; videns autem plagam, illam magnam, primo statim die, illorum trium dierum, vt obseruat Nicolaus de Lyra, arámque & sacrificium ac orationem Regis pœnitentis intuens, duos de pœna dies remisit. *Et ædificauit,* ait scriptura, *ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica; & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab* Iac. 5. 16. 2. Reg. 24. 25.

ga ab Israël. Tres dies assignauerat Dominus ad plagæ illationem; sed oratio & sacrificium Dauidis Domini sententiam reuocauit. Quod etiam oratio Ezechiæ effecit. Iam protulerat Deus mortis
Isa. 38.1. sententiam, sed vitam adhuc rex sibi exorauit. *Hæc dicit Dominus*, ait Isaias: *dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: tunc conuersus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum est illico verbum, ad eundem Prophetam: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciam, super annos tuos, quindecim annos, & de manu Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Tanta est vis orationis, vt per eam Ezechias sibi, Dauid ingenti hominum numero, vitam prolongârit; etsi Deus oppositum decreuerit facere, idque decretum, lata sententia, confirmârit. Terreni Principes decreta semel emissa inuiolabilia volunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus sinunt ea infringi. Non ita inexorabilis est Deus, cuius decretum ac sententiam vnius hominis oratio potest reuocare.

XII. Quin adeò multùm valet deprecatio iusti, apud Deum, vt quodammodo Deo imperare, & in naturæ ipsius legibus dispensare videatur. Si gubernatore ciuitatis vigilias obeunte, ei qui facem præfert, miles quispiam diceret: Heus tu, siste gradum, & lumen mihi suppedita, donec de inimico meo me vindicem; an non miraremur audaciam? quid enim hoc aliud esset, quàm præcipere ipsi gubernatori, vt expectet, & se duellantem adiuuet? Ita supremus ille totius creaturæ Gubernator, assiduè Vniuersum hoc, sua prouidentia, circuit. Sol autem, tanquam fax, fertur, non quòd ipsi lumine hoc opus sit, sed vt se cuncta videre declaret. Iosue igitur generosus ille miles, contra Chananæos, pugnaturus,
Iosue 10.12. ausus est exclamare: *Sol, ne mouearis, contra Gabaon.* Quid est hoc aliud, quàm Soli simul ac Deo præcipere, vt cursum suum & totius vniuersi sistat? nam, sole stante, vtique etiam luna & stellæ, atque cælum omne substiterunt, ne debita Mundi symmetria perturbaretur. Enimuerò *stetit sol, in medio cæli, & non festinauit occumbere, spatio vnius diei: non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Quid cupimus amplius? *in diebus*
Eccli. 48.26. Ezechiæ, etiam *retro rediit sol.* tres pueri, in fornace, orando ignem refrigerauerunt. Daniel, in lacu, orando leones mansuefecit. Apostoli, alijque Sancti orando mortuis vitam reddiderunt. Denique ni-

que nihil est, quod orando innocentes, apud mitissimum suum Iudicem Deum, non possint impetrare.

XIII. Quid hac digressione autem, me velle demonstrare putatis? Nempe illud, tametsi alioqui naturæ vires multis tantæ essent, vt adhuc longam ætatem possent prouiuere; tametsi etiam ipse naturæ author vitam illis longiorem largiri voluisset; tamen vitam eorum abrumpi, vt non dimidient dies suos, contra quos orant iniustè passi, iniustéque, à iudicibus, magistratibus, aut principibus damnati. Exaudit Deus suos: inimicos autem suorum *deducit in puteum interitus.* Vnde sequitur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et cur non exaudiret orantes, quemadmodum D. Bernardus vir patientissimus alioqui & mansuetissimus orauit? Orauit autem ille quoq; his verbis aliquando: *Tuum, Domine IESV, tribunal appello; tuo me iudicio seruo; tibi committo causſam meam. Domine Deus Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda: cuius oculi, sicut fallere nolunt, ita falli non possunt. Itaq; arbiter meus, Domine IESV, de vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant æquitatem; videant, & iudicent.* Illi ergo ipsi, quibus amara est memoria mortis, qui semper in his terris optarent viuere, caueant, ne alios cogant ita orare, & illos ad diuinum tribunal, ex hac vita, ante terminum & tempus, à natura, ab ipso alioqui Deo concessum, euocare. Esto iudices, esto Duces, esto Principes, esto Cardinales, esto Imperatores, esto summi Pontifices sint; *Tros Rutulusue fuat, nullo discrimine habebit,* qui non personas, sed acta solet ad censuram vocare, Deus.

Pſal. 54. 23.

S. Bernard. ep. 1. ad Robertum.

XIV. Hæc dum ita disputo, scitis quorum peculiariter animis incidat metus tacitus? Conscientia similis culpæ, parem exitum formidat. Certè si, qui paria antehac ausi sunt, non habuêre pares citatores; tamen paria ausuri in metu esse debent, ne & illis Deus iratus vitæ filum incîdat. Quinam ergo ex hoc censu sunt? Ex enumeratis historijs id possumus cognoscere. 1. Qui, Saulis instar, æmulatus agunt, &, ob virtutis excellentiam, Dauides suos volunt habere occisissimos. 2. Qui beneficiorum immemores, sicut rex Ioas, Zachariam interficiunt (hoc est, eum, qui ab impietate dehortatur) & filios eorum, quorum benignitate ipsi viuunt. 3. Antiochi iniqua imperantes, & tormentis perdentes eos, qui iniqua exequi recusant. 4. Alexandri à fide deficientes, qui eos violentissimè persequuntur, à quibus, in fide, & omni genere dis-

Supra c. 32. 1. Reg. 24. 13

2. Paralip. 24. 23.

2. Machab. 7 17.

2. Tim. 4. 15.

ciplinarum, sunt eruditi. 5. Qui Bennoni, qui alijs Ecclesiæ Præsulibus, qui ipsis Ecclesijs sua eripiunt, nec verentur Dei seruis colaphos infringere, atque ora illa sacrilegè contundere, quibus docentur, Deo danda & restituenda, quæ Dei sunt. 6. Qui Gualteros, qui Robertos, viros doctos, & innocentes, in gratiam calumniatorum, & eorum, qui iugum omne legum ac obedientię executientes, quiduis, contra Superiores, confingere non verentur, inauditos iudicant, damnant, exauctorant. Apud quos vilissimi adulatores plus valent, quàm aliorum sinceritas & iustitia. Qui denique, quantum quidem penes illos est, notæ alioqui, & probatæ virtutis viros sepeliunt, vt Trossulis suis locum faciant regnandi. Et ferunt isti Gualteri æquo animo, quod ferunt: sepulchro tamen illorum inscribitur: AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Non possunt enim isti minimè Innocentij, & minimè Clementes iudices à se pressorum, sine stimulo conscientiæ, meminisse: quoties præcipitatæ sententiæ suæ recordantur, vident ab ea AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLARI, damnatúmque innocenter, vel de tenebris suis clamare: VENI, MISER, AD IVDICIVM. 7. Agrestij, qui ipsis mortuis, de quibus bene loquendum est, ipsis Diuis non parcunt, & tunc demum eorum nomen subhastant, quando se iam ampliùs defendere non possunt. 8. Qui ipsi Deo non seruiunt Deóque seruire cupientes, cum Leodiensi Præposito, ex ipsis monasterijs retrahunt. 9. Qui Menuercos religiosam disciplinam restaurare nitentes contumelia affectos reijciunt. Neque enim, inter ipsos quoque Religiosos desunt, qui vadimonijs eiuscemodi digna perpetrent, vt Monachi illius exemplo est comprobatum. 9. Belli Duces, qui etsi magnam habent potestatem, ac sæpe etiam seueritatis necessitatem; tamen si homines, tanquam bestias habeant, si, pro quouis verbo, arbori infelici milites suspendant, scire debent, etiam militum à Deo haberi rationem. 10. Tametsi priuati quoque homines, vti iniurias possunt irrogare non priuatas tantùm, ita mereantur sæpe ad diuinum tribunal inuitari; tamen sæpius publici iudices, Principes, Reges, & summa capita, ob summam potestatem, summa iniuria afficiunt subditos; à quibus, cum ad superiorem, in terris, non possit prouocari magistratum, vltima via est, vt ad Deum prouocetur. Hi ergo omnes, nisi iustitiam discant moniti, quotquot subditos indignè opprimunt, tot metuere debent, prouocatores.

Sed

XV.

Kranzius lib. 13 Vandaliæ. c. 2.

Sed placet, coronidis loco, subnectere aliud paradigma, quoniam ad hæc tempora peruentum est, vt nulla sufficiant exempla vitijs dedocendis. Ordinis Teutonici Magister, diuersos ab officio & dignitate mores amplexus, videri castus, quàm esse malebat. Nomen illi, apud exteros, erat splendidum, sed inclusas eius libidines, qui paulò propiùs accedebant, intuebantur. Quas ipsas tamen vt velo tegeret, amores suos, iuueni mercatori conatus est in matrimonium dare. Iuuenis honestatis amans, quia nolebat coniugem alij communem habere, nuptias excusauit. Timebat enim sibi à nuptiarum conciliatore, à quo sciebat futuram vxorem, eò vsque, inter charas habitam. Repudium hoc, pro exprobratione, interpretatus est Dominus, cui insuper bilem in nasum cociuit, spem se mantelúmque nequitiæ suæ tegendæ amisisse. Iuuenis igitur, dum biuiram à se amolitur amorésque Principis, odium sibi parat & exitium. Dum enim tacitè quidem, sed vehementer tamen, exæstuat in innocentem, Domini animus, tandem rationem reperit se se vindicandi. Ait eum furem esse. Atq; vt accusatio colorem habeat, furti locum, tempus, modum nominat. Injciuntur iuueni manus, & quia Principi creditur, etiam laqueus. Nec ignorauit Mercator, caussam fictam, in iudicio, explicari, veram occultari; noluit tamen ipse, quod res erat, promere; satis illi fuit, deprecari mortem. Quod sanè, oratione luculenta, fecit. Et docuit innocentia eloquentiam. Vtque nihil ad artem pertinens deesset, etiam lachrymæ accesserunt. Sed obstinauerat Princeps, quem neque oratio flexit, neque fletus emolliuit. Quid faceret iuuenis, hac tam viridi ætate, moriturus? Ad vitæ authorem cõfugit, ac innocentiæ defensorem Deum. Iam ducebatur, nec procul à morte aberat, cum repentè Stentorea voce exclamauit: *Iniuriam patior, iniustè sum damnatus. Ad aliud iudicium appello, ad omnipotentis iudicium prouoco: ibi, qui capitalem in me sententiam tulit, post decimam tertiam diem, sententiæ suæ reddat rationem.* Hoc iuuenis fuit testamentum, hæc vltima voluntas: immo & verba vltima. Nam mox, collo in restim indito, è scalis deiectus, pependit. Citationem hanc Teutonicus Magister, cum risu, spreuit. At vbi lux tertia decima orbi est reddita, repentino morbo obrutus, in has voces erupit: *O me miserabilem hominem! ecce è vita ejcior. Hodie mihi caussa dicenda est, apud Iudicem omnia scientem.* Hoc vltimum dixit, postea obmutuit: atque vt se sibi vatem fuisse ostenderet,

deret, illo adhuc ipso die ad diuinum tribunal, ex vita hac est exturbatus. Quod sanè Rigæ, in Liuonia, Anno Christi 1407. euenit. Porrò Sirenula illa, quæ repudio furens, innocentis necem non parum promouit, vt & ipsa Numinis iudicia redderet illustriora, ab alio mercatore, de vero furto accusata, iudicio se supplicióque fuga subduxit, fortasse vt iudicium seueriùs suppliciúmque æternum sustineret.

XVI. Quàm crebra est ista magnorum Dominorum praxis? quoties tales ab illis nuptæ ac nuptiæ prodeunt? quàm frequenter illos loco mouent, vitáque priuant, & omnibus fortunis exuunt, qui cum claros eos magis, quàm honestos esse nôrint, eorum nequitijs & impuritati cooperari noluerunt? Quot hodiéque viuerent, & eminerent, si teterrimi facinoris ministri, socij, adiutores esse voluissent? Quàm multi omnia diuina humanáque iura, nouo, inaudito, inexpiabili scelere polluunt, nefarióque patriæ se parricidio obstringunt? Quàm doctæ sunt artes, ad eos vexandos, in litem & iudicia trahendos, bonis fortunísque omnibus spoliandos, denique vel carcere, vel mœrore consumendos, qui iniquissimis dominorum sententijs subscribere detrectarunt? An non isti metuere debent, eiuscemodi innocentum prouocationes? an nõ meritò formidant pœnas, Deo hominibúsq; meritas debitásque se persoluturos? architectos constituunt, conditiones ponunt, aureos montes promittunt; absolutis autem & ad fastigium perductis palacijs, mercedis loco, litigant, & magistratui operarios obijciunt, vt non solùm nihil expendere illis pecuniarum teneantur; sed etiam, ob occultum crimen, contra fidem datam, proditum, capite minuantur. An tales ad diuinum tribunal non prouocent? Immo an tales summus rerum arbiter non exaudiat? *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere? operatus es iniquitatem.* Non plectit semper extra ordinem? at satis est, ad metum, plecti meruisse.

Iob. 36. 22.

CAP. XL.

CAPVT XL.

Prouocationes ad diuinum tribunal factas, non facilè imitandas esse.

PRolixè demonstraui, multos pios, sanctos, innocentes homines, à tyrannis, iniustè accusatos, damnatos, necatos, ad diuinum tribunal, iudices suos, non sine prodigioso euentu miraculóque, euocauisse. Demonstraui hæc, vt Deum pauperum defensorem, violentorum iudicem, Sanctorum exauditorem esse ostenderem, atque vt, ex his iustissimis Dei iudicijs, metum frænúmque inijcerem ijs, qui, quidquid possunt, audent. Haud ambigo, nonnulos fore, qui documenta à me aliò destinata, aliò deriuent, &, si tot exempla legerint Sanctorum, ea, ad imitationem proposita, esse arbitrentur. Itaque cum plausu ista excipient, & sibi summopere gratulabuntur, de reperto confirmatóque modo ac ratione se vindicandi. Quare iam nulla vetula rixabitur; nullus ciuis litigabit; nullus vel seruus, vel puer vapulabit, quin illico ad diuinum tribunal appellet. *Magna otia cæli*, si illico fieri debet, quod petunt impatientes. I.

Meritò istis dicitur: *Nescitis, quid petatis:* & illud: *Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis: vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Nam inprimis, non omnia, quæ diuino instinctu Sancti fecerunt, sunt imitanda. Deinde, quis sibi sanctitatem polliceatur? quis non falli potest, cum se se iudicat innocentem? *Nemo, in sua caussa, bonus iudex.* Amor sui vnumquemque excæcat, vt non videat rectum quod est; rectéque se putet fecisse, quando maximè deflexit ab æquitate. Quin & ira iudicium corrumpit, vt iniuriam maximam, iustam esse vindictam arbitretur. *Turbatus est à furore oculus meus*, ait ille. In Hebræo, pro *turbatus*, est, *caligauit*. Vbi quidem sensus est, oculus meus, propter furorem & indignationem meam, contra turpitudinem peccati, à fletu nimio, quasi corrosus turbatus est, & caligauit: potest tamen etiam quiuis furiosus id dicere. Non sinit enim furor hominem cernere verum. *Nam non potest iratus in seipso manere*, ait D. Chrysostomus, *sicut in fluctus surgens mare. Ita commiscentur omnia, & tanquam fons purus im-* II. Matt. 20. 22. Iac. 4. 3. Psal. 6. 7. S. Chrys. homil. 62. ad pop.

missò turbatur cæno. Quod veteres tragœdi, in Aiace flagellifero ostenderunt. Aiax enim Telamonius, ab Vlysse, in iudicio, victus, præ ira, insaniens pecora occidit, credens se Vlyssem, cum socijs, occidere. Itaq; multi iracundia odióque correpti, & velut œstro perciti, bestias pro hominibus, homines, pro bestijs aspiciunt; & non rarò innocentes iudicant esse nocentes. Cum ergo rarissimè, qui læsi sunt, non fiant iracundi, facilè accidere potest, vt alios reos atque iniurioſos existiment, quando ipsi rei sunt atque iniurioſi. Quàm malè autem isti sibi consulerent, si rei ipsi innoxios ad diuinum tribunal, vbi omnia in aperto sunt, trahere vellent, accusandi non accusaturi? Neque enim existimare debent, Dei iudicia, esse sicut sæpe sunt iudicia hominum inexpertorum, aut affectibus deditorum, apud quos, *prior tempore, prior iure* esse consueuit; & vicisse est, præuenisse, quia *fauor est primò occupantis.* Non sic iudicat Deus, cuius sententia nunquam damnat innocentem, nunquam absoluit reum præuenientem.

III. Tametsi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuinísque legibus contraria non fuerit: tametsi etiam constet, per eiusmodi exempla, diuinam mortalibus iustitiam innotuisse, Principésque multos didicisse, in subditorum sanguinem non esse desæuiendum, neque proculcanda iura: tametsi etiam mentes recti conscię atque innocentia roborentur, per talia exempla, vt diuinæ iustitię fiducia niti assuescant: tametsi etiam prohibita non sit eiuscemodi prouocatio, quæ eodem animo, ijsdémque de caussis suscipitur, quibus rex Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ animæ; Paulus Apostolus, Episcopus Benno, aliique eam Sancti vsurpauerunt: quis tamen sibi polliceri potest, non solùm eandem, cùm istis sanctitatem, verùm etiam eandem rectitudinem intentionis? Quàm citò se insinuat cupiditas vltionis? quàm facilè subrepit odium, aut alius immoderatus affectus, quo si prouocatio inquinetur, non aduersarium, sed ipsum damnat prouocantem.

IV. Non loquor hîc de illis, qui sciunt, se alios iniustè, ad vallem Iosaphat, vocare, & tamen vel malitia agitati, vel, vt innocentes videantur, citant; quos constat, citando mortaliter delinquere; quia & Deum pro iniquitatis fautore, aut certè ludibrio habent; & proximo grauiter nocent, quem, tanquam innocentiæ oppressorem, suggillant, ac iniecta vicinæ mortis imagina-

tione

tione, terrent. Non loquor, inquam, de istis tam manifestè delinquentibus: de illis loquor, qui se ipsos innocentes, aduersarios iniurioſos, nec iam, in rebus minimis, aut puerilibus, sed in maximis iniurioſos arbitrantur. His ipsis, aio, admodum esse periculoſum, si Sanctorum illas citationes velint imitari; cum ipsorũ nec comperta sit sanctitas; nec certa innocentia; nec iudicium ab errandi periculo liberum; nec sine cæco sui amore affectus; quo tenebras offundente, non possunt videre veritatem; sed vel latentem gloriam, vel tacitam vindictam sectantur. Habent illi multa alia innocentiæ suæ præsidia; habent amicos; habent magistratus; habent patrocinium veritatis, quæ semper tandem erumpit in lucem: &, si hæc desint, habent asylum orationis; habent auxilia Diuorum; habent, vno verbo, Deum; qui ait: *Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum.* Illi igitur relinquendum est officium iudicandi, diésque illa expectanda, non præscribenda; formidanda, non desideranda. Hebr. 10.30 Deut. 32.35

V.

Qua de causa Amos eiusmodi appellationes interdicere videtur, cum ait: *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ & non lux.* Dies Domini, consueta scripturæ phrasi, diem iudicij seu vniuersalis & extremi, seu singularis, quod in morte vniuscuiusque peragitur, designat. Eam itaq; diem, in vindictam inimicorum desiderantibus, *væ* intonat Propheta, qui & addit: *dies Domini ista tenebræ, & non lux*; quia obscurum, miniméque clarum est, quando futura sit; qua enim hora non putabitur *filius hominis veniet*; qui non voluit, esse nostrum, *nosse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Temerarium igitur est, sine peculiari instinctu, aut graui causa, diem certum velle nosse, &, quod plus est, alteri velle dicere, ac designare, quo sit iudicandus. In Iudicis, non in âctoris arbitrio tempus iudicandi est relinquendum. Quod se feciſse Ieremias gloriatur illis verbis: *Ecce, ipsi dicunt ad me: Vbi est verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit.* Gaudebat scilicet in sinu suo, & gratulabatur conscientiæ suæ Ieremias, iniquissimo regis Sedeciæ odio vinculis & morti addictus, quòd tyranno diem, apud diuinum tribu- Amos. 5. 18. Luc. 12. 40. Actor. 1. 8. Ierem. 17. 15.

tribunal, non dixerit, sed eum libero summi Iudicis arbitrio reliquerit iudicandum.

VI. Ad eandem patientiam nos dirigunt doctrina & exempla Christi ac Sanctorum. Doctrina enim eius non est, vt oremus, Matth. 6. 12. *Voca ad iudicium, & plecte inimicos nostros*: sed: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quo modo dimittit, qui aduersarium ad iudicem mittit? Non est hoc dare veniam, sed exigere pœnam. Aliud præceptum scripsit nobis Magister Matth. 5. 44. noster: *Diligite inimicos vestros*, inquit, *benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Citare illos ad iudicium, non est, pro illis, sed contra illos orare; non illos diligere; non benefacere, sed velle mori, sed velle illos iudicari & damnari, sed velle illis iustitiam diuinam immittere, non misericordiam impetrare. Quod etiam Apostolus gentium vetuit illis 1. Thessal. 5. verbis: *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod* 15. *bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes.* Contrarium prorsus faciunt, qui iustissimam talionis legem existimantes, non bonum pro malo, sed malum pro malo, dentem pro dente, mortem pro morte reddere, Paulo reclamante, petunt, formidando Dei decreto, inimicos suos è medio tolli, atque ad Tartareos ignes condemnari.

VII. Si quis exempla vult imitari habet sanè exempla, atque in primis ipsius Dei. Quamobrem Christus, cum dixisset: *orate* Matth. 5. 44. *pro persequentibus & calumniantibus vos, statim exemplum subiungens dixit: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Sedet, in cælis, Deus, & audit quotidie homines sibi maledicentes, impiósque dirissimè conuiciantes ac blasphemantes; & noua semper scelera excogitantes, quantúmque in ipsis est, giganteo ausu, diuinam maiestatem è cælo deripere conantes: audit ista, & videt, & patitur. Quid dico, patitur? cum habeat potestatem mittere in gehennam, &, missis è nube fulminibus, tales exterminare; sustinet illos, *solem suum oriri facit* illis, pluuiam mittit, vt terra, ad eos alendos irrigetur: nec hoc tantùm facit, sed etiam mittit illis angelos suos, qui eos in viam, atque ad æternæ gloriæ semitam reducat. Pulcherrimè aureum illud os: *At, inquies, calumniam pas-* S. Chrysost. *sus sum, & ferre iubes aquanimiter, & quo modo potero? Facillimè pro-* hom. 78. *fecto, si tantùm in cælum respicias. Cogita quòd illic super Cherubim se-*

denti

denti factus es similis : nam & ille contumelijs affectus fuit, & tolerauit, & opprobria pertulit ; nec vltus est percussus , & non insurrexit , sed è contra reddidit beneficia his , qui talia perpetrauerant , nósq; iussit suos imitatores esse. Cælum denique respice , & postea quæ te Deus susceperum promisit , si generosè feras. Christi igitur nobis præluxit exemplum, cui, cum vita, per summam iniuriam, infami morte, eriperetur, tamen ad alterius vitæ vadimonium neque Iudæos, neque Pilatum, neque carnifices, neque vllum alium euocauit, sed, *cum maledicereturr , non maledicebat : cum pateretur , non comminabatur : tradebat autem iudicanti se iniustè.* Latroni quoque paulo priùs conuiciato, non dixit: *Hodie mecum eris in Iudicio,* sed, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pro illis autem, qui, non contenti, eum flagris laceraſſe, & clauis in crucem adegisse, insuper etiam ei illudebant, auream illam orationem fudit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* 1.Petr.2.23. Luc.23.43. Luc.23.34.

VIII.

Hanc Magistri sui heroicam patientiam ac fortitudinem imitatus est aliorum quoque Sanctorum ingens numerus. Atque primus quidem Stephanus, qui inter lapidantes, pro lapidantibus orans dixit: *Domine , ne statuas illis hoc peccatum.* Deinde & Paulus, qui de se scribit : *Optabam ego ipse anathema esse à Christo , pro fratribus meis ,* qui in vitam ipsius obstinatissimè coniurauerant. His è diametro aduersantur , qui , mortalis vitæ causſa , Deum iudicem appellantes , illaudabili verborum metamorphosi exclamant : *Ne ignosce , Pater , sed iudica , vindica ; statuas illis hoc peccatum. Non sim ego anathema pro fratribus meis , sed illi pro me sint anathema.* Neque multi martyres huius appellationis ius vsurpare solebant, licet innocentissimè, crudelissimèq; occiderentur. Quin potiùs , post acceptam iniquissimæ mortis sententiam solennes eorum voces erant, vt exclamarent: DEO GRATIAS, quod disertè testatur Iustinus ; & perspicuum est ex vita S. Cypriani ; atque antiquissimo Tertulliano attestante, *Christianos magis damnatos , quàm absolutos gaudere.* Quia , in veteri quoque testamento, Ioseph in cisternam, Ieremias in cœni, Daniel in leonum lacum, tres pueri in fornacem inflammatissimam missi, cum vtiq; de vita eorum innocentissima eripienda ageretur, tamen non leguntur, vel fratres, vel tyrannos, vel carnifices, ad diuinũ tribunal, citauisse ; & tamen iustus iudex Iosepho fratres subiecit, Ieremiam è cæno eduxit ; Danielis aduersarios leonibus præbuit deuorandos ; trium puerorum lictores, flamma è fornace in illos excussa, vstulauit. Act.7.59. Rom.9.3. Iustin. Apolog. 1. Tertullian. ad Scapulam.

IX. Quid si multos idcirco ad extrema adducit malus sathan, vt ad impatientiam atque vindictam adducat? vicit, si impatientes fecit. deiecit, si in vindictam incendit. habet, quod vult, si tu iram tuam ampliùs in potestate non habes. At *turpis est nauigij rector*, inquit Seneca, *cui gubernacula fluctus eripuit; qui fluctuantia vela deseruit, & permisit tempestati nauem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare, clauum tenentem, & obnixum.* Clauus est recta ratio, quæ impatientis animi impetum & fluctus reprimere debet. Non reprimit autem, si, iniuriarum ac mortis impatientiâ, extremum iudicij diem præuenire gestiens, eousque præstolari detrectat, donec vltro Deus, de iniurijs eius vindictam sumat; quasi scilicet æquo tardior esset ad iudicandum. Hi, si sinum excutere penitiùs vellent, viderent profectò, non laudabili caussa, non diuini honoris aut iustitiæ zelo, se alios iubere, in ius ambulare; sed priuatæ vindictæ cupiditate occupatos, atque in præceps actos, præreptam sibi, in hac vita, iniuriarum vltionem, in alterius vitæ tribunali quærere, eámque, nimis incenso animo, affectare, eáque propter etiam intemperanter flagitare. Non est res exigui momenti, eiuscemodi actionem instituere. Qui alterum vadatur, ac in ius diuinum vocat, mortem illius desiderat, sine qua se sistere non potest. At mortem alterius, priuata authoritate, desiderare, non minùs illicitum est, atque procurare. Videant igitur, quid agant, qui, sine Numinis iussu, aut instinctu, sine authoritate debita, proprio iudicio, affectu, odio, fortasse ipsi nocentiores, alterum, à quo se læsos esse somniant, aut putant, vita optant, immo postulant à Deo spoliari. Neque digni sunt tales rogatores, vt exaudiantur; immo digni sunt, vt ipsi in iudicium eant, quod alijs volunt præparare.

Senec. ad Martiam c. 6.

X. Sapientissimè faciunt, qui in patientia sua animas suas possidere docti, in omni casu, & tribulatione, dicunt: *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Meum est remittere iniurias, Domini autem & remittentem, & inferentem iudicare; à quo, etiam me vindictam non petente, parata est, *terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumtura est aduersarios.* Hanc etsi petere non debemus, possunt tamen meritò formidare, qui, cum omnia audeant, se, quia grauissimè violatos tacere vident, illico securos arbitrantur. Tacuit & Abel, neque ad diuinum tribunal fratrem citauit, cum ab eo crudelissimè innocens trucidaretur;

Psal. 38. 8.

Hebr. 10. 27

tur; non tacuit tamen sanguis eius, qui ad Deum de terra clamauit. Neque enim verba tantùm, sed etiam facta ad Deum clamant; longéque potentiùs clamant, ac vindictam postulant. Neque dubium est, à viuis & mortuis viuos oppressores eorum, ante diuinum tribunal etiam sine voce, accusari; neque rarò etiam, ad caussam, coram supremo iudice, disceptandam citari, iniurijs ipsis exigentibus vindictam. Gen. 4. 10.

XI. Cui rei confirmandæ luculentus est testis D. Gregorius Turonensis, qui hanc historiam recitat. Auernensis Episcopus, cui nomen Sidonius Apollinaris, æquè sanctus ac eruditus, moribus & artibus præstans, vt coronas in cælo multiplicaret, virtutis mercedem, in terris, accepit tribulationes. Necesse enim est, vt virtutem oderint vitiorum amatores; quam ne cogantur amplecti, impugnant atque repellunt. Quam ob caussam, Sidonius quoque duos nactus est sacerdotes disciplina indigentes, quorum quotidianus sermo erat: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Quid non efficiunt duo conspiratores? immo quid Orcus, per illos, non efficit? Duo erant, sed tribus Furijs agitabantur. Nam & moniti vindictam spirabant; & castigationem metuentes conabantur amoliri correctorem; & denique ambitione inflammati, locum sperabant, si sedem vacuam feciissent. Hinc conuenticula, hinc conciliabula, hinc denique vis aperta, qua virum innocentissimum & magistratu dignissimum, omni sacra potestate priuatum ad vltima redegerunt. Siquidem vix tantum cibi præbuerunt afflicto, vt vitam sustentare posset, & vixisse mallet, quàm viuere. S. Greg. Turon l. 2. hist. Franc. c. 23. & Baronius An. 486. Sap. 2. 12.

XII. Sidonius, tamen, etsi grauibus malis irritatus, & caussæ æquitate fultus, iniuriam laudabiliùs tolerari, quàm propulsari ratus, quasi non sentiret, aut, tanquam si meruisset, ita patienter omnia tulit. Itaque non expostulare, non implorare amicos, non circumspicere patronos, non certare foro, non recuperare amissam dignitatem voluit; sed omnia Deo commisit iudiciisque diuinis, sine quibus Mundus non gubernatur. Felix, quisquis hoc facere nouit; nec enim magnam duntaxat is animo suo conciliat tranquillitatem; sed etiam, quia se ipsum non vindicat, Deum vindicem parat. Quod & Sidonio euenit. Conuenerat inter improbos duos sacerdotes, vt die altera, Episcopum è templo extra-

ctum eliminarent; idque vnus eorum audacior, ac sine fronte homo palàm ei minitari non est veritus. Et fecisset, ni diuina manus præueniisset insanientem. Tota nocte futuram sequentis lucis scenam secum meditatus, vix expectare potuit solem orientem. Neque expectauit; nam, antè diluculum, secus atque aliàs assueuerat, è plumis exiliens ad facinus se aptabat. Verùm priusquam domo exiret, *sellas antè petuit Patroclianas*, & comitabatur euntem puer cum lucerna. Ibi dum moratur diutiùs, mittit coniuratus alter, facinoris tam iniqui socius, & significari iubet, tempus esse exequendi, cuius heri consilium cepissent: nihil obstaculi apparere, properaret modò. Ventum est ad puerum iam diu, cum cereo, vsque ad impatientiam & Diras, præstolantem. Is ergo herum moniturus (cum pulsanti nihil responsum intus esset) ianuam tandem reserat, & reperit miserum vnà & aluum & vitam exonerauisse. Tali loco, mori dignus erat, qui Episcopum loco mouit. Episcopus igitur, Deo caussam ipsius agente, in officium repositus est.

XIII. Non diu tamen postea vehementiùs ægrotans iussit se in templum deportari. Ibi mœstus eum populus interrogauit, quisnam esset successurus, in officio pastoris? cui ille, *Ecce*, inquit, *frater meus Aprunculus viuit, & hic pastoris munus occupabit.* Hoc responsum, quia non capiebant, mente iam alienata, prolatum existimabant, sed paulo post, vaticinium fuisse, intellexerunt. Quippe Sidonio è viuis subducto; alter ille sacerdos persecutor, nihil miserabili exitu commilitonis sui perterritus, velut optatissima occasione oblata, cui diu fuerat insidiatus, gauisus, triumphum egit, tiarámque capiti suo rapere est conatus. Nec quidquam certius futurum existimauit, quàm vt ipse succederet. Enimuerò id iam ei familiares gratulabantur; id de eo, in vulgus spargebant; id ipse quoque (tam stolida est superborum crudelitas) amicioribus suis dictitabat, neque iam pro arcano habebat; sed ausus est etiam per quàm glorianter iactare. Nunc demum, diuino iudicio, patere, cuius caussa iustior extiterit, suáne, an Sidonij; aut cui, à Deo, pedum Pontificale sit destinatum. Denique ita egit, ac si Antistes iam esset, nec quidquam omisit, quod eam in rē illi posset seruire.

XIV. Quare proximo quoque, à Sidonij morte, Dominico die, dapes magnificas apparauit, ad quas ciuitatis primates adhibuit. O cæcas hominum mentes! & futurorum improuidas! quàm

sæpe

sæpe exitio proximi exultant, & funus suum ipsę ducunt ouantes? Designatum Præsulem ad mensam accubuisse putatis? Balthasar accubuit, *appensus in statera, & inuentus minus habens.* Sedebat suo quisque, ordine; stabant in ferculis alites, & cibi non ad palatum modò, sed etiam ad oculum facti; iam gliscebant colloquia; iam sitis vinum postulabat. Ante omnes, vt par erat, futuro Episcopo pocillator scyphum præbuit; quem ille manu sustinens meditabatur, in cuius sanitatem esset propinandus. Nunquam mors malis opportuna venit; sed, inter conuiuia & epulas, longè importunissima. Itaq; non iam mitræ, sed Libitinæ candidatus, dum poculum tollit, dum ei nomen imponit, sentit repentè, quàm verè dictum sit, multa inter calicem & suprema labra cadere: nam & ille ipse cecidit, & priùs è Letheo, quàm suo, poculo bibit. Siquidem iam iam vinum probaturus, subita formidine, cohorruit, expalluit, & vitro de manu cadente, funus fuit. Noluit postea sic propinanti quisquam respondere. Hæc omnia, ita vti contigerunt, pridie pocillatori per somnium obiecta narrat Gregorius Turonensis. Quis non videat iniuriæ patientissimi Sidonij vindicem fuisse Deum? ad quem, Sidonio tacente, vel iniuria Sidonij satis clarè appellauit; quæ iniuriosorum vnum quidem præmisit, alterum verò, post Præsulis mortem, ad iudicium traxit; vt manifestum fieret, Deum ante, & post obitum, suorum iniurias vlcisci. Dan. 5. 27.

XV.

Sed Sidonius tacens vltorem Deum inuenit, innumeri, qui in vita quidem tacent, post mortem demum loquuntur, & accusant eos, à quibus indignissimè, dum viuerent, habiti fuerunt. Dabo, ex eodem scriptore historiam, quæ meritò faciat violentis illis magnatibus ambas aures tintinare. Nantinus Engolismensis comes homo factiosus, auidus potentiæ honoris, diuitiarum, ceterùm vitia sua callidè occultans, priùs sacerdotem, postea Pontificem Burdigalensem, Heraclium nomine, varijs modis aggressus, grauibus iniurijs vexauit. Nec potuit odium multorum malorum illatione satiari; sed flammæ instar semper auctum, semper maiora tentauit. Aliquot villas ac prædia Marachárius auunculus eius, templis, ac sacerdotibus testamento legârat. Eas villas ac prædia Nantinus, per vim occupauit. Vt iniuriam tegeret, prætextum inuenit. Vulgabat enim illi Ecclesiæ, nullo iure, deberi bona hæreditaria, cuius Clerici testamentarium interemissent. Cui iniustitiæ non potest color induci? At non passus est, se hoc fuco falli He- Gregor. Turon. l. 5. hist. Franc. c. 36.

li Heraclius Igitur, comperta rei iniquitate, Comitem anathemate fulminatum, ex Ecclesia exesse iussit. Comes, qui pius videri cupiebat, vulpino ingenio, obedientiam simulauit. Nam sacerdotum concilio, apud Sanctonas, habito, se stitit, subiecit, spopondit omnia se, quæ vi interuertisset, redditurum: dummodo iterum templum intrare, sacrisque officijs interesse permitteretur. Voti compos, ad ingenium redijt, ostenditque, qua verborum ambiguitate concilium sacrum decepisset. Quasdam enim domos restituit, sed vsq; ad puluiſculum exinanitas ac spoliatas. Quod vbi intellexit Episcopus, denuò anathemate feriendum censuit, atque sacris omnibus rebus interdicendum. Ita constantia, cum perfidia certauit; cuius cõstantiæ præmium vt acciperet Episcopus, paulo post beata morte defunctus est. Præsule mortuo, quasi amoto pastore, lupus iterũ se ouibus Christi aggregauit. Vt enim infamiam declinaret Comes, aditum denuò ad Ecclesiam impetrauit, sed nõ, quo decebat modo; quia non nudis pedibus, vt pœnitens, sed manibus argenteis rediuit. Humanis ista oculis, non diuinis, satisfaciunt; coram quibus nulla potest hypocrisis occultari. Defunctus erat iam, ante aliquot menses, Heraclius Antistes, neque sanè Nantinum ad Dei tribunal citauerat; poterat ergo sibi Comes persuadere, omnia iam sua, apud illum, facinora esse oblitera-
Luc. 12. 6. ta. Sed si *vnus passer non est in obliuione, apud Deum*, quo pacto posset tam sancti Præsulis obliuisci? Ergo igitur vix pauci menses, à morte Heraclij ierant, cum Nantinus flagrantissima febri repentè incensus, cæpit, more insanientis, vociferari: *Heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror; ab illo crucior, ab illo ad iudicium vocor: Agnosco facinus, recordor iniuriarum, quibus eum oneraui.* In his ipsis clamoribus, febrili incendio consumtus, nefastum spiritum, ad diuinum tribunal (vtinam non etiam ad Gehennæ incendium!) expuit.

XVI. Videtis hîc, ô Christiani, nulla opus esse vobis, in hac vita, ad iniurias vindicandas, citatione? Hîc nunc patientiæ tempus est; in altera vita, erit tempus vindictæ. Cum diuino tribunali astabitis, sine peccato, & vllo periculo, poteritis persecutores vestros, itidem ad illud, in ius, vocare. Nunc, vobis tacentibus, caussam vestram agit Deus; si eum agere sinitis, & non ante-
S. Greg. l. 9. Moral. c. 27 uertitis. Verè S. Gregorius scripsit: *Delinquenti Dominus nequaquam parcit; quia delictum, sine vltione, non deserit. Aut enim ipse homo in-*

mo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Deo itaque hanc curam relinquite, *quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum.* Deuter. 32. 43.

XVII.

Vos autem, ô viri Illûstres, & Illustrissimi, nolite vobis promittere impunitatem, si ad vallem Iosaphat vos non auditis euocari ab ijs, quos tyrannicè premitis; quorum sanguinem exsugitis; quorum agros, fundos, piscinas, siluas, pecora inuaditis; quorum pecunias detinetis, equos abducitis, villas incenditis, filios & famulos occiditis; quorum totas regiones populationi, vastationi, in compendio dicam, bello diuturno, & affectatè protracto exponitis. Esto nemo viuens, nemo moriens vos ad Dei tribunal citet: citabunt tamen mortui, tantarum vtique iniuriarum non immemores futuri; citabunt ipsa facinora vestra, ad cælum, contra vos, clamantia; citabit ipsa Numinis iustitia, quæ multos damnat, quos nemo hominum accusat. Iam caussæ latent, scietis aliquando, cur iste in iuuentute, ille in viridi ætate, alius tam validis adhuc viribus; & vnus quidem repentino morbo, alius repentino casu, tertius veneno, quartus in fluuio perierit. Aspexit Deus iniurias pauperum, & ad iudicium suum illos, è vita euocauit. Hoc est, quod Spiritus S. monet: *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obdurationis. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: &, ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens redditor.* Eccli. 5. 1. Atque ex his disputatis satis constat, posse innocentiam, citationis sorte, defendi, si homines citatione rectè, & fine debito, vtantur; non autem facilè huc veniendum; ne abutantur. Siquidem etiam corpori remedia periculosa nunquam, aut non, nisi summa cautione, adhibentur.

CAP. XLI.

CAPVT XLI.

Summa Dei etiam in malos bonitas, quàm immeritò nonnullos offendat?

I. Vid miremur, *Sortibus* alios vti, alios abuti? cum nonnulli ipsam Dei bonitatem trahant in malitiæ suæ nutrimentum. Quod videns Seruator, Ioanni renunciari iussit: *Cæci vident: claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Nempe fuerunt etiam tunc, qui, mortis occasionem acceperũnt, vnde vitam haurire debuissent. An non enim miraculis tam splendidis, ad credendum moueri eos oportuit? illi verò scandalizati, etiam moti sunt, ad accusandum. Ea scilicet fuit Scribarum, ea Pharisæorum malitia, vt offenderentur, quòd *ad peccatorem diuertisset*: quòd *cum peccatoribus manducaret*; quòd *à muliere peccatrice se tangi pateretur*, quòd *sabbathis homines curaret*: deniq; *in principe dæmoniorum* dicebant, eum *dæmonia eycere*. adeò *petra scandali, & lapis offensionis, positus in ruinam multorum* fuit: sed non credentium. nam credentibus *lapis summus, angularis, electus fuit*, teste S. Petro.

Matth. 11. 6.

Isa. 8. 14. Rom. 9. 33. Luc. 2. 34. 1. Petr. 2. 6. 7

II. Tales Pharisæi etiam nunc reperiuntur, qui inde scandalum rapiunt, ex mundi gubernatione, vnde maximè rapi deberent in admirationem immensæ bonitatis Dei. Vt enim quibusdam nimis seuerus, ita alijs nimis clemens esse videtur. Non repetam hîc, quod supra attuli è D. Dionysio, de Carpo Episcopo, Idololatram, & eum, qui se ab Idololatra seduci passus est, vita indignos iudicante, ægréque ferente, quòd eos terra sustineret. Ad cuius morem multi vindictâ ardentes, offendi se non dissimulant, si non toties Deus sua fulmina mittat, quoties homines peccant. Non habet Dominus iram tam compendiosam; longanimis est, patiens est, bonus est, misericors est, iustus est; differt, ne præcipitare videatur; patitur, vt det exemplum; expectat tempus, quia expetat pœnitentiam; quæ si non sequatur, moram pœnâ compensat. Hoc pertinet ad infinitam illius excellentiam, qui, quia in se optimus est, est etiam alijs summè bonus, bonitate, vt vocant, *respectiua*.

Supra cap. 6. §. VII. D. Dionys. ep. ad Demoph.

Hac

Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ prę̃ditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione, ad quem vt nos dirigat perducátque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam caussa efficiens naturalis, conseruans, prouidénsque regit; & per quæ efficimur *diuinæ consortes naturæ*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquissimum columen* nominauit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere. S. Dionysius cap 3. diuin. nom.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo, agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare.* Sic multorum natura, aut malitia potiùs velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immo instar *decem cornua habentium* diabolorum. Secunda caussa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens:* vel vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cætera bona, vt amari possint, quasi coloràns, & hoc ipso amabilia reddens.* Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia caussa est, vt homo, se, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni caussa sit.* Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos se se copiosiùs effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Vbi D. Gregorius ait: *Tantò ergo amplius peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Nam vtique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit digniorem, capaciórq; fit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum stetit, cum vas non supereſſet; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri suæ oleum infundenti vasa offerre potuerunt. III. Clem. Alex. l. 1. Strom. c. 8. Apoc. 12. 3. In Pimandro c. 4. Plotin. Enead. 6. l. 7. c. 22. Luc. 7. 47. 4. Reg. 4. 5.

Quarta caussa est, ne nos à benefaciendo excusemus, dicentes, littus frustra arari, & nequicquam in saxis seminari: esse enim homines quosdam, sicut ficum aridam, sicut terram steri- IV.

CAPVT XLI.

Summa Dei etiam in malos bonitas, quàm immeritò nonnullos offendat?

I. Vid miremur, *Sortibus* alios vti, alios abuti? cum nonnulli ipsam Dei bonitatem trahant in malitiæ suæ nutrimentum. Quod videns Seruator, Ioanni renunciari iussit: *Cæci vident: claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Nempe fuerunt etiam tunc, qui, mortis occasionem acceperũnt, vnde vitam haurire debuissent. An non enim miraculis tam splendidis, ad credendum moueri eos oportuit? illi verò scandalizati, etiam moti sunt, ad accusandum. Ea scilicet fuit Scribarum, ea Pharisæorum malitia, vt offenderentur, quòd *ad peccatorem diuertisset*: quòd *cum peccatoribus manducaret*; quòd *à muliere peccatrice se tangi pateretur*, quòd *sabbathis homines curaret*: deniq; *in principe dæmoniorum* dicebant, eum *dæmonia eycere*. adeò *petra scandali, & lapis offensionis, positus in ruinam multorum* fuit: sed non credentium. nam credentibus *lapis summus, angularis, electus fuit*, teste S. Petro.

Matth. 11. 6.

Isa. 8. 14. Rom. 9. 33. Luc. 2. 34. 1. Petr. 2. 6. 7

II. Tales Pharisæi etiam nunc reperiuntur, qui inde scandalum rapiunt, ex mundi gubernatione, vnde maximè rapi deberent in admirationem immensæ bonitatis Dei. Vt enim quibusdam nimis seuerus, ita alijs nimis clemens esse videtur. Non repetam hîc, quod supra attuli è D. Dionysio, de Carpo Episcopo, Idololatram, & eum, qui se ab Idololatra seduci passus est, vita indignos iudicante, ægréque ferente, quòd eos terra sustineret. Ad cuius morem multi vindictâ ardentes, offendi se non dissimulant, si non toties Deus sua fulmina mittat, quoties homines peccant. Non habet Dominus iram tam compendiosam; longanimis est, patiens est, bonus est, misericors est, iustus est; differt, ne præcipitare videatur; patitur, vt det exemplum; expectat tempus, quia expetat pœnitentiam; quæ si non sequatur, moram pœnâ compensat. Hoc pertinet ad infinitam illius excellentiam, qui, quia in se optimus est, est etiam alijs summè bonus, bonitate, vt vocant, *respectiua*.

Supra cap. 6. §. VII. D. Dionys. ep. ad Demoph.

Hac

Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ prę̃ditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione, ad quem vt nos dirigat perducátque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam caussa efficiens naturalis, conseruans, prouidénsque regit; & per quæ efficimur *diuinæ consortes naturæ*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquissimum columen* nominauit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere. S. Dionysius cap 3. diuin. nom.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo, agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare.* Sic multorum natura, aut malitia potiùs velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immo instar *decem cornua habentium* diabolorum. Secunda caussa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens:* vel vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cætera bona, vt amari possint, quasi coloràns, & hoc ipso amabilia reddens.* Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia caussa est, vt homo, se, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni caussa sit.* Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos se se copiosiùs effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Vbi D. Gregorius ait: *Tantò ergo amplius peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Nam vtique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit digniorem, capaciórq; fit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum stetit, cum vas non supereſſet; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri suæ oleum infundenti vasa offerre potuerunt. III. Clem. Alex. l. 1. Strom. c. 8. Apoc. 12. 3. In Pimandro c. 4. Plotin. Enead. 6. l. 7. c. 22. Luc. 7. 47. 4. Reg. 4. 5.

Quarta caussa est, ne nos à benefaciendo excusemus, dicentes, littus frustra arari, & nequicquam in saxis seminari: esse enim homines quosdam, sicut ficum aridam, sicut terram steri- IV.

lem, inutiles, ingratos, immo qui tanquam militares illi Leopardi, beneficijs peiores fiant. Quis actum libenter agit? quis Æthiopem lauare aut laterem conatur? Hæc omnia refutat diuina bonitas, quæ quos redemisset, nisi etiam pro inimicis suis voluisset Dei Filium, in cruce, immolari? Philo, qui Hebræorum Plato dictus est, in hunc modum disserit: *Benignus cum sit Deus, largitur bona omnibus etiam imperfectis, inuitans eos, vt æmulatores virtutis, atq; participes fiant, ostentánsq; immensas suas diuitas, quòd sufficiant etiam ijs, qui non magnam vtilitatem inde capiunt. Hoc autem alijs rebus declarat manifestissimè; quoties enim pluit in mare, fontes producit in desertissimis locis, tenuem & asperam, sterilémq; terram rigat inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quàm nimietatem diuitiarum benignitatísq; suæ? Eadem est caussa, ob quam nullam animam sterilem boni creauit, quamuis sint quædam, quibus hoc est inutile.* Vides pulcherrimum summi Dei exemplum, cuius imitationem ipse vrgens ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Imitare, ô homo, tuum Conditorem, benefac etiam beneficia contemnenti. Si malus est ille, tanto tu melior esto. Fac tu, quod boni solent, si vis esse bonus; si ille respuit tuum munus, non tu idcirco desinis esse bonus; sed ille se malum esse demonstrat. Imitetur ille diabolum, tu imitare Deum, qui ad pœnitentiam prouocat amando, nec rarò indulgendo corrigit. Quinta caussa est, vt nos manu ducat ad cultum inuocationémque Sanctorum, per quos, etiam desperatissimis manum porrigit, vt resurgant. Sic *nimis honorificati sunt amici tui Deus*; & præcipuè tua atque *misericordiæ Mater* Maria, *Virgo clementissima, & refugium peccatorum*, à te constituta, per quam non riuulos, sed fluuios immensæ bonitatis tuæ effudisti: quos huius voluminis angustijs includere, planè temerarius sit conatus. In confesso est, augustiùs illam, quàm per tam prodigiosam beneficentiam, inclarescere non potuisse. Nam sicut in Psal. 49. 15. Deus afflicto dicit: *Eruam te, & honorificabis me*; ita meritò etiam Mater Dei, ab ijs, quos eruit, in toto orbe terrarum, honorificatur.

Matth. 5. 45.

Philo lib. 1. allegor.

Matth. 5. 44.

Ps. 138. 17.

V. Eant nunc Aristarchi, murmurent Theones, & dentem exacuant; inde Deo gloria nascitur, vnde illi occasionem sumunt conuiciandi. Primum exemplum est, quia hac mente adduxerunt

Christo

Christo *Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio*, fingentes scilicet, se Christi iudicio stare velle; quamuis scrupulum subijciebant: *In lege Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare*, quid tu dicis, approbásne legem, an reprobas? *Hoc*, totum *dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.* Sciebant enim eum misericordiam profiteri & mansuetudinem. Quare si, lapidandam dixisset, clamassent, eum tam misericordem, clementémque non esse, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, vt qui legem Moysis violaret. *Sed Dominus in respondendo, & iustitiam seruaturus est*, inquit S. Augustinus, *& à mansuetudine non recessurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc scilicet vox iustitiæ est: Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus. Audiuimus vocem iustitiæ, audiamus & mansuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid est, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod sequitur: Vade, & amplius noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccata, non hominem.* Sic veritas, sic sapientia, sic ipsa, cui calumnia parabatur, iustitia, & adulteram pariter, & adulteræ accusatores emendauit. Illa bonitate correcta est; istis ad propriam conscientiam remissis, vel apertè in terræ puluere scriptum, vel tacitè in pectore dictum est: *Festucam, quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides?* Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit.

Ioan. 8. 3. Ita S. Aug. serm 47 de verb. Dom. S Augustin. tract. 33. Matth. 7. 3. Sap. 7. 26.

Alterum exemplum offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vnguebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieris; Pharisæus peccatricis delicta intuetur. Christus clementer, Pharisæus teme-

VI. Luc. 7. 38.

S. Aug. l. 50. homil. 23. rè & impiè iudicat; nempe putat, ignorare Christum, qualis sit mulier, cum ille non solùm mulieris mores, sed ipsius etiam Pharisæi cogitationes perspectas haberet. Caium Iul. Cæsarem laudant Scriptores, quòd, cum in scrinijs Pompeij secretæ litteræ repertæ essent, ex quibus, quo plerique animo, & erga Pompeium, & contra se fuissent, deprehendere potuisset, neque legerit eas, neque descripserit, sed extemplo cremârit, ne quid acerbius inquenquam statuere cogeretur. Quantis laudibus dignus est Deus, cuius illa vox est: *propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius?* Igitur Pharisæus peruersè Christum, & non ex vero, sed de suo ingenio iudicauit. Cum enim turgido inflatus Spiritu, sanctũ se esse profiteretur, quasi propheticum illud dicens: *Discede à me, & noli me tangere, quia mundus sum*; offendebatur, quòd se Christus à muliere peccatrice contrectari pateretur: quemadmodum & illi alij, qui dicebant: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* At non tali spiritu erat humilis & humilitatis Magister; vt medicus ægrotos, oues vt Pastor, peccatores recipiebat vt Saluator; & pro hac bonitate sua, qua amari merebatur, hominum linguas passus est. Nempe vt, qui oculis malè affecti sunt, luce; ita pessimi quique ipsa offenduntur bonitate. At ignoscit vni, non ignoscit alteri? *Quòd DEVS alijs gratuita vocatione conuersis misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam liberalitatem, veritatis ratione referendum est. An audebit debitor creditorem iniquitatis arguere? si alteri donans ab eo, quod debitum, exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præsumtionis locus est, vt à se dicat debitor iniustè exigi, quia scit alij debitori ab eodem, quod debebat, creditore donatum: quis in tantam insaniam prophanæ vocis erumpat, vt iniustitiæ Deum arguat, si vni indebitam donauerit gratiam, & alteri debitam reddiderit pœnam?* Ita est, & tamen est, qui murmuret.

Ierem. 31. 34.

Isa. 52. 11.

Matth. 5. 30.

S. Aug. l. de Prædest. & & gratia c. 3.

VII. Sed non idcirco Deus desinit esse bonus, qui eiuscemodi murmuratori respondet: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* itémque, *Non licet mihi, quod volo, facere?* Quod est tertium exemplum, cui, vt quartum addam. Verum est, multos, cum filio illo adolescentiore, accepta substantia sua, peregrè, à Deo, proficisci, atque *in regionem longinquam, & ibi dissipare substantiam suam* (omnes dotes spirituales, cum ipsa diuina gratia animáque sua)

Matt. 20. 15. Luc. 15. 12.

viuen-

viuendo luxuriosè: neque dignos esse, qui, fame coacti, domum reuertentes à Patre cælesti recipiantur. Deus tamen sua bonitate dignum iudicat, vt etiam tales recipiat. *Cum* igitur *adhuc longè* est talis, *videt illum pater ipsius, & misericordia* mouetur: vnde vltro *accurrens* cadit *super collum eius, & osculatur eum.* Gaudet enim conuersione hominis à peccato resipiscentis. Et tam promta est illius misericordia, vt præsto sit ad se venire volentibus, illisque obuiam occurrat, qui consilia, de vita mutanda moliri incipiunt. Nam, *desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, ait Dauid. Et iterum: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et erit*, inquit Deus, *antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Qua de caussa dicebat Nathanieli Seruator: *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Certè sit licet indignus peccator, quem respiciat suprema illa maiestas, tamen tantò est miserior & hinc miserabilior, quantò ipsa miseratione indignior. Vbi enim maior miseria, ibi maior est caussa miserendi. Et quem decet misericordiâ magis tangi, quàm Patrem? quem magis par est, miserrimis succurrere, quàm felicissimum? Si, apud Angelos, *maius est gaudium, super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*; cur non idem gaudium sit, apud Dominum Angelorum? Qui tamen de hac ipsa bonitate sua necessarium ducit, se excusare, sicut pater ille, tum apud seruos, tum, apud maiorem natu filium, se se excusauit. Ne enim serui mirarentur, tam splendidum, propter vnum seminudum adolescentem, & degenerem gnatum, apparari conuiuium, dixit: *Quia hic filius meus mertuus erat, & reuixit.* Nimirum etsi veste scissili & lacera amictum, etsi vultu squallidum, & pallore extremam famem testante luridum; tamen filium suum agnoscit; & quem dudum perditum atque pro mortuo habuerat, non aliter censet accipiendum, ac si à mortuis extitisset. Quid ni serui mirati essent tantam bonitatem? cum *filius* ipse *eius senior in agro* æstum diei & laborem passus, re intellecta, *indignatus* sit, & noluerit *introire*, patrique ad eum egredienti, ac ad conuiuium roganti dixerit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum præteriui, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cũ meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatũ.*

Psal. 10. 17.

Psal. 31. 5.

Isa. 65. 24.

Ioan. 1. 48.

Luc. 15. 7.

Luc. 15. 25.

Ad hunc modum, multi, qui se putant semper vitam vixisse illibatam, tacita cogitatione, indignantur, quando vident grauissimos & publicos peccatores maximis donis diuinis ornari, & sæpe beatissima morte, post exactos, in omni scelere, multos annos, decedere. Sed defendit se Deus, à misericordia non nisi in miseros exhibenda; & tranquillat animum vel in inuidias, vel in indignationes ebullientem. *Fili*, inquit, *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus est.* Noli ergo indignari, tu Iudæe, si populi Gentilium maiore gratia diuini luminis ac fidei illustrantur. Noli tu, qui tibi iustus videris, putare, Deum iniustum esse, si peccatores recipit ad se reuertentes. *Tolle, quod tuum est*, tuáque gratia contentus esto; Deum non vis esse Deum, si
Num. 14. 18. non vis esse misericordem. *Dominus patiens est multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera*, inquit Moyses. Quid quòd neque se iustum esse ostendit, qui iustum Deum accusat; qui peccatoribus inuidet; qui denique se iustum existimat, & tanquam iustum iac-
Luc. 15 29. tans ait: *Nunquam mandatum tuum præteriui? Nihil mihi conscius*
1. Cor. 4. 4. *sum*; ait Apostolus, *sed non in hoc iustificatus sum.* Quid ergo alijs vult misericordiam inuidere, qui ea ipse indiget? *Dicendum est*, ait S. Chrysostomus, *quòd nullius sanctorum dolet in talibus, immo bona aliorum sua existimat.*

VIII. Nostra igitur existimemus omnia eiusmodi bona, quæ, dum alijs à bono Deo exhibentur, nostra fiunt charitate, nostra imitatione; vt discamus, non desperare, etiamsi in peccatis consenuerimus. Hinc in quintum exemplum, Latro ille manifestarius iam iam acturus erat in patibulo, animam, & vix agere cæpe-
Luc. 23. 42. rat pœnitentiam, paucula illa pronuncians: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, cum statim à mitissimo IESV audiuit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Petiuerat ille, non vt statim, sed vt, cum in suum regnum veniret, recordaretur sui; respondet Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso*: adeò pronus est ad dandum, vt citiùs det, quàm petatur. Et vide cui det? homicidæ, latroni, illi ipsi, qui paulo priùs Christo in cruce pendenti, ipse etiam pendens ac desperatè propemodum petulans
S. Ambros. in c. 23. Luc. conuitiatus erat. Ita enim loquitur S. Ambrosius: *Matthæus & Marcus duos conuiciantes inducunt latrones*, Lucas *vnum conuiciantem, & vnum reprehendentem. Fortasse & iste priùs conuitiatus est,*

sed

sed repentè conuersus. Pulcherrimum autem datur affectandæ conuersionis exemplum. O Deus, quàm promtus es ad ignoscendum! quàm tardi nos ad veniam à te flagitandam! & tamen ignoscis illi linguæ veniam petenti, quæ, eodem penè momento, te sacrilegè laceravit? Quis hanc bonitatem tantam potest comprehendere, nisi qui te credit infinitè bonum? Credens autem, *quis desperet, si in cruce latro saluatus est: ante paululum homicida, post paululum accusatus, conuictus, damnatus, suspensus & liberatus. Noli mirari, vbi damnatus, sed vbi liberatus, vbi mutatus.* Hæc pius Afer. S. Augustin. serm. 37. in Ioan.

IX.

Eadem bonitas, in sexto exemplo atq; alio quodam latrone, ad accendendam, in maximis etiam peccatoribus, spem eluxit. *Moses Æthiops, conditione seruus, propter naturæ suæ improbitatem, ex heri sui domo profugit: atq; vbi prædari didicisset, paulo post prædonum cohortis Præfectus fuit. Et cum nefaria multa scelera peregisset, & ad cædes patrandas audax factus esset, ex præfracta quadã temeritate monasticam ingressus est vitam, philosopharíq; prorsus incæpit, strenuè admodum ad virtutem grassans. Quòd autem priore vitæ instituto, & corporis valida constitutione, rursum ad voluptatem per imaginationes incitatus alliceretur, varijs exercitijs carnem domare summoperè contendit. Et quandoq; quidem solo pane, absq; obsonio vsus, quandoq; autem, plurimo opere perfecto, ad quinquaginta, die quolibet, precationes fecit. Et sex continuis annis, noctes totas, peruigilio exegit, stans atq; orans: ita vt neq; genua inclinaret, neq; prorsus oculis ad somnum propendens conniueret. Porrò noctu Monachorum domicilia circumiens, clam vniuscuiusq; hydriam auferebat, eámq; aqua repletam in locum suum reponebat. Idq; ingentis laboris fuit, propterea quòd inde locus, vbi aqua fluebat, alijs quidem decem, nonnullis autem viginti, quibusdam etiam triginta stadijs abesset. Perlongo verò tempore pristinum suum retinuit robur, quamuis multum studij in hoc collocaret, vt id debilitaret, & carnem diuturna ærumna extenuaret. Dicunt autẽ aliquando prædones eum quatuor, qui officinam quietis suæ percurrebant, cepisse, vinxisse, atq; in humeros, sublatos in Ecclesiam deportasse, & Patribus, quid de eis statuerent: permisisse: nefas esse dicentem, vt in posterum mali quidquam alicui ipse inferret. Neque vnquam quemq; fuisse ferunt, qui tantopere mutatus à vitijs ad virtutem summam, quam pertigit, peruenerit. Incredibilis verò fuit dæmonibus terror. Et, quod supra opinionem omnium est, presbyter etiam in Sceti factus est, eum quidem quàm plurimos, eo tempore, quo latronum manum duxerat,* Nicephor. Callist. l. 11. hist. Eccles. c. 36.

intere-

interemisset. Et quia talis erat, multos eósq; optimos post se reliquit sectatores.

X. Hoc est, quod supra dicebam: nostra existimanda esse, omnia eiusmodi bona, quæ dum alijs à bono Deo exhibentur, nostra fiunt imitatione. Nam quantæ spei non est hoc argumentum? quis non obstupescat, ad tantam metamorphosin? Latro tam immanis fit exemplum summæ charitatis? Qui antè, nocturnis in tenebris, aliorum bonis & vitæ insidiabatur, nunc per totas noctes peruigilat, vt alijs possit aquam præstare? Tot cædium reus, nunc se suúmque corpus castigat? Is qui intemperantissimus vino se ingurgitabat, epulis lacertos ædificabat, nunc solo pane contentus est? æquè in virtutem fortis, ac in flagitia priùs fuerat audax. Herifuga famulus antè; nunc redit ad Dominum vniuersi, & ei famulari incipit, quem in tot crudelitatibus, si quiuisset, ipsum occidisset? Sic Æthiops pellem mutat? sic prædo fit præda? sic homicidarum ductor, fit ductor Anachoretarum? & qui vias infestauit, nunc in seipsum grassatur? ex face nebulonum, nunc lux Monachorum? Prope ipse Abbas non credidit, ex tam infami prædone aliquid boni fieri potuisse. Timuit cum illo colloqui: trepidauit, illum ad fores, ne dum in interiora domus, admittere: nec supplici ac omnia promittenti credidisset. Reiecit, vt pestem, horruit vt latronem, nec sibi persuadere potuit, illas manus ad cælum sublatas Numini gratas esse posse, quæ toties humano sanguine fuerunt cruentatæ. Itaque ille, quod precibus non potuit, minis impetrauit; non admittendus, nisi formidatus. Censuit nempe illud ad se pertinere: *Regnũ cælorũ*
Matt. 11. 12. *vim patitur, & violenti rapiunt illud*; serius in peccando, seriam quoque pœnitentiam egit. Qua in re *multos eósq; optimos, post se, reliquit sectatores*; qui quamuis grauibus cooperti flagitijs, quamuis fulmina meriti & Tartara, quamuis sexaginta, aut octoginta annis Deum ad iracundiam prouocauerunt, tamen cogitatione pia tacti, post calumnias, post adulteria, post cædes, post sacrile-
Psal. 76. 8. gia, repentè dixerunt: *Nunquid in æternum proijciet Deus; aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit, in ira sua, misericordias suas? Et dixi, Nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ Excelsi*; quæ neminem respuit, sed latronem de nemore, latronem de cruce, plus quàm latronem ex

ipsis

quodammodo inferni faucibus recipit ad misericordiæ diuinæ fores pulsantem.

XI. Immo tam excellens est diuinæ bonitatis magnitudo, vt ipsa pulset, & recipi flagitet. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age.* Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso*, inquit, *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Abraham & Loth, ille *in ostio tabernaculi sui*, iste *in foribus ciuitatis sedit*, vt hospites Angelos introducerent; vterque *cucurrit in occursum eorum*: vterque pronus in terram, summis precibus, rogauit, vt diuertere dignarentur. Gen. 18. 1. Gen. 19. 1. Nunc ipse sæpe Deus stat ad ostium, ipse pulsat, ipse hospitium rogat; & *sui eum non recipiunt, nec est locus in diuersorio.* Quid facere posset, quid deberet, si rem humano affectu vellet æstimare? Samaritani aliquando Christum in ciuitatem non receperunt. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Itaque etiam repudiatus *stat ad ostium*, & pulsare perseuerat; idq; non solùm ob suam immensam bonitatem, sed etiam ob preces & bonitatem suorum. Cum enim vel Sancti eò mansuetudinis perueniant, vt neque de extremè desperatis desperent; quantò magis decet ipsum Magistrum Sanctorum (qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum*) esse in eosdem benignum atque misericordem? Ioan. 1. Luc. 2. Luc. 9. 54. Matt. 11. 29.

XII. Suspiciuntur homines, & laudibus in cælum tolluntur, qui se ipsos vincere, aduersarios benignè habere, & facilè ignoscere possunt ijs, à quibus violati fuerunt. Et, Poëta teste, *Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ.* Certè Ecclesia S. Stephani, pro lapidatoribus suis Deum precantis, exemplum intuita, ita nos docet orare: *Da nobis, quæsumus Domine, imitari, quod colimus, vt discamus, & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare.* Si ergo pulchrum est hominibus, benefacere ijs, à quibus maleficio affecti sunt; quantò id ad Numinis gloriam erit conuenientius? Neque enim potest, in vlla virtute, infinitis modis perfectus Deus, à mortalibus superari. Nihil ergo mirum, si summa maiestas illius læsa, non tantùm veniam petentes in gratiam recipit, sed si etiam vltro eos quærit, & ad ostium cordis illorum stans pulsat, & rogat, vt aperire velint,

gratiámque recipere, quàm à se, cum maxima iniuria, excluserunt. Igitur vt septimum exemplum addam:

XIII. Raymund. è Capua apud Sur. 19. Apr.

Luculenta eiuscemodi res accidisse legitur, in B. Catharinæ Senensis vita. Erat Senis, Anno Christi 1370. ciuis, cui nomen Andreas Naddini, opes copiosæ, si aurum spectes; nullæ, si consideres virtutem. Nam plerumque quibus aurum nimis charum est, non est nimis chara virtus. Itaque hic homo cum alijs plerisque flagitijs coopertus, tum etiam præcipuè tesserarum ludo ita erat mancipatus, vt si ludendo, perderet nummos, Diuos, Deúmque ipsum conuicijs proscindere identidem, cælúmque detestabili execratione implere non vereretur. Quadragesimum iam ætatis suæ attigerat annum, cum eum diuina vindicta censuit, non diutiùs differendum. Graui igitur morbo affecit, quo crudescente, depositus iam videbatur. Nec minùs anima, quàm corpus ægrotabat. De corpore Medici desperauerant, non item de anima Religiosi. Venerunt itaq; ad eum multi homines pij, inter quos etiam vtriusque sexus cænobitæ, atque in primis Parochus illius. Hi eum, vt fit, præsentis periculi, instantísque mortis admonuêre; hortati sunt, vt peccata sua in memoriam, se in pœnitentiam reduceret, sacerdotíque confiteretur, quæ alioqui æternùm luenda essent. Surdo loquebantur. Ille enim qui sacras ædes adire, aut sacris initiatos honorare nunquam consueuerat, pronum habuit etiam sacrorum sermones contemnere. Itaque sana suadentes, quasi importuna loquentes, repulit, & à se exire iussit, nihil sibi cum Deo esse, dictitans, nihil Deo secum. Peruenit hæc desperationis fama ad aures F. Thomæ, qui S. Virgini Catharinæ Senensi à sacris confessionibus erat. Hic, insigni animæ huius pereuntis zelo, Catharinam adiuit, rogauítque, vt diuinam desperatissimo homini miserationem precibus quàm enixissimis impetraret. Paruit illa, neque precari cessauit antè, quàm Christus illi se sisteret, causámque redderet, ob quam meritò miser perire sineretur. An non pereat, inquiebat, cuius blasphemum os, si posset, me ipsum perditum iret, cuius flagitia mundum implent, & ad cælum vsq; pertingunt? qui, vt alia sileantur, etiam tabulam, in qua mea, Matris meę, aliorúmque Diuorum imagines impictæ erant, ausus est, sacrilega manu, in ignem iactare? nonne & ipse dignissimus est, vt æternis gehennæ flammis exuratur? Nonne par est, vt, quod mihi fecit, ipse quoque patiatur? Hæc atque alia talia Virgini dicebat Christus,

ſtus, vt peccatoris offenderet abominandam fæditatem. Verùm Catharina, & ſalutis animarum ſitientiſſima, & gnariſſima diuinæ miſericordię eſſe inexhauſtam immenſitatem, cum precibus, etiam vberrimas lachrymas fudit, neque deſijt antè, quàm mitiſſimus Dominus huic tam impio peccatori decumbenti appareret, atque, in vicem Parochi, ad peccata confeſſione delenda hortaretur, veniam, ſi id faceret, liberaliſſimè pollicens. Quem non flecteret tanta bonitas? quis conditionem tam fauentem non acceptaret? Ergo ille paulo priùs ſaxo durior Andreas repentè molleſcit, erumpit in vocem, clamat, ſe Chriſtum videre, enimuerò etiam audire monentem, ne Confeſſionem inſuper habeat, ſed viam ſibi paret ad veniam tot ſcelerum obtinendam. Itaque quantocyus Confeſſarium acciri poſtulat, quem modico priùs eliminârat. Curritur. adeſt ſacerdos. confitetur Andreas, ingenti animi dolore: condit teſtamentum ſanctiſſimè, malámque vitam, optima morte, conſignat. Verè igitur ille dixit: *Non eſt deſperandum de malis, ſed pro ipſis, vt boni fiant, ſtudioſius ſupplicandum, quia numerus ſanctorum ſemper de numero auctus eſt impiorum.* S. Aug. lib. de vera innocent. cap. 184.

XIV.

Acta perſonis rebúsq; reſpondere neceſſe eſt, inquit S. Athanaſius, *vt quis author fuerit, ex opere ipſius conteſtatum reddatur, & ex authore viciſſim, quale ſit opus agnoſcatur.* Quod cum ita ſit, meritò, audita eiuſcemodi hiſtoria, exclamari poteſt: *Hæc mutatio dexteræ excelſi*; neque enim alia manus talia facere poteſt: itémque, *Magna opera Domini* magnum teſtantur operatorem. Tanto enim maior eſt Deus, quanto miſericordiam oſtendit ampliorem. Vnde cantatur: *Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera: Et miſerationes eius, ſuper omnia opera eius*; dummodo nos ijs velimus vti, aut eas acceptare. Nam planè ita eſt, promtiùs dat Deus beneficia, quàm homines illa acceptent. Eo fine Balthaſar Aluarez vidit *Chriſtum Dominum noſtrum, præclaris donis valde onuſtum, & onere illo quodammodo afflictum, ac deſiderantem exonerari, & propenſum ſe oſtendentem ad gratificandum exoneranti. Et quamuis magno deſiderio id cuperet, non tamen onus deponebat; eò quòd vaſa deeſſent, in quibus eius dona reponerentur.* Pronior ergo eſt Deus, ad offerenda beneficia, quàm nos ad ea auferenda. Vnde rectè Propheta: *Deus meus, miſericordia mea. Peccamus grauiter, inhærèmus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, poſt peccatum ambulamus. Extenſo collo peccatum noſtrum prædicamus, nec abſcondi-*

S. Athanaſ. orat. contra idola. Pſal. 76. Pſal. 110. 2. Num. 14 18. Pſal. 144. 9. Ludouic. dè Ponte in vita Aluarez c. 7. §. 2. Pſal. 58.

S. Augustin. in tractat. de Visitatione infirmi. serm 1.

abscondimus, & tu placatus es? ait ille. *Nos te prouocamus ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam: nos irritamus te ad furorem, tu autem differs vindictam. Iusto extermimo punire poteras peccantes, subuertere negligentes: sed patientia tua expectat, vt corrigamus panitentes. Deus ergo meus, misericordia mea! Nunquid non hæc est iniustitia? sed nunquid est iniustitia, apud Deum? Absit. Quod enim sustinet Deus, iudex iustus patienter, totum Deus est. Neq; enim aliter Deus esses, nisi flectereris, nisi patereris, nisi misereris. Quodcūq; igitur facis, tuum est: quod tuum est, bonum est. Quod igitur facis, bonum est, Deus meus misericordia mea.*

XV.

Scripsit hoc Antonius Ceschi, 18. Ianuar. An. 1643.

Sicut, octaui exempli loco, prorsus bonum & admirabile erat, quod Româ Dilingam perscriptum fuit, Neapoli An. 1640. (an. 1641?) accidisse. Ibi Turca mancipium, curiositate populi allectus, cum reliqua turba, domum quandam sacram, in qua, Natalibus Christi Domini festis, rarissimi artificij elegantiæque Præsepe visebatur, ingressus oculos à longè stans, ignota pietate, impleuit. Nulli vnquam sua curiositas felicior fuit. Nam ecce procul consistentem Turcam, atque nihil minùs cogitantem fabrefactus è materia Christus infans, è præsepio respicere; tum etiam, protensa manu, & indice digito annuere, atque ad se vocare cæpit, quin & vocem claram addidit, cunctis, qui aderant, in stupǫrem raptis. Neque verò annuere cessauit antè, quàm ille attonitus ac tremens accederet. Vbi accessit, egit Christus ipse Catechistam, hominem Turcam res fidei necessarias docuit, monuítque, vt Baptismo se quàm primùm tingi curaret; fore enim, vt, intra breue tempus, secum in cælo esset. Profecit insigniter, sub tali magistro, Turca; rem disertè narrauit; baptismum petijt, obtinuit; & paucos post dies, grauiter ægrotans, iámque ipsi morti vicinus, palam professus est, mori se non posse priùs, quàm Sacrum viaticum accepisset. Accepit, & spiritum cælo reddidit. Miraberis, Lector, hanc tantam Dei bonitatem. at scito, omnibus ad præsepe Christi confluentibus annuere misericordem Dominum; omnibus documenta diuina tradere. Non vident, neque audiunt hoc omnes? in ipsis culpa est, quia sponte cæci sunt, & vitijs obturati non habent *aures audiendi*. At qui *aures audiendi* habent, audiunt puerulum IESVM è præsepio non solùm vagientem, sed etiam pannis paupertatem, frigoris tolerantiâ patientiam, lachrymis pœnitentiam, denique vultu, gestu, totius corporis

poris habitu, omnes virtutes docentem; incensique amore tam immensi infantis, iam tum, pro Mundo, patientis, toti se proijciunt in mare diuinæ bonitatis. Philæni, aut, vt Athenæus eos appellat, Philotoconistæ, optauerant olim, vt in balænas conuerterentur, dummodo mare in pretiosissimum vinum mutaretur, in quo se se possent continuò volutare. O quantum est mare amor Dei! ô quàm dulcis Oceanus, immensitas diuinæ bonitatis? omnes prorsus in eum se conijcerent, omnes in eo, velut pisces, natare optarent, si eius agnoscerent suauitatem. Immo omnes in eo submergi, & animam, amore ebriam, ponere cuperent; quemadmodum Georgius Clarentiæ comes, qui (ob suspicionem affectati regni, ab Eduardo IV. huius nominis rege Angliæ, fratre suo, iussus mori, & genus mortis, quod sibi magis placeret, eligere) voluit vino Cretico, seu, vt vulgo vocant, Maluatico, suffocari, coniectúsque in vas plenum huius vini, illud sensim sorbendo suauiter submersus est; ita, præ amoris dulcedine, toti in Deo mergerentur omnes, *si quàm suauis sit Dominus*, gustauissent; neque etiam mille mortes sentirent charitate inebriati.

CAPVT XLII.

Quanta, ex consideratione Dei summè boni, summéq; misericordis, etiam alioqui desperatis, spes veniæ & fiducia addatur?

AVdiui nonnullos, qui nauali prælio interfuerunt, quod Ioannes de Austria, contra Turcas, felicissimè gessit, narrantes, cadauera in mari natantia internosci potuisse. Siquidem corpora Turcarum prona, at Christianorum supina atque cælum aspicientia dicebant natitauisse. Eadem res quotidie accidit ijs, qui in diuinæ bonitatis mare incidunt; alij enim ibi eriguntur ad spem in Deo ponendam; alij suopte pondere euertuntur, & ita deprimuntur, vt, ad quam oculos habent, non videant bonitatis profunditatem. I.

Hanc vtique non vidit Cain, qui dixit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*; quasi aliquid maius esse possit, II. Gen. 3. 13.

magnitudine diuinæ bonitatis. Meritò quidem ante oculos versari debet peccatori scelerum enormitas, sed iuxta etiam ponenda est misericordiæ Dei magnitudo. *Si quis iam lapsus & nimio sceleris pondere oppressus desperare iam capit*, ait Hipponensis Præsul, *attendat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem: peccatum enim cum desperatione, certa mors est. Nemo dicat*, ego, *si iam aliquid mali feci, iam damnatus sum; Deus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis, fruar seculo, in voluptate lasciua, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video, si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sic cautos facit, quando ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.* S. Augustin. lib. 50. homil. hom. 21.

III. Quemadmodum neque Iudam sic voluit esse desperatũ: voluit tamen ipse desperare Iudas pœnitentiâ ductus, sine diuinæ misericordiæ recordatione. *Habebat lachrymas Petrus pio quas fundebat affectu:* ait D. Ambrosius, *Non habebat proditor fletus, quibus sacrilegium fateretur: vt, dum suo reus iudicio damnatur, & spontaneo supplicio expiatur facinus: pietas Domini, qui se ipse nollet vlcisci, & diuinitas probaretur, qui conscientiam mentis inuisibili potestate interrogaret.* Vsque adeò magna est Domini pietas, vt vel, in ipso proditore suo, se se nollet vlcisci; vsque adeò magna vis conscientiæ, vt vbi carnifex deest, laqueo se ipsa plectat. Non vult tamen hoc Deus, qui ait: *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Itaque *de illis non est desperandum, qui adhuc mala sua non solùm corrigere volunt, sed etiam defendere non erubescunt. Sic nec illa ciuitas desperata fuit, de qua dictum est: Adhuc triduo, & Niniue subuertetur. In ipso tamen triduo idonea fuit conuerti, orare, plangere, & de pœna imminente misericordiam promereri.* Ita Augustinus, qui alio loco addit: *Nemo de peccati sui dimissione desperet, quando & veniam meruerunt, qui Christum occiderunt.* Item: *Quid autem conuerso non ignoscitur? Quis homicida desperet? si in spem redditus est, à quo etiam Christus occisus est?* At sunt quædam scelera, & quoddam genus sceleratorum, de quibus plerique desperant? cum & ipsi (scilicet auari, luxuriosi, venefici & magi) plerumque soleant desperare? Esse tales, non nego; desperandum tamen illis esse, pernego.

S. Ambros. lib. 10. super Lucam. c. 13.

Ezech. 33. 11.

S. Augustin. l. 50. homil. hom. 2.

Tract. 3. in Io. & serm. 36.

IV. Circa annum Christi 1017. in Aquitania, ante D. Io. Baptistæ festum, tribus diebus, è cælo, pluuia sanguinis cecidit; qui cum in lapidem aut carnem incidisset, non poterat elui; si verò supra-

Baronius 1017.

lignum

lignum lapsus esset, lauabatur. De hac re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis, *per lapidem*, inquit, *impij, per carnem fornicarij significantur; per lignum medij, qui neq; molles, vt caro, neq; vt lapis duri.* Addit *impios, & fornicarios indelebili nota, in sanguine suo, morituros; medios, per mortis angustiam, saluandos.* Verè lapides sunt homines impij & indurato corde, apud quos *sanguis sanguinem tetigit*, qui peccatum peccato addiderunt; postquam enim toti sunt scelere, velut impuro cruore, inquinati, addunt alium sanguinem, qui priorem deleri non sinit, desperationem. Quod etiam carni deditis accidit; qui adeò plerumque molles sunt, vt existiment, se voluptates corporis non posse abdicare, atque id circo, *in sanguine suo moriantur.* Impij illi adamante sunt duriores: adamas hirci sanguine dicitur liquescere; illi autem neque Christi quidem sanguine molliuntur. Homines autem carnales Adonidis sanguinem sanguini Christi anteponunt. Hinc ineluibili desperationis nota maculantur; quæ est totius malitiæ complementum. Nam vt D. Chrysostomus ait, *Peccantes non dolere magis Deum exacerbat, quàm peccare. Hominem quidem exacerbans, & amicos, & vicinos rogas: & siue semel, siue amplius te repulerit, iratus non recedis, sed auges supplicationem; Deo verò tuo exacerbato, oscitas, & recedis, & delicijs vacas: quomodo non ex hoc ipso magis irritabis eũ? Quapropter dignus es terram subire, nec hunc solem intueri, neq; penitus spirare; quòd tam facilem habens Dominum, & eum exasperas, & exasperans pœnitentiam non agis.* Osex. 4. 2. S. Chrysost. hom. 46. ad populum.

V.

Quid ergo tanta Dei facilitas? quid patientia? quid clementia exigit? vt ne impij quidem & toti carnei desperent. Ad hoc homo factus est, ad hoc sanguinem fudit, vt impijs iratum iudicem placeret, vt hominem animalem spiritualem faceret: vt nemo quantumuis flagitiosus, damnaretur. Qui igitur desperant, desperant tantùm quia volunt, non quia debent. Immo non potest desperare, quisquis vult misericordias Domini ante oculos ponere, atque id expendere, quòd peccatoribus grauissimis tam benignus pater exhibuit. Si enim eos ex cœno extraxit, qui toti in eo erant sepulti; an non poterunt extrahi, qui pedibus duntaxat luto immerguntur? In altera vita iustitiam suam magis, in hac magis misericordiam suam vult ostendere: quam vt maximè manifestet, manifestat erga maximos peccatores. Pertinacissima

sunt

sunt quædam scelera, fateor; sed longè potentius est antidotum sanguis Christi ad sanguinem peccati abluendum. Quid sanguis Christi non posset, si sanguis martyrum tam efficax est, à Christi sanguine vim trahens? Nam vel istum legimus, duros tales saxeósque emollijsse, atque molles solidasse in virtutem; vt, infinita Numinis bonitate cognita, omnem mollitiem voluptatémque improbam, in fortitudinem patientiámque commutarent, martyrum Deum, vsq; ad tormenta exquisitissima ac mortem, amantium, exemplo.

VI. Surius ex Metaphraste 5. Iunij.

Aglais Romana, mulier claritate natalium, formæ elegantiâ, fortunæ beneuolentiâ, copiâ diuitiarum insignis; ex genere nimirum patricio, & eorum, qui proconsularem honorem erant consecuti; eam à prima ætate vultus gratiam acceperat, quæ insidias facere & pati posset. Ac ne malorum vel irritamenta, vel fomenta deessent, tantæ suppetebant opes, vt ad omnem luxum sufficerent. Accedebat, super omnia, periculosissimum iuuentuti venenum, libera viuendi potestas. Absque parentum oculis, absque mariti custodiâ degebat. Vno verbo, sine vllo metu, domina erat; & quidquid libebat, faciebat; ipsa domi pariter & pater & materfamilias. Rarò fortuna, quos nimis amat, seriò amat: nam fauor illius, hamus est vitiorum. Cæpit itaque Aglais pecuniâ vti ad voluptatem; cui cum cupediæ non satis facerent, etiam illecebræ turpes quærebantur. Quid expectatis? in tali domo non habitant simul honestas & potestas. Quid autem non faceret præmortui pudoris muliercula? quid non efficeret excetra, quæ delinimentis permulcebat omnes? præcipuè eos, quibus poterat imperare: inter quos illa nec coniux, nec vidua, nec virgo fuit.

VII.

Dipsas serpens est, ad inferendam perniciem summè velox: nam quos momordit, siti inardescunt adeò vehementer, vt paulo post moriantur. Talis erat serpens Aglais, immo longè pernicioſior; neque enim illi morsu opus erat, sed ex oculis incendia iaculabatur, &, tanquam Meduſa, aspiciendo necabat. Habuit hæc, in familia sua, aliquem bonorum suorum procuratorem Bonifacium nomine, qui ingenij solertiam, insigni in eam fidelitate ac beneuolentiâ, reddiderat amabiliorem. Inuictus in eo animus, à solo amore & vino vincebatur: cui & forma promotionem dedit, vt ambiretur, & vinum stimulos, ne frustra ambiretur. Siquidem, vbi ebrietas, ibi rarò diu venustas & castitas sociantur. Accedebat

cedebat occasio dominæ ad vitium, cum authoritate, allicientis. Itaque Bonifacius ceteris in rebus Iosepho par, sola constantia, temperantiáque, toto cælo, ab illo distabat. Sinebat enim se, pro pallio, teneri. Cetera cur verbis exprimam, quæ ne cogitari à quoquam velim? Quod de aquila legimus in polypum ruentem, quæ circumplicantibus & pertinaciter adhærescentibus cirris, vnà cum polypo in profundum maris tracta perijt; id de Aglaide, déque Bonifacio affirmare possemus, nisi hanc labem quantamcunque, sanguine elui posse, ille ostendisset, de quo meritò dicitur: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* Nam etsi rectè indelebiles cruentati imbris notas exposuerit Fulbertus de impijs, déque ijs, qui omne tempus Cereri & Libero deberi arbitrantur, quos difficile est corrigere; attamen tantùm, *apud homines, hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt*; cuius mirabiles sunt viæ, quibus hominem reducit.

Antipat. Thes. epig. anth. lib. 1. tit. Piscis.

Psal. 106. 1.

Matt. 19. 26.

VIII. Vigebat, ea tempestate, persecutio Christianorum, & sacrilegus simulachrorum cultus totum simul occupabat orientem. Ibi erat tormentorum officina, dirum seculis spoliarium; theatrum crudelitatis; omnis immititatis sedes. ibi in corpora humana inagebantur feræ. ibi conspiciebantur derosa Martyrum corpora. ibi semiustulati iacebant, qui in tunica molesta coacti sunt ambulare. Nec expleuit sanguinarios editionis dies vnus, menses, anni insumebantur. Ipsæ etiam feminæ, sexus rudis, insciúsque ferri, ferrum pati cogebantur. Denique minio arenæ, & nouo semper flore, Martyrum sanguine, purpurabantur. Audijt totus orbis de hac Martyrum constantiâ, & tyrannorum laniena Peruenit fama etiam ad Aglaidem: quæ, tametsi à Martyrum virtute longè abesset, cæpit tamen Martyrum cruciatus atq; pugnas admirari, victorias æstimare, reliquias desiderare; vt saltem venerari posset, quos voluntas non erat imitari. Iam enim, vel per nuncios, intellecto Martyrum sanguine, calescebat. Quidquid feminæ desiderant, vehementer desiderant. Quare etiam Aglais omnino statuit, nulli labori, vel sumptui parcere, vt eiusce modi martyris corpus posset adipisci. Nullus ad id negotium Bonifacio vel fidelior, vel aptior videbatur. Quapropter, sicut ei impuros amores, ita etiam hunc sanctum amorem concredidit; ita igitur, remotis arbitris, eum est allocuta. *Scis, frater, qualibus*

simus coinquinati peccatis, nec nobis curæ esse aliquid, quod expectamus futurum, vt sistamur ante Deum, & pro his grauia subeamus supplicia. Ceterùm audiui à quodam viro pio, quod si quis eos, qui propter Christum passi & affecti sunt martyrio, in honore habuerit, & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eâdem, qua illi, fruetur beatitudine. Multi autem nunc quoq;, vt aiunt, pro Christo, pulchra adeunt certamina. Tu verò (etenim iam venit tempus, vt meus ostendat Bonifacius, qua sit in nos affectione) ad hæc mihi inserui, & omni studio eò vadens, propera ad me afferre aliquid è sacris his reliquijs: vt cum eas honorificè deposuerimus, & sacras ædes eis ædificauerimus, eos semper habeamus custodes & seruatores. Hæc illa.

IX. Nihil Bonifacius consueuerat Aglaidi negare. Annuenti igitur & hîc, aurum, vnguenta & sindonas, ac duodecim equos tradit Etenim magnus Christianorum amor in reliquias Diuorum, occasionem præbuerat lucri impijs, qui nulli eas, nisi magno precio emtas, dabant. In digressu, dum Bonifacius Aglaidi suæ vltimum vale dicit, per iocum, an vaticinium? addidit: Quid si, ô domina, hoc cœpto frustrareris; *secunda verò, vt aiunt, nauigatio, meum ad te corpus afferret: fueritne hoc tibi mediocre tui instituti ac scopi solatium, & apud te habendum in honore?* Non res ista sibi ludos nunc possit, respondit Aglais: *Deus qui serui formam, propter nos, accepit, & suum effudit sanguinem, ipse ad mea non aspiciat delicta, & mittat Angelum suum ante te, & dirigat gressus tuos.* Dum proficiscitur Bonifacius, sentit & ipse vim sanguinis per Martyres effusi. Subibat enim eius mentem cogitatio eiusmodi: *Qualia sunt, quæ feci? & qualia sum impuris manibus portaturus?* Hac reuerentiâ tactus sensim cæpit nimiam corporis sui curam deponere; enimuerò eidem pabulum subducturus, carnibus ac vino abstinuit, totâ via; non infrequenter etiam omni cibo. Quod ieiunium, oratione assiduâ ad Deum, decorabat.

X. In Asiam, & adeò Tharsum vbi venit, tot martyrum fertilem ciuitatem, socijs & equis in hospitio relictis, ipse illico, ne abstersо quidem itineris puluere, in eum se locum contulit, in quo martyres decertabant. In stadium ingressus conspexit magnam hinc populi multitudinem; inde sanctos varijs quidem tormentis discruciatos, vnum tamen omnibus crimen obijci, *pietatem veram, religionem.* Tanta erat suppliciorum varietas, vt nemo ferè eosdem, cum altero, subiret cruciatus. Vna interea omnium erat

vox,

vox, Christum Deum esse, profitentium. Itaque vnus pendebat, capite in terram verso, igne subtus accenso. Alius quatuor lignis extensus cælum sublimis amplectebatur. Erat, quem ductilis serra medium secabat. Quibusdam manus, quibusdam pedes amputabantur. Nonnullis oculi eradicati diem negabant. Huic palus per collum transactus, pro clauo, erat: illi brachia in diuersum circumacta, & crura in dorsum retorta formam monstri inducebant. Fuerunt, quibus ossa omnia plumbeis cæstibus minutatim conterebantur. Quorundam corpora ita erant mutilata, vt, per terram, ritu globi, deuoluerentur. Hæc atque alia talia generosi athletæ patiebantur, sine gemitu & clamore; immo quasi eorum corpora fierent, inter cruciatus, vegetiora, ita læti ipsi hilarésque, diuinâ virtute eos roborante, hymnos, laudésque Deo concinebant.

Quod tam mirabile, atque humanæ naturæ vires longè excedens spectaculum postquam attentissimè considerauit Bonifacius, perspicuè profectò ostendit, etiam molles olim, & carni totos immersos, posse ad frugem redire, neque iam pœnitentiæ tantùm, sed etiam martyrij capaces esse, diuinâ gratiâ aspirante. Itaque primùm ad tantam Martyrum constantiam obstupuit; deinde diuinæ opis vim agnouit; postea totus Deo afflatus, ad pares pugnas ineundas, similésque coronas consequendas, exarsit. Non diu deliberant inflammata desideria: & ignes magni citò erumpunt in propatulum. Itaque & Bonifacius, extemplo in arenam descendit; *& cum se fecisset manifestum omnibus, Martyres, qui erant omnes viginti, singulatim amplectitur. Deinde etiam, omnibus audientibus, magna voce, Magnus est, inquit, Deus Christianorum: Magnus est, qui athletas, sua ope, adiuuit. Hæc cum dixisset, rursus lætus adhærebat Martyribus, cum magno desiderio prensabat, & amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas, quæ restabant, partes corporis*; rogitans, vt eorum socius esse, in supplicijs coronisque posset. Citatus extemplo, ad iratum Præsidem, denuò se Christianum profitetur; dijs thura se daturum negat; promissa, minas, carnifices, cruciatus ridet, spernit. Suspenditur ergo pedibus, cæditur fustibus, virgis, flagris, adeò diriter, vt detecta carnibus ossa conspicua essent, oculísque omnium intestina paterent. Marmor cædi putauisses. nam, velut rupes, immotus nihil se sentire ostendit; illud solùm dolens, se à reliquis Martyribus loco seiunctum

XI.

esse, quos, velut pulchrum fortitudinis exemplar, fixissimè intuebatur. Cum nihil videt ictibus effici iudex, iubet vincula relaxari, daríque illi tempus respirandi; ac denuò, num vel iam sacrificare dijs velit, interrogat? Sed iterum dentem solido illidit. Respondet enim Athleta: *Ego ad Deos accedam, cum vel sola eorum appellatio sit auribus intolerabilis?* Accensior rursus Præses acutissimas arundines mandat ei, intra vngues, infigi, quod est tormentum longè grauissimum. At Martyr cælo oculos animúmque affigens faciliùs cruciatum tolerauit, quàm Præses imperiũ, quod exercuit. Ipsâ ergo Bonifacij patientiâ impatientior factus, liquidum in os eius plumbum infundi imperat. Quo tam immani decreto excitatus heros iterũ manus in sublime, cum oculis, extulit, atque ita orauit: Domine mi IESV Christe, qui me præcedentibus tormentis reddidisti fortiorem; nunc quoque ades, & palam ostende, te mihi opem ferre aduersus Sathanam & Præsidem Sathanæ ministrum. Vos quoque, ô fortes Christi milites, qui me exemplo vestro, ad hunc agonem, inflammauistis, nunc & precibus adiuuate certantem. Acclamauerunt illi, & victoriam finémque martyrij precabantur. Clamorem hunc secuta est tota populi multitudo, quæ, omnibus iam, ad diritatem paratis, cum & præsidis crudelitate, & Martyrum incredibili lætáque constantia cõmota esset, vna & mente, & voce, in hæc verba erupit: *Magnus est Deus Christianorum: Magnus es rex, Christe. omnes in te credimus.* Vix ita clamauerant, cum aram impiam euerterunt, & Præsidem durum lapidibus sunt persecuti; qui vitam suam in fuga positam videns, grandini tam periculosæ se subduxit, relictóque theatro, domi asylum quæsiuit.

XII. Quis non putaret vel Busiridem, tanta multitudinis consensione, placatum iri? Habent autem hoc tyranni, vt, ad Pharaonis ingenium, ipsis prodigijs indurentur, fiántque inde peiores, vnde alij emendantur. Interuenit nox; nec quies furorem sedauit, nec diurnæ seditionis recordatio; sed multò hæc magis animum exacerbans, ita irritauit, vt vix lucem expectaret. Cæpta die, iam armatior in theatrum prodit, aduocatóque Bonifacio, multa contra Christum effutit; plura tamen vicissim, contra inanes Deos, audit. Paratur feralis scena; lebes pice impletur; flamma subijcitur; Martyr inijcitur. Sed contra Deum nulla vis, nulla potestas vnquam præpotuit. Renouata sunt igitur & hîc trium

puerorum

puerorum in camino illæsorum miracula. Siquidem Angelus de cælo lapsus Bonifacium quidem incolumem, in bulliente pice, seruauit ; flammam autem in astantes lictores carnificésque excutiens, eadem fecit, quæ olim in Babylone. Nimirum ignis meliùs sciuit tyranno, qui nocentes essent, vel innocentes. Nondum tamen iudex etiam hoc miraculo didicit sapere , sed iussit tantam iam in reliquis membris passo caput amputari. Qui, cùm duceretur, mora ad precandum impetrata, stans Orientem versus, alta voce dixit: *Domine mi, Domine Deus, citò me præueniant miserationes tuæ, & nunc adsis mihi adiutor, ne mihi malignus aliquid afferat impedimenti, propter ea, quæ in insipientia mihi præcesserunt peccata : sed suscipe animam meam in pace, & inter eos, qui pro te sanguinem effuderunt, & fidem vsq; ad finem conseruarunt, me quoq; annumera.* Dixit, ceruicem præbuit, è qua secta sanguis & lac fluxit, quo nouo prodigio rursum quingenti quinquaginta viri Christo nomen dederunt; immo à Christo nomen acceperunt. Talis támque gloriosus exitus fuit illius, qui paulo priùs vitam duxerat minimè gloriosam. Ita mortem, quam vel iocando vel metuendo prædixerat, est consecutus; sanguine Martyrum, sanguinem illius, ad martyrium, prouocante.

Abluit ergo hic sanguineus imber, è carne, sanguinis notas; & ablutum Deo charum esse miracula docuerunt, vt nemo de diuina miseratione desperet, quisquis hanc tantam audit, vel legit diuinam bonitatem & dexteram excelsi ; cuius mutatio, è coruis columbas, ex immundis Angelos, è scortatoribus martyres facit, denique etiam ex Veneris mancipijs, sanctos. Nam comites, qui cum Bonifacio missi fuerant, pridie in hospitio relicti, harum omnium rerum penitus ignari, per omnem eum ciuitatem, die postero, quæsiuerunt. Non reperientes autem illum, existimauerunt, ambulare per popinas &, vt solebat, bacchari in voluptate, donec in Commentariensem inciderunt, cognouerúntque, martyrem esse, quem illi putauerant scortatorem. Immo cum ille, descripta eius forma habitúque, martyrem factum affirmasset, vix adduci potuerunt, vt ei fidem adhiberent : *Non nosti*, inquiunt, *Bonifacium, qualisnam sit ei vita, & quàm propensa ac procliuis ad voluptates, & quàm è diametro vitæ repugnet martyricæ.* Verùm cum postea ad locum ipsi adducti & corpus, & reuulsum inde caput agnouissent, insperata virtute obstupuerunt, ac metuere cęperunt. XIII.

Timebant enim, ne eis aliquid succenseret, quòd eius mentem accusassent, eum indicantes ex eo solo, quod præcesserat, & nescientes, quali vitæ principio, qualem & quàm iucundum finem imposuisset. Sed mox metum ademit Martyr, se placidè & benignè in eos gerens. Nam postquam
1. Reg. 2. *caput fuit coniunctum corpori (Tu es omnium Dominus, ô Christe rex, qui glorificas eos, qui te glorificant) sensim quidem aperit oculos: eos autem intuetur amicè & placidè loquentis speciem præ se ferens, & ostendens, se eis bene velle, & probrorum, quæ in eum ingesserant, minimè meminisse. Illi verò acerbè flentes & calidas lachrymas effundentes: Ne memineris, dicebant, serue IESV, nostrarum iniquitatum, neq; probrorum, quibus te diuinum & sacrosanctum caput stultè sumus insectati.*

XIV. Fuerunt igitur comites quoque atque socij huius Bonifacij in ea opinione, non posse, ablui tantas impuritates: sed reipsa edocti, stultitiam suam defleuerunt; &, contrarium se expertos, professi sunt, docuerúntque, non solùm neminem debere desperare, sed etiam de nemine desperari à quoquam oportere; vt *confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filys hominum.* Sunt
Psal. 106. 8. enim misericordiæ eius infinitæ, & omnia mortalium scelera incomparabiliter excedunt. Quare, sicut nullum flumen tam est profundũ, quod à mari non absorbeatur, ita nullum peccatum tam est enorme, quod diuinæ bonitatis abyssus non possit abolere. *Magna remedia pœnitentiæ, fratres,* ait S. Chrysostomus, *igitur de se*
S. Chrysost. hom. 40. ad populum. *ipso desperet nemo. Nullum enim est animæ incurabile vulnus. In corpore quidem multa sunt talia; in anima verò nullum: & pro illis quidem laborare non desinimus; & pro his torpemus. Nonne vides latronem, quàm breui tempore curatus est? Non intueris martyres? Non meminit priorum peccatorum Deus; non est, sicut homo, Deus: neq; enim exprobrat præterita: neq; dicit reuertenti: Quare tantum temporis distulisti? sed cum accesserimus, diligit: & de his non tantùm in nouo, sed*
2. Paral. 33. *etiam in veteri Testamento habemus exempla. Quid enim Manasse deterius: Deum tamen propitium habuit. Quid Paulo miserius? sed factus est Euangelij præco. Quid Matthæo deterius? at constitutus est*
Ierem. 8. *Apostolus.* Propterea dico, neque scenicus desperet; ait enim Ie-
Ephes. 5. remias: *Nunquid qui cadet, non adiiciet, vt resurgat? Et Paulus: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Licet igitur triginta & octo annos habeas in infirmitate tuorum peccatorum, si modo sanus fieri studueris, adest & nunc Christus, & dicit:* Tolle grabatum tuum: *tantùm velis exurgere, ne desperes; ait enim:* Vis sanus fie-

nus fieri? *Si non ergo habes hominem, habes tamen Deum. Nec poteris dicere: Dum ego vado, alius ante me in piscinam descendit. Nam si volueris in fontem pœnitentiæ descendere, nemo prohibet. Non absumitur, nec minuitur gratia. Est enim fons perenniter emanans, & ex illius abundantia omnes sanamur.*

Verè hæc Chrysostomus. Nam, ne Bonifacium duntaxat, è vitæ liberioris licentia, sanctum esse factum putemus; Aglaïs quoque, cum qua turpiter consueuerat, à vitio inolito destitit; & pœnitentiam illustrem egit. Siquidem illi, qui Bonifacium comitati erant, reliquias eius, corpus scilicet ac caput quingentis aureis emtum, atq; amomo alijsque odoriferis vnguentis condîtum, lineísque inuolucris candidissimis circumdatum ac capsæ impositum, Tharso Romam peruexerunt, nullas vllius alterius Martyris reliquias, præ his, eligendas arbitrati. Dum sunt in via, Angelus prænuncius è cælo se stitit Aglaidi, eámque iussit suscipere venientem, dominum iam & fratrem Angelorum, quem famulum dimiserat; qui ab ea honoratus, illi esset futurus vitæ seruator, & animæ custos. Exterrita illa festinandum rata, cum clero, Martyri obuiam procedit, ædem materia insignem, structura elegantem erigit: in illa Bonifacius conditus mira multa patrauit. Sed maximè mirum erat, quòd non corpora tantùm, verùm animi etiã inibi sanarentur. Illud mirissimum extitit, quòd ipsa Aglais, eo loci, alia à se facta sit. Nam, distributis suis, in pauperes, opibus omnibus, de cetero honestè vixit, & ex virtute. Neque enim voluptates tantùm illicitas à se abdicauit; sed, per ipsos quindecim annos, ita etiam asperum vitæ genus amplexa est, delicijs cilicia, conuiuijs ieiunia; sermonibus lasciuis orationes opponens; vt & ipsa miraculis coruscaret. Quamuis miraculum pulcherrimum vtilissimúmque fuit; è tali femina, quæ libidinis stabulum fuerat, exemplum pœnitentiæ virtutúmque factum esse; in quo diuinæ bonitatis profundissima consilia splenduerunt. XV.

Quæ meritò vnum quemque animare possunt, ne, cum Cain aut Iuda, à diabolo se sinat adigi ad desperationem, quasi grauitas peccatorum maior sit, quàm Dei miserationes. Ades igitur, peccator, etiamsi, in peccatis ætatem omnem contriuisti; etiamsi cum adulterijs homicidia, & omnis generis crimina cumulauisti; habes misericordem Deum, qui iurans ait: *Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Conuertimini à vijs pessi-* XVI. Ezech. 33. 10.

pessimis vestris, & quare moriemini, domus Israël? Nullum peccatum est tantùm, quod non remitti possit à tanto. *Quid maius est adulterio & homicidio? Audi igitur Dauidem de his pœnitentem: Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Propterea Christus peregrinatus in terra, maxima peccata remisit; latronem in Paradisum duxit; Publicanũ fecit Euangelistam; Paulum blasphemum Apostolum orbis: vt tu, peccator, minùs desperes, sed peccatum fatendo deleas, & salubrem ingrediaris viam.* S. Chrysost. hom. 6. de Pœnit.

At magna est multitudo iniquitatis tuæ, & super arenam maris? Maior est misericordia Dei. Nam *Dei clementia pietásq; mensuram non suscipit, neq; ipsius bonitas verbo interpretari potest. Tua quidem malitia mensuram habet* (cum & Arithmetici profiteantur se numerum arenæ maris posse dicere) *Dei verò clementia & pietas in circumscripta est; ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare & apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantùm hominis malitia ad Dei clementiam & pietatem: immo verò non tantùm, sed & longè supra: nam & pelagus, tametsi magnum sit, recipit mensuram, Dei verò clementia, & pietas mensuram non habet.* Idem S. Chrys. hom. 3. de Pœnit.

Hæc S. Chrysostomus. Ob hanc bonitatis suæ immensitatem, Deus, apud Prophetam, postquam dixerat: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israël* &c. *subiecit: Lauamini, mundi estote &c. si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Isa. 1.

Obseruat D. Basilius, colorem coccineum & rubrum, inter omnes colores, esse maximè tenaces, ac ferè indelebiles, immo velut in natiuum colorem conuerti. Quare & peccatum ita adhæret, præsertim impijs, & fornicarijs, quos Fulbertus, supra, dixit, *indelebili nota, in sanguine suo morituros*, ni diuina scilicet gratia vtantur; hac tamen pœnitentiáque qui vtuntur, lauari, mundarique possunt, & quasi nix aut lana dealbari; etiamsi peccata illorum pondere grauia, enormitate cruenta, numero multa consuetudine inolita, & velut in naturam conuersa videantur. S. Basil. homil. de Pœnit.

Vide supra §. 4.

Verè S. Cyprianus: *Quæcunq; necessitas cogat ad pœnitentiam; nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas, si pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia, sed in amplissimos sinus suos mater charitas reuertentes suscipit prodigos, &, velit nolit Nouatus hæreticus, semper verè pœnitentes suscipit Christus.* S. Cyprian. serm. de cœnæ Domini.

Itaque

Itaque quisquis vel de se, vel de vllo peccatore, rem desperatam esse putat, huc oculos reflectat, & respiret. Neque offendi debet quisquam, si videt multa ac grandia quædam peccata à sic conuerso, antè fuisse perpetrata. Talis ardentiùs dicere potest: *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* In magni peccatoris conuersione, magna misericordia ostenditur. Neque quidquam magna Dei misericordia, magnæ eiusdem iustitiæ prærogat. Vtraque illius est, vtrauis potest vti, pro libertate. Neque verò iustitia in talibus nulla ostenditur. Bonifacius magna contritione, magno amore Dei, magna potuit peccata compensare, vt diceretur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Denique, inter tot tormenta, facilè potuit luere tot delicta; & tanto sanguine tanta peccata lauare. Quòd si etiam cosiderare volumus, quid de congruo Aglaidi & Bonifacio fecerit Deus; duas in ijs causas reperiemus. Nam Bonifacius, etiam cum vino & Venere caleret, *pecuniæ erat contemtor magnificentissimus, & ad eas egentibus distribuendas longè liberalissimus, & hospitalitati deditus, si vllus alius. Si quando ergo vidisset aliquos ex viatoribus, aut æstu & siti eliquatos, aut niue & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat, vt à labore requiescerent: &, cum cessissent, in domum suam introductos hospitio benignè accipiebat, & verbis, & factis eorum omnem propulsabat molestiam.* Quare *non sustinuit Dominus, despicere animam* hanc: neque animam Aglaidis, quæ & ipsa in Bonifacij liberalitatem consensit, & multum auri tradidit, *vt etiam haberet, quod distribueret pauperibus.* XVII. Psal. 106. 1. Luc. 7. 47. Surius in eius vita 5. Iunij.

Nimirum *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hæc sunt iudicia diuinæ bonitatis, vt, si quis pauperi det obolum emat cælum; si panem porrigat, aut *aquæ frigidæ haustum*, mercede sua non careat. Qua mercede? Nimirum huius & alterius vitæ. Hinc nihil speciatim dixit, quando dixit: *misericordiam consequentur*, vt vtrumque dixisse censeatur. Quando enim dixit: *Beati pauperes spiritu*, non addidit, *quoniam illorum est regnum mundi & cæli*, sed limitatè addidit: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* At cum ad misericordiam venit, non ad regnum cælorum duntaxat misericordes remisit, sed misericordiam viciſſim spopondit, quæ vtique sæpissime, etiam in hac vita, exhibetur. Vnde & illud habemus: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*; XVIII. Matth. 5. 7. Matth. 9. 40. Psal. 40. 2.

in die mala liberabit eum Dominus. Dies mala, cum Cassiodoro, potest dies iræ, diésque iudicij quidem intelligi; sed non tantùm illa dies mala est. Mala est omnis dies, in qua malum patimur; nec, quando in oratione dicimus: *Libera nos à malo*, à iudicio tantùm liberari petimus; sed multò maximè à peccato, & peccati pœnis.

1.Tim.4.8. Itaque, etiam Apostolo teste, *pietas ad omnia vtilis* est, *promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Qua de caussa Pater ille filio

Tob.4.7. suo hoc documentum dedit: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuã ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Siquidem *eadem mensura, qua mensi fueritis, re-*

Matth.7.2. Prou.21.13. *metietur vobis*, ait Seruator. Vnde etiam, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*; sicut non

Luc.16.24. exauditus est Epulo clamans: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam*; quia ipse priùs non exaudiuit Lazarum ante fores clamantem. Iustè negata est gutta, à quo negata fuit mica. At alijs, quibus frustra dictum non est: *Date, & dabitur*, quia dederunt pauperi, idcirco dat & Deus, siue cum esuriunt, siue cum sitiunt, siue cũ ægrotant, siue cum calumniam patiuntur; siue cum periclitantur de æterna damnatione. A Bonifacio igitur, & Aglaide, ô mortales,

Tob.12.9. S.Chrysost. hom. 5. de pœnit. discite esse misericordes: quia *eleemosyna est, quæ facit inuenire misericordiam. An ignoras*, inquit, os aureum, *qui iudicem mitigare volunt, non ipso examine caussæ, sed priusquam iudicij ingrediantur locum, beneuolum sibi facere, vel amico, vel mediatore, vel præsule, aut modo alio, sibi iudicem conciliare. Igitur & Deo, non sessionis tempore, suadendum.*

Psal.94.2. *Ante iudicij tempus mitigabilis est; & ideò Dauid ait: Præoccupemus faciem eius. Illum magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur; dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum & implacabile iusti iudicium. Nunc verò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia; magis autem, (si verum dicere oportet) clemens & pius ipse pecunia suadetur; non ipse manu sua, sed per inopes accipiens. Da pauperi pecuniam, & iudicem mitigaueris.* Hoc & Aglais fecit; &, si facerent aliæ quoque, in malo Aglaidi pares fœminæ, fortasse & ipsæ misericordiam consequerentur.

XIX. Sed aliud quoque fecit Aglais, quo sibi patrocinia conciliauit. *Subijt* enim *illã salutaris cogitatio ac vehemens quoddam & inuictum desiderium reliquiarum Martyrum.* Hinc Bonifacium ita est allocuta. *Scis, frater, qualibus simus coinquinati peccatis, nec nobis curæ esse*

eſſe aliquid, quod expectamus futurum, vt ſiſtamur ante Deum, & pro his grauia ſubeamus ſupplicia. Ceterùm audiui à quodam viro pio, quòd, ſi quis eos, qui propter Chriſtum paſſi & affecti ſunt martyrio, in honore habuerit & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eàdem, qua illi, fruetur beatitudine. Hæc eſt altera cauſſa, ob quam Aglaidem à Deo non negligi congruum fuit; quia ſcilicet ipſa Sanctos Sanctorúmque reliquas non neglexit. Quod 1. fecit, exemplo Patriarcharum. Nam Iacobus Edyſſenus Syrus memorat, Patriarcham Noë, tempore diluuij, oſſa primi parentis Adam, intra arcam recluſiſſe, finitóque diluuio, illa inter filios ſuos diuiſiſſe, capútque, tanquam præcipuam partem, præcipuo ac primogenito filio donauiſſe. Cuius facti, ſunt qui dicant, cauſſam fuiſſe, venerationem reliquiarum protoplaſti. Procopius Gazæus referens diuitias, quas filij Iſraël ab Ægyptijs mutuò acceptas, in terram promiſſionis ſecum deduxerunt, ait: *Hebræi, quia carnalia ſectabantur, iuſſi ſunt mutuò accipere argentea, & aurea vaſa: Moyſes elegit viri iuſti Ioſeph oſſa, quæ prætulit immenſis theſauris Ægyptiorum.* Habétque huius rei aliquod, in diuinis litteris, fundamentum; dicitur enim: *Tulit quoq; Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Hos aliósque Sanctos imitata eſt Aglais, in Diuorum reliquijs venerandis. 2. Has venerata eſt reliquias, quia, vt diſertiſſimus Pater ait: *Deus, qua eſt in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones dedit, & hanc quoq; viam nobis à ſe munitam eſſe voluit, idoneũ ad virtutem capeſſendam ſtimulum; relictis ſcilicet interim, apud nos, Sanctorum reliquijs. Nam poſt ſermonis facultatem, ipſæ certè Sanctorũ reliquiæ proximum locum obtinent, ad animas hominum, in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem, excitandas; ſepulchri enim ſancti aſpectus in animam noſtram inuadens percellit, & exſuſcitat, ac perinde afficit, ac ſi, qui ibi mortuus iacet, preces ſimul fundat, præſenſq; adeſſe cernatur. Deinde fit, vt qui ſe ſic affectum cernit, mira alacritate geſtiens, & quaſi alius ex alio recedat.* Hoc contigit Bonifacio, qui martyrũ certamina ſpectans, martyr euaſit. Hoc euenit Aglaidi, quę dum voluit martyres, in ſuis reliquijs, honorare, Martyrum preces meruit; inque oſſibus Bonifacij perpetuum habuit vitæ ſanctioris exhortatorem. Nam anima quidem illius, in cælo, pro ea, Deum orauit; corpus autem, ex ipſo tumulo, ad quem illa quotidie ſupplex iacuit, eam exemplo, ad imitationem pœnitentię prouocauit. Sic correcta peccatricis incontinentia, *gloriam ex culpa inuênit.*

Apud Andream Maſium ſuper c. vltim. Ioſuę.

Procop. Gazæ. in Exod. 13.

Exod. 13. 19.

S. Chryſoſt. lib. contra Gentiles.

uênit. Si autem hoc sanguis Martyrum potuit; sanguis Christi, quid non valebit, qui sanguini Martyrum vim omnem virtutémque cõtulit? Seculi sapientes aiunt: *Piaculum est, misereri nos hominum rem malè gerentium*; & aliorum sanguis ad cælum clamat, vt vindictam impetret: sanguis Christi, clamat ad cælum, vt veniam impetret; estq; tam mitis, vt glorioſum ducat, *misereri hominum* etiam *rem malè gerentium*. Hanc indolem à Magistro suo Sancti trahunt, qui sciunt, misericordiæ esse officium, miseris succurrere.

Plaut. in Trucul.

CAPVT XLIII.

Deum, infinita sua clementia, omnes ad pœnitentiam gratiarúmq; actionem inuitare.

I. Sanguis Christi Seruatoris tantæ est efficacitatis, vt non ille solùm delere peccata mortalium possit; sed etiam vim cõferat sanguini Martyrum peccata propria abluendi, & alienis veniam impetrandi. Neque sanguini tantùm, sed etiam aquis Baptismi, & lachrymarum hanc virtutem indit. Scribit Aristoteles, fontem esse in Sicilia, in quo si aues aliáque animantia suffocata immergantur, reuiuiscant. Et multos audiui oculatos testes, qui se vidisse affirmarunt, canes in antrum quoddam Italiæ inductos viuos, reductos pestilenti aurâ velut mortuos; qui, si in proximum stagnũ inijciantur, ad se & vitam pristinam redeant. Quis hîc non agnoscat magistram pœnitentiæ atque lachrymarum naturam? Defuncta erat Deo Magdalena, *lachrymis cœpit rigare pedes* Christi, & reuixit: audiuit enim: *Remittuntur tibi peccata. Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.* Mortuus erat Deo Petrus, quando *cœpit detestari & iurare, quia non nouisset* Christum; sed reuixit, vbi *egressus foras fleuit amare.* Nimirum sciuit benignus Pater, non omnes adeò fortes fore, vt per martyria, & sanguinem fusum, peccata sua possint eluere; voluit ergo contentus esse, si vel lachrymis ea abllueremus. Hoc significauit fons ille, qui de latere Christi exiliens nos miseros mortales toties lethalibus plagis affectos, toties exanimatos ad vitam reuocauit. Nam quando *vnus militum lancea latus eius aperuit, continuò exiuit sanguis & aqua.* Fons sanguinis Martyrium, fons aquæ

Aristoteles in Admirandis. cap. 28.

Luc. 7. 38.

Matt. 26. 75.

Io. 19. 34.

aquæ Baptiſmum & Pœnitentiam expreſſit. Siquidem, vt D. Auguſtinus ait: *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſeruat, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem vnit & roborat.* Hoc conciliationis remedium Deus inimicis ſuis largitus eſt. Pro ſanguine ſuo, lachrymas noſtras expoſcit, quæ & ipſæ *ſanguis* eſſe *cordis* perhibentur, & balneum ſunt, quo animæ vulnera perſanantur. Olim veteres, in amicitiæ ſignum, ſanguinem è venis extractum permiſcuerunt. Vult Deus etiam nobiſcum amicitiã inire, ſi cum precioſo illius ſanguine lachrymas noſtras coniungamus. Hoc antidotum eſt totius noſtræ calamitatis. S.Aug.lib. de Pœnit.

II.

Ad acidulas & thermas, quàm cupidè homines proficiſcuntur, vt corporis impetrent ſanitatem? ad lachrymas cur ſunt tam ſegnes? quibus tanta vis ineſt, vt Gehennæ flammas poſſint extinguere? In Lycia quondam, teſte Seneca, nulli fas erat lachrymas fundere, niſi muliebrem veſtem induiſſet; quòd lachrymæ debilis & effeminati animi eſſent argumentum, & viros dedecerent. Nempe nulla res temporalis eſt tanti, vt fletum mereatur. At verò peccatum generans mortem æternam, vtique tanti eſt, vt debeat, à quocunque etiam ſanguineis lachrymis defleri. Nemo aquę parcit, cum domus ſuę incendium eſt reſtinguendum: &, cum ignis inferni eſt opprimendus, lachrymis parcemus? Quis Dauide, vrſorum, leonum, Gigantis, Philiſthæorum victore fortior? & tamen cum de peccato ageretur, non erubuit ſcribere: *lachrymis meis ſtratum meum rigabo*; noctu nempe; interdiu autem ait: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam*: ſic noctes diésque lachrymas fudit, & quidem tam copioſas, vt lecto lauando ſufficerent. Igitur etiam Pſal. 6. 7. Pſ. 118. 136.

Vtar ego lachrymis, ſed non muliebriter vtar:
Eſt quoq; qui deceat maſcula corda dolor.

Nam etſi, ex communi Theologorum ſententia, exterior pœnitentia, ſeu confeſſio Sacerdoti facienda, & ſatisfactio pro peccatis, tantùm ad tempus, & ſecundùm peccati menſuram debeat neceſſariò durare; tamen pœnitentia interior, qua quis de peccato commiſſo dolet, debet durare vſque ad finem vitę, vt S. Thomas docet. Semper enim debet nobis diſplicere, peccauiſſe. Hinc ait Dauid: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Adeò, ſicut corpꝰ pane, ita anima lachry- S. Thõ. 3. p. q. 84. a. 8. Pſal. 41. 4.

mis pascitur amorem Dei detestationémque peccati significantibus, & minuentibus timorem diuini furoris. Sicut enim, cum cælum nubibus obtenebratum fulgura oculis, auribus tonitrua ingerit, tam diu etiam fulmina metuuntur, dum, nube in imbres resolutâ, dies iterum claresçit, & sol cælo reddit serenitatem: ita meritò peccator, qui in conscientiæ versatur tempestate & mentis caligine, diuini iudicij fulgura, timores mortis, & inferni pericula formidat: at, cum compunctus in lachrymas prorumpit, spem habet diuinæ consolationis. Sinit enim se illicò molliri Deus, quando videt, mollitum esse cor peccatoris.

III. Quis tantæ clementiæ rex vnquam fuit, vt, eodem ferè momento, flagrantissimè iratus, & rursum eidem summè placatus

Isa. 22.1. esset? At de Deo dicit: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus saluator*

Psal. 55.9. *meus, fiducialiter agam.* Quid ita? quia *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; tanquam rem tibi acceptabilem & tuo conspectu dignam, tibique in primis charam. Siquidem, sicut ea, quæ in odio nobis sunt, auersamur; ita vicissim illis, quibus animus, ijsdem etiam oculus adhæret. Ægrotauerat Ezechias, & veniens ad eum

Isa. 38. & 4.Reg.20. Isaias iam dixerat: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*: Ezechias autem conuertit faciem suam ad parietem, & cum lachrymis adorauit Dominum, & antequam exiret Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: *Reuertere & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te* &c. Alia lectio habet: *vidi lachrymam tuam*, quasi propter primam lachrymam statim & conciliatus, & sanitatem, & quindecim annos, & liberationem ab Assyrijs donârit. Potéstne maior bonitas cogitari? Illata infinito Deo iniuria, æterna damnatione, æterno supplicio digna, lachrymis, immo lachrymâ vnâ compensatur.

IV. Hæc cum ita sint, boni nunquam de salute sua desperant, sed oculos semper in cælum erigunt, semper misericordem esse iudicem credunt, atque ad pœnitentiæ remedia, ad lachrymas, ad tunsiones pectoris, ad confessionem, recurrunt. Denique etiam

S. Augustin. lib. de vera innocent. c. 184. *non est desperandum de malis*, ait S. Doctor, *sed pro ipsis, vt boni fiant, studiosius supplicandum: quia numerus Sanctorum, semper de numero auctus est impiorũ.* Hæc est ars omnipotentis, *è lapidibus filios Abrahæ suscitantis*; hic diuinæ misericordiæ fructus, *vocantis ea, quæ non*

Matth. 3.9. *sunt*

sunt: hæc *dextera Excelsi, de stercore pauperem* erigentis. Cuius, in luculenta historia, & exemplum accipe, peccator, & documentum.

V.

Iul. Mazarin. in Psal. 50. p. 1. discurs. 10. ex Iac. Vitriac. Cardinal.

Dedit id, ante me, ex idoneo authore, Iulius Mazarinus, de quadam puella, quæ venustate vultus pariter, & iuuenilibus adhuc annis florens, affinis earum rerum, quas fert adolescentia, malæ educationi, malam reposuit mercedem. Nam in delicijs, à matre, & vitæ licentia, enutrita, nimiam indulgentiam eximio dolore compensauit. Itaque assueta facilè flecti, improbo parentis suasu, haud ægrè permota incæsto animam polluit flagitio. Nempe aptum matris supplicium erat filiæ peccatum. Quid ergo Agalma mater (nam hoc illi fuit nomen) nefandi coitus exploratè gnara fecit? Dolorem, quem non potuit premere, in verba effudit; quibus acerbissimis filiæ aures identidem flagellauit, nefarium ac inauditum crimen comperisse se clamitans: facinus vtique non castâ, sed Iocastâ dignum, & flammis expiandum ab eâ perpetratum esse: & quæ alia muliebris furor suggerebat. Filia crimen audaciùs facere, quàm patientiùs audire docta, scelusque suum propalatum acerbè ferens, tollere, cum matre, exprobrationem statuit. Aberat tunc pater. optima occasio vindicandi. Igitur, parricidali conatu, matri vitam lucísque vsum, virulento pharmaco, aufert. Vbi pater domum redijt, vacuámque matrefamiliàs inuênit, tam inexpectato casu perculsus, filiam vultu, voce, minis iracundissimè obiurgauit. Infelix puella vltro citróque malè se verbis acceptam, &, quæ metus augurabatur, non ferens, ad vltimam desperationem progressa patri quoque, à quo vitam acceperat, vitam adimere decreuit. Captatâ occasione, remotísque arbitris, ceruicem incæstam parentis sicâ abscindit. Facinore patrato, se se in fugam dat, asportatâ secum præcipuâ supellectilis parte. In ignoto loco incognita, omni frontis honore valere iusso, voluptatibus extremè indulsit. Neque enim aliud supererat, quod sperare vellet. Ita diu vitam brutorum vixit, verè errans, sicut ouis, quæ perijt. Et perijsset, nisi eam summus pastor errantem quæsijsset. Vagabatur vbique misera, &, fallendi magis temporis, quàm Numinis placandi gratia, aliquando curiosè in templum intrabat, eo ipso tempore; quo diuini verbi præco, Dei misericordiam, vehementi oratione, exaggerauit, addiditque, Neminem vllum esse, sub cælo, ita profundè peccatorum

cœno

cœno immersum, cui salutis spes sit intercisa. Affectâ concione, continuò illa, omnem moram exosa, ad concionatorem accessit, atque ex eo percontata est: *Num, quæ dixisset, omnia de Dei in peccatores benignitate, vera essent?* Verissima respondit ille, eáque, quæ publicè dixerat, pluribus insuper argumentis confirmauit. Tum illa, *Si*, inquit, *ita res est, vti confidenter asseris, te obnixè rogo, Pater, vt excipias confessionem meam, ac me à peccatis absoluas, vt pro me fias pius intercessor, apud tantam misericordiam.* Annuit ille: confitetur illa: quâ auditâ, substitit aliquanto temporis spacio Pater, & cogitare cæpit, qualisnam pœnitentia eiuscemodi peccatrici esset præscribenda? Suspectum fuit hoc silentium puellæ, quæ illico. *Quid hoc*, inquiebat, *Pater, iam misericordiam valde extollebas, & nunc videris de salute mea desperare? Non ita, non ita*, ait Confessarius, *ô filia, sicut cogitas, sed in tuæ animæ bonum opto, vt ad concionem audiendam, crastino die, iterum tesistas. Quod tibi, pro salutari pœnitentia, iniungo.* Hac tam clementi pœnitentiâ intellectâ, atque, per eius exiguitatem, cum nefandis flagitijs suis, comparatam, in diuinæ bonitatis potentias immensitatémque ingressa, tanto, ob peccatorum recordationem, dolore vri, atque in tanta suspiria vrgeri cœpit, vt è templo pedem efferre non posset, sed illico cælesti amore, vel liquescens, vel contabescens, animam efflaret. Accurrunt ad cadentem homines, & adhuc, per mortuæ genas, vberrimè currentes lachrymarum riuos deprehendunt. Nunciatur ea mors Concionatori; qui defunctæ animam cœnobij sui Religiosis commendauit. His ergo, pro ea, orantibus, de cælo eiuscemodi vox venit: *Non est opus, vt oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis.* Hic huius tragœdiæ epilogus est; tam citò ex lupa agnam fecit diuina clementia, immo vel vnica diuinæ clementiæ cogitatio.

VI. Ac ne mulieres duntaxat delicati huius amoris contritionísque tam potentis capaces esse videantur; etiam apud viros, *fortis est, vt mors dilectio*; adeò vt, præ dolore tam mitis Dei offensi, & ipsi, dissiliente in partes corde, emoriantur. Refert exemplum sui temporis author, qui non minùs ipse fecit, ab alijs, laudanda, quàm narrauit ab alijs cum laude gesta. Memorat igitur, in Gallia, id *fidelissima relatione traditum* accidisse. Ad Petrum de Corboel Senonensem celeberrimi nominis Archiepiscopum (qui, in tabulis Democharis numero septuagesimus secundus est obiit-

Cant. 8. 6.

Thom Cantiprat. lib. 2. apum. c. 51. §. 7.

que

que anno 1221.) vir quidam venit, qui parum honestè pudicitiam habuerat, vitióque crescente, vim vitiúmque propriæ filiæ intulerat. Is, conscientia stimulante, ac tam nefarij criminis magnitudine perculsus, pœnitentiáque tactus, prædicto Archiepiscopo, delicta sua ingenti cum dolore animi, lachrymarúmque effusione, confessus, quæsiuit, an adeò grauis peccator *vnquam posset, vllo dolore, vel pœna, à Domino veniam impetrare?* Cui Præsul: Ne dubita, fili, inquiebat, veniam impetrabis, *si tanti mali pœnitentiam subire volueris. Et ille vehementer exclamans: Volo, inquit, etiamsi mille mortes me sustinere volueris.* Tanti est, Deum verè dilectum offendisse. Confessarius, hominis contritione cognita, confitenti, & ipse calidissimè collachrymatus: *Et ego*, inquit, *septennem tantùm tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tunc ille*, quid ille? num ad nostri seculi morem & frigus vel octidui pœnitentiam detrectauit; aut quæstus est, pœnam esse nimis diuturnam? Nequaquam. Sed, *Quid est, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantùm iniungis; quisi viuerem vsque in finem mundi, tantùm facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem.* Hoc tanto támque, ad satis faciendum, parato animo intellecto, Præsul, *Vade, inquit, & tres dies tantùm in pane & aqua ieiuna.* Minuit pœnam, auxit dolorem pœnitentis, & ad tam fœdum facinus luendum, nullam pœnam sufficere iudicantis; qui proinde longè impotentiùs plorans eiulánsque ac pectus pugnis contundens, enixissimè rogauit, ne sibi parceret, néue culpa minorem pœnam decerneret, sed *vt pœnitentiam iniungeret salutarem.* Tam accensum diuini amoris affectum supra modum admirans antistes, præsciens multa dimitti multùm diligenti, tandem imperio vsus, *præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm* Pater noster *diceret, sciretq; pro certo, peccatum iam sibi esse dimissum.* Ad hanc tam immensam Dei misericordiam ita obstupuit incaluítque confitens, vt magnitudinem diuini æstus non caperet mortale pectus. *Nec mora, dirum ille emittens eiulatum, & in terram procidens, expirauit. Nec dubia fides est, sicut Deo dignus Episcopus postea prædicauit, quin idem pœnitens, sine vlla alia Purgatorij pœna, validissima tantùm contritione purgatus, ad gloriam euolârit.*

VII. Quid primum, quid postremum dicam? quantus hîc dicendi campus? Quanta Numinis clementia? An non verè Deus

rex est ille, ad quem accedens, qui decem millia talentorum debebat, debitum sanè ingens, & vrgens pondus æris alieni, tam
Matt. 18. 26. citò, quidquid petijt, impetrauit? Siquidem *Procidens seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Atqui seruus, non remissionem, sed dilationem solutionis tantùm petierat: Dominus autem, atque in eo Christus, ait, *omne debitum dimisi tibi.* cur? *quoniam rogasti me.* non, quia triduo *in pane & aqua* inediam sustinuisti; non quia vigilijs te macerasti; non, quia longis peregrinationibus corpus tuum fatigauisti; non, quia multis annis te, cilicio & cinere, virgis & flagris, castigauisti; non, quia in eremum ac solitudinem secessisti; sed *quoniam* animo tam contrito *rogasti me.* Merebaris quidem illis omnibus te expiare; & agnoscebas, te meruisse. Quia verò tam paratus, támque promtus eras, pro facto, acceptaui
Psal. 50. 19. voluntatem faciendi. *Cor contritum & humiliatum non despexi.* Tã miserante sum animo, vt sufficiat mihi, confessio tua, contritione tali stipata. Verus animi peccata retractantis dolor, apud me, ceteris rebus omnibus antecellit. Hoc puella illa patris, hoc pater iste filiæ toro abominandus experti, iam mihi æternùm ca-
Psal. 31. 5. nunt: *Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Pro hac tanta misericordia hominibus impetranda, *orabit* ad me *omnis sanctus in tempore opportuno*, antequam scilicet tempus misericordiæ finiatur, dum hæc vita durat; dum gemitus, dum suspiria, dum lachrymæ sunt salutares. Sic patri huic incæstuoso, sic incæstuosæ filiæ salutares fuerunt, ignémque & Inferni, & Purgatorij extinguere potuerunt. A morte pater iste transijt ad vitam; ab ipsis inferorum portis, hæc filia, ad superos, migrauit. Itaque *Non est opus, vt oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis*; iam sancta, iámque exemplum, quæ paulò priùs fuit scandalum. Hæc, ad peccatorem, Christus de cælo clamat.

VIII. Videtur mihi, cum ista voce, ipsa quoque illa beata puella, & hic diuino vir amore confossus contritionéque ipsa extinctus,
Psal. 65. 4. de cælo, clamare: *Venite, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum. Venite, audite, & narrabo, omnes, qui time-*

timetis Deum: quanta fecit animæ meæ. Atque in primis, vos Concionatores, qui meritò sæpe fulminatis in peccatores, & illis iustitiam irámque diuinam inculcatis; illud etiam sedulò mementote, vt homines in spem erigatis, altissimísque vocibus identidem clametis: *Quoniam tu, Domine, suauis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.* Psal. 85 4. Multi magis se sinunt duci spe, quàm impelli timore. Res violenta est metus, quæ non diu durat, nisi amore fulciatur. Amorem conciliat occasio sperandi. Sperandi maxima & occasio & causſa est agnitio diuinæ bonitatis, ob vnum gemitum, & vnam lachrymulam, mille flagitia condonantis. Hanc, vos Dei præcones, extollite; hanc mortalibus ob oculos ponite: hanc omni arte, omnibus coloribus exornate. dici nimium non potest, vbi est infinitum. Non tot desperarent, si scirent, Deum promtiorem esse ad dandam veniam, quàm homines ad accipiendam. Verè Deum nouit, qui in Deum confidit. *Ille negat Deum, qui eum peccata dimittere non credit.* Item: *Dei misericordia est, vt peccata nostra dimittat. Nam si vellet pro meritis agere, non inueniret, nisi quos damnaret.* S. Augustin. serm. 4. de Natiuit. Domin. super Psal. 94. Denique Dauidem audite: *Deus meus, misericordia mea*, inquit. *Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum! Deus meus, inquit, misericordia mea.* Idem Augustin. in Ps. 58. Hæc beata puella illa mihi videtur ad Concionatores, de cælo, clamare. Agite, concionatores, idem clamate ad peccatores: vt qui Dauidem secuti sunt peccantem, sequantur etiam pœnitentem. Esto Bethsabæam vitiârint, esto Vriam occiderint, & adulterium homicidio cumulârint; possunt tamen lachrymis & illam fœditatem, & hunc sanguinem emundare, vt multos antecedant, qui sibi de innocentia superbè ipsis applaudunt. *Multi erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Matt. 19 30. *Hoc autem dicebat, vt nec illi torperent, tanquam redire non possent; nec hi præsumerent, tanquam stent immoti. Hoc & Ioannes exclamans aiebat: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ne igitur confidamus stantes, sed nobis dicamus: Qui stat, videat, ne cadat. Neque iacentes desperemus, sed dicamus: Nuncquid qui cadet, non adyciet, vt resurgat? Nam & Iudas priùs filius regni erat, & postea factus est gehennæ filius: & multi, postquam in ipsum ascenderunt cæli verticem, & in desertis morati sunt, quòd paulò torpuerint, supplantati sunt, &* S. Chrysost. hom. 77. ad populum.

ad ipſum malitiæ barathrum deuenerunt. Alij rurſum illinc aſcenderunt in cælum, &, ex orcheſtra, ad Angelicam migrauêre conuerſationem; & tantam virtutem exhibuerunt, vt expulerint dæmones, & alia multa fecerint ſigna.

IX. Sed neque Confeſſarios non compellat vtraque hæc hiſtoria monétque, vt ſe Patres eſſe, aut paternos iudices oportere, meminerint. Si Dei vices agunt, Dei clementiam imitentur, neque ſint in homines, homines ipſi, Conditore ſuo immitiores. Sciant ſe quoque iudicandos. Qualem ergo ipſi cupiunt habere iudicem Deum, tales & ipſi ſe ſe iudices exhibeant. Quid medicus prodeſt, qui vulnera non ſanat, ſed exaſperat? & plagas detegenti plagas accumulat? Itaque qui paternè vult agere cum pœnitente, contritionem eliciat, non indignationem: in ſpem peccatorem erigat, non conijciat in deſperationis abyſſum. Etſi enim nonnullis in ſaxum induratis malleo opus eſt, vt conterantur; cum quibus ſi leniter agas, laudare eos videberis, & in peccatis confirmare; qui vtique fortiter tangendi ſunt, vt, percallum, dolorem perſentiſcant: ſunt tamen alij, qui acri monitione penitus franguntur, quos quocunque flectas, ſi diuini amoris ac miſericordiæ adhibeas ſuauitatem. His & concionator, & confeſſarius Deum iuſtum quidem, ſed, in hac vita maximè, clementem ante oculos ponat; illum nempe Deum, qui *vocat*

S. Auguſtin. in Pſal. 32. ſerm. 1. *auerſos, donat peccata conuerſis. patiens eſt ſuper peccatores, donec conuertantur. Quandocunque conuerſi fuerint: præterita obliniſcitur, futura promittit. Hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adiuuat dimicantes, neminem deſerit laborantem & exclamantem ad ſe: donat vnde ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit, vnde placetur. Hoc magnum miſericordiæ tempus, non nos tranſeat. Venturum eſt enim iudicium. Et tunc erit pœnitentia, ſed infructuoſa.* Huiuſmodi conciones, hamus ſunt, quo trahuntur etiam in magno peccatorum pelago natantes: prunæ ſunt, quibus bona indoles liqueſcit: flammæ ſunt, quibus etiam frigida corda incenduntur.

X. Quis beneficium nouit, & non amat? Quidquid huc vſque luboratum eſt, laboratum eſt, vt Deum bonum, iuſtum, miſericordem, facientem omnibus bene, noſceremus. Vel Seneca hunc ex hac notitia fructum agnouit: nam contra Epicurum diſputans, qui Deum non eſſe de nobis ſolicitum, nec conferre

nobis

nobis vlla bona, sacrilegâ insciti â docebat, negat vllum esse, ad quem aliquid, ex illo benignissimo fonte, non manârit. *Non dat Deus beneficia*, inquit, *sed securus & negligens nostri, auersus à mundo aliud agit, aut (quæ maxima Epicuro fœlicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuriæ tangunt. Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & vndique sublatis in cælum manibus vota facientium priuata ac publica. Quod profectò non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent alloquendi surda numina, & ineficaces Deos, nisi nossent illorum beneficia nunc vltrò oblata, nunc orantibus data, magna, tempestiua, ingentes minas interuentu suo soluentia. Quis est itaq; tam miser, tam neglectus, quic tam duro fato, & in pœnam genitus, vt non tantam Deorum munificentiam senserit? ipsos complorantes, sortem suam, & querulos circumspice, inuenies non ex toto beneficiorum cælestium expertes, neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manauerit. Parum autem id quidem nascentibus ex æquo distribuitur? vt quæ sequuntur in æquali dispensata mensura transeamus, parum dedit natura cum se dedit? Non dat Deus beneficia? Vnde ergo ista quæ possides? quæ das? quæ negas? quæ seruas? vnde hæc innumerabilia oculos aureis & animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque instruens copia? neq; enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est, vsque in delicias amamur. Tot arbusta non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidóque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœnissimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commercijs viam, vasto & nauigabili cursu vadentia, ex quibus quædam, statis diebus, mirabile incrementum trahunt, vt anhela & feruenti subiecta cælo, loca subita vis æstiui torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venæ? quid in ipsis littoribus aquarum calentium exundatio?* Te, Lari maxime, téque, Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino. *Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium, immensa terrarum latè patentium spatia negas esse beneficia? si pecuniam tibi aliquis donauerit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleuerit, beneficium vocabis. tot metalla defodit, tot flumina emisit in æra, super quæ decurrunt sola aurum vehentia: argenti, æris, ferri immane*

Senec. lib. 4. de benef. c. 5. 6. 7.

pondus omnibus locis obrutum, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium diuitiarum, in summa terra, signa disposuit. negas te accepisse beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat, & tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, num mediocre munus vocabis? Ingens tibi domicilium, sine vllo incendij aut ruinæ metu, struxit, in quo vides non tenues crustas, & ipsa, qua secantur, lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas variæ distinctæq; materiæ, cuius tu paruula frusta miraris, tectum verò aliter nocte, aliter interdiu fulgens, negas te vllum munus accepisse? & cum ista, quæ habes, magno æstimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Vnde tibi istum quem trahis spiritum? Vnde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis atq; ordinas, lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam lassæ voluptatis? Vnde ista quies, in qua putrescis ac marces? nonne, si gratus es, dices? Deus nobis hæc otia fecit.

Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

Ille Deus est, non qui paucas boues, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus vbiq; passim vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiua substituit, qui non calamo tantùm cantare, & agreste atq; inconditum carmen, ad aliquam tantùm oblectationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios, spiritu nostro, alios, externo, cantus edituros commentatus est. Neq; enim nostra ista quæ inuenimus dixeris, non magis quàm quòd crescimus, quàm quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondent. Num puerilium dentium, nunc ad surgentem iam ætatem, & in robustiorem gradum transeuntem pubertas, & vltimus ille dies fugienti vitæ terminum ponens. Insita sunt nobis, omnium ætatum, omniumq; artium semina, magisterq; ex occulto Deus producit ingenia; immo producit omnia, & producit sapientissimâ bonitate temperata, vt iure vbique dicere possimus: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra?* Psal. 8. 1.

IX. Immo, quàm amabile? Idcirco dicitur: *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te*; quæ oleo atque odore tan-

re tantę benignitatis vbique ſpirantis ſuauiſſimè trahuntur. Quanquam *adoleſcentulæ* vocantur, vt exponit Origenes, animæ in virtute nondum perfectæ, ſed incipientes. Hæ enim, teſte S. Gregorio Nyſſeno, ſunt, quæ idcirco Deum diligunt, quia ſentiunt nominis illius effuſionem, fragrantiam, & ſuauitatem. Perfecti non ſpectant eiuſcemodi ſuauitates. Amant enim Deum propter Deum; amant, vt ament: quippe amor verus non eſt mercenarius, ſed liberalis. Amor verus ille eſt, qui ait: *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Siue extollimur, ſiue deijcimur, Dominum diligimus. Siue percutiat, ſiue ſanet, Dominum amamus. Siquidem, vt Chryſoſtomus ait: *Amantis eſt, nunquam ab his abſiſtere, quæ placent amato:* ſed dicere: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſecutio? an gladius?* Quare de his, in altero volumine diſſerendum eſt; vt diſcamus & illud dicere, quod ſequitur: *In his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos.* Diligit enim etiam, cum punit. Quam ob cauſſam, multò magis exclamandum eſt: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ?* Quod etiam vt, hoc titulo, *admirabile* eſſe, ſcias, LECTOR,

Orig. in lib. duar. homil. in Cantic. S. Gregor. Nyſſen. orat. 1. in Cantic.

Rom. 14. 8.

S. Chryſoſt. hom. 1. ad popul.

Rom. 8. 35.

Pſal. 8. 1.

Id quod maximè, in orbe, miror, hoc eſt:
Oderunt homines Deum, nec vllam
Nouerunt odij inuenire cauſſam.

Omnia ad maiorem diuinæ Bonitatis gloriam.

RERVM ET VERBORVM TOMI PRIMI.

Prior numerus Caput, posterior Paragraphum indicat.

Aaron sorte electus. 34. 3. Qua? 35. 4. virga florente. 36. 7.
Abbates diligenter debent visitare. 28. 7.
Abel per sanguinē vindictā postulat. 4. 10.
Abraha hospitalitas. 4. 11. seruus fidelis. 35. 8.
Absalom mulam pro carnifice, crines pro laqueo habuit. 34. 13.
Abstinentiæ bona. 16. 8. seqq. virtus in Fulgentio & Edmundo. 16. 12. Imperatorum. ibid.
Abyssus iudicia Dei. 3. 2.
Acceptio personarum non est in Deo. 5. 14.
Accipiter Casibim defendit. 22. 1.
Achan reus sorte deprehensus. 34. 3. & 35. 4. & 36. 5.
Achitophelis impatientia. 33. 7.
Acino sua suffocatus Anacreon. 16. 14.
Adam quantum habuerit dominiū in bestias? 22. 8. 9. à Deo cibum accepit. 9. 2. & vestem. 10. 6. malè putauit, se abscondi posse. 5. 3 malè culpam in vxorem conjecit. ibid. eius ossa cur in arcam intulerit Deus? 42. 19.
S. Adelgundis calumnia sensum & solatium habuit. 31. 15.
Aduersa prosperis præferenda. 26. 5. in officio continent & emendant. 30. 5. optantur à magnis. 31. 3. excitant omnes virtutes. 31. 9.
Adulterij suspicione liberata B. Virgo. 12. 1. exlator eius. 39. 15. crimine accusata à Pharisæis, à Christo non damnata. 41. 5.
AEdificia sacra miris prodigijs adiuta. 17. 11.
AEger à Deo, tempore hiemis recreatur fragis. 19. 7.
S. AEgidij miraculū de tribus liljs. 21. 5. à cerua nutritus. 22. 11.
AEgyptij agros sortiti. 34. 3.
AEmuli meritò metuuntur. 39. 14.
AEnigmatographi. 17. 16.
Afflictis parcendum. 30. 9.
Agag pinguis occiditur. 16. 10.
Agar ab Angelo compellata. 10. 6.
Aglaidis mira conuersio. 42. 5.
Agni specie Christus ager fertur à S. Francisco. 15. 4.
Agrestius ad diuinum iudicium euocatus. 37. 8.
Agro incenso Ioab citatur. 31. 8.
Aiacis cæcus furor, iratorum imago. 40. 2.
Alapā S. Bennoni datā luit Marchio. 37. 6.
Alaricus dux, Dei flagellum. 30. 7.
Alcæi clementia. 6. 11.
Alendi homines varij modi. 19. 11.
Alexander, cur non magnus? 33. 6. liberaliter sacrificans, liberaliter recipit. 15. 8. ictus sapit. 31. 8. alius à S. Paulo vindictam prædicente monetur. 37. 4. alius cur duplici corona dignus? 5. 12.
Alheydis argutè delicatos religiosos perstringit. 10. 5. in Eucharistia mel sentit. 19. 3.
Alipius conuersus apertione epistolæ S. Pauli. 34. 6.
Aliter dicta, aliter accepta. 25. 7. seqq.
Alphonsi in iudicando industria. 35. 2.
Alternæ vices fortunæ in Henrico. 29. 3. seqq.
Aman gratia Assueri excidens à fauore primo

primo non adiutus. 14. 5.
Amara vita diuitum, 19. 12. *aqua ligno dulcis reddita.* 19. 5.
Amasis rex felici amicitiam renuntiat. 26. 8.
Ambitionis remedium for. 34. 3. *pœna.* 40. 12 *seqq.*
Ambulare ebrij cur non possint? 32. 7.
Amicitia sanguinis permistione coalescit. 43. 1. *felicitate dissoluitur.* 26. 8.
Amor Dei etiam erga non bonos, bonos facit. 11. 6. *est causa sanctitatis & miraculorum.* 12. 8. *verus quis?* 43. 9. *erga misericordes.* 14. 3. *seqq. erga inimicos.* 14. 6.
Amphilochij simplicis prudens strategema. 21. 10. *seq.*
Anacreon acino vua suffocatus. 16. 14.
Anania & Sapphira mors. 37. 4.
Andobuntus rex vino perit. 16. 14.
S. Andreas etiam spretus succurrit. 34. 9. *à S. Gregorio peculiariter cultus.* 34. 10.
Androdus à leone grato pastus. 22. 1.
Angelorum esca cur Eucharistia? 15. 9. *Onuphrio & Bertrando.* 15. 10.
Angelus Agar & Abrahæ succurit. 10. 6. *B. Virginem defendit.* 12. 1. *Magos in stella instruit.* 12. 11. *Iosephum dormientem monet, curatq; omnes* 12. 3. *solatur.* 17. 6. *fert panem.* 17. 11. *seq. vuas & ficus fert Anachoretæ.* 18. 2 *cibos Hellent.* 18. 3. *manna.* 18. 4. *Maurelium iubet domum redire.* 34. 15. *chordæ tactu S. Francisci um recreat.* 19. 4.
Anna Austriaca Sancto menstruo monita ad mortem se parat. 35. 11.
Anima Sanctorũ ad Deũ clamantes 37. 4.
Animalia terrena à marinis diuersa. 31. 9.
Annulus in mare proiectus, recipitur 26. 8.
Animo prodest corpus languere. 32. 11.
Anser Capitolium seruat. 22. 1.
Antichristi nomen per numerum, 36. 8.
Antigoni præsentia quanti? 15. 5.
Antonius Pius Fortunæ statuã alterniis filijs habendam linquit. 23. 5.
S. Antonius Euangelio conuersus. 34. 6.
Anus vaticinans caussa homicidij. 36. 13.
Anxijs & dubio cruciatis quid agendum? 12. 1.
Aquila piscem S. Cuthberto defert. 16. 2.
Archesilaus vini hausto suffocatus. 16. 14.
Apertendum Deo pulsanti. 41. 11.
Apostatare volens miro casu retinetur. 25. 7. *seq.*
Apostoli multa non intellexerunt. 4. 6. *eorum tenebræ.* 7. 2. *à Christo defensi contra calumnias.* 13. 11. *in piscatu à Christo aduti.* 20. 4. *nominatim sortitione electi.* 34. 9. *seq.*
Aqua è saxo ad baptismum emicans. 14. 11. *data nauigantibus è nube nauim secutâ.* 17. 14. *ex mari dulcis.* 17. 15. *ex arbore.* 17. 16 *quibus regibus?* 19. 10. *per lignum facta dulcis.* 19 5 *&* 31. 13. *tribulationes significat.* 31. 9. *laboriosè alijs per pœnitentem allata.* 41. 9. *mortuos viuificat.* 43. 1.
Aquila grata benefactori 22. 2. *vmbram facit, omen Augusto panem rapit. ib. seruata hominem seruat.* 22. 6. *contra serpentem defendit. ib. à polypo in mari mersa.* 42. 7.
Aranea S. Felicem tegit, 17. 13.
Arbitrij libertas nullo fato tollitur. 27. 3. *seqq.*
Arbor instar fontis aquam stillat. 17. 16.
Arca Noë aquis exaltata, tribulationis fructum denotat 31. 9.
Arcus cælestis quales dicatur homines facere? 27. 6.
Arsopharnis mirum iudicium inter tres filios. 35. 2.
Aristomenes cadens, ab aquila susceptus. 22. 7.

Arnol-

Arnoldus calumniator emergit. 39. 7.
Arrha animæ est tribulatio. 31. 16.
Arriani tribus guttis, seu gemmis refutati. 36. 10.
Artaxerxes aquâ & pane delectatus. 19. 10.
Asella Virginis asperrima vita. 16. 13.
Asina instrumentum Dei monentis. 14. 13.
Asperrima vita Fulgentij & Edmundi. 16. 12. *Asellæ Virg.* 16. 13. *Genouefæ. ib.*
Aspis cui sacra? cur & quomodo culta? 1. 2. *an bonos à malis dignoscat?* 1. 2. *seqq. à pueris innocentibus sine damno capiatur.* 6. 6. (22. 1.
S. Athenogeni cerua hinnulum offerens.
Atheorum vox. 5. 2. *seq.*
Athletarum sortes pro antagonistis. 34. 2.
Atropos Parca. 27. 1.
Attila Dei flagellum. 30 8
Auaritia ministrorum obest dominis. 17. 6. *dominorum in Religiosos.* 21. 2.
Audomarus cacus esse cur maluerit? 32. 12.
S. Augustinus à mendico discit. 19. 11. *à puerulo doctus exhauriri non posse mysterium SS Trinitatis.* 21. 8. *nomen Fortuna retractat.* 34. 4. & 4 6. *conuersus apertione epistolarum S. Pauli.* 34. 6 *peculiariter colit S Stephanum.* 34. 10 *sorte vsus diuino instinctu.* 35. 5. & *ad alios seligendos.* 35 7.
Augusto Imp panem è manu rapit aquila. 22. 2.
Auicula agro Petro Canisio diuinitus missa. 19. 8.
Aulicorum artes & pietas incuriosa. 1. 1. *mores inutiles.* 23. 11.
Aurum egentibus miraculosè submissum. 13. 6. *in statuam Fortunæ factum in cubiculis Principum.* 32. 5. *Virga exploratum.* 36. 6.
Auxilia humana vbi desunt, diuina adsunt, 11. 1. *seqq.* & 12. 1. *à damone non petenda.* 12. 11.

Bacchanalium iocus. 7. 11.
Baculus mirificus S. Columbæ. 16. 10.
Balaam asina. 34. 13. *Vaticinium quomodo agnitum?* 27. 10.
Balneo exiens moritur. 37. 10.
Baptismus a Christo Turcæ suasus. 41. 15. *diuinâ prouidentiâ Eunucho collatus, non sine miraculo.* 14. 1. *Item Processo & Martiniano. ib. n.* 11. *simulatè acceptus vimsuam exeruit in Genesio.* 14. 6. *triplex Philemonis.* 14. 7. *quàm necessarius? ib.*
S. Barbara B. Stanislao Koska SS. Eucharistiâ portat. 15. 3. *eius patrocinio ib.*
S. Basilius Euangelio conuersus. 34. 5. *quos sanctos peculiariter coluerit?* 34. 10
Beatorum felicitas descripta. 32. 2.
Bellerophontis littera. 28. 10.
Benedictio cerua prodest. 22. 1.
Benedictus Dominus, &c. cantatum bono omine. 25. 10.
S. Benedictus farinam à Deo miraculosè accipit. 17. 4. *oleum orando impetrat. ib. n.* 5.
Beneficia Dei quot & quanta in omnes? 43. 10. *offert Deus, sed repudiantur.* 41. 14.
S. Benno clauem recipit à pisce. 26. 9. *Marchionem citat ad tribunal Dei.* 37. 6.
Bevoni cur filij Dei. 31. 4. *simul filij doloris & dextera. ibid.*
S. Bernardus clericum ad religionem vocat. 25. 9. *ad iudicium Dei prouocat.* 39. 13. *fortiter fert iacturam pecuniæ.* 32. 10.
Bertranda spiritualiter communicans, hostiam accipit per Angelum. 15. 10.
Bestiæ hominibus parentes variæ. 22. 5. *earum etiam dum nocent, vtilitas.* 22. 10. *ijs Deus vtitur tamquam ira sua ministris.* 1. 4. *sæpe etiam in sanctos ipsos.* 1. 5.

Bethsaida quid significet? 12. 9.
Bona & mala à Deo. 30. 1. *bona huius & alterius vitæ, sunt diuersa præmia.* 31. 6. (41. 3.
Bona facere quomodo Dei proprium sit?
S. Bonauentura, ob humilitatem, abstinens à communione, per angelum accipit Eucharistiam. 15. 11.
S. Bonifacij Martyris mira conuersio. 42. 5.
Bonitas infinita Dei 41. 14. *seqq. immensa.* 6. 1. *Dei proximissimis incarnati.* 11. 5. & 6. *in quo consistat?* 6. 3. *seqq. ea nonnullos malè scandalizari.* 41. 1. *seq.* (1. 8.
Booz erga Ruth benevolus figura Christi.
Bos miraculosè missus in cibum pauperũ. 20. 6. *compensatus. ib. n.* 8.
Boso monachus iniuriosus punitus. 37. 12.
Bibens moritur ambitiosus. 40. 14.
Burchardus Episcopus ad iudicium Dei it. 37. 12.

CAECA *cur fortuna pingatur?* 24. 2. *cæcitatis mala.* 7. 1. *seqq. Cæcus esse maluit Audomarus.* 32. 12. *Cæcus in Hiericho. quem significet?* 7. 1. *spontaneus Dei prouidentiã non videt.* 13. 13.
Caduca omnia. 33. 4. & *n.* 6.
Calum hominis semper aspiciendum. 31. 16.
Calum Misericordiæ protegens collatum. 8. 7.
Cæremonijs ascripta veteres sortes, nunc non sunt amplius licita. 36. 1.
Cæsar in mari non metuens. 12. 4.
Caipha prophetia. 25. 8.
Calamitas cuiusq; maximè tolerabilis. 2. 4.
Calendaria prohibita ob vaticinia 27. 6.
Calix capit sortem tneunda religionis. 35. 9. *sacer per sortem datus, Imperatorem facit.* 34. 2. *Domini bibendus.* 31. 13.
Calor stomachi ferrum consumit. 31. 9.
Caluinus impiè hæmorhoissam reprehendens. 12. 7.
Calumnia vis. 31. 15. *pœna. ibid. solatium. ibid. eam ab hominibus Deus repellit.* 13. 11.
Calumniator punitus. 40. 12.
Cancer crucem refert S. Franc. Xauerio. 26. 9.
Canes Cyrum aluut. 22. 1. *canis & porci fabula.* 16. 10.
Cantus omen est victoriæ Clodouæo. 34. 12.
Capitolium ab ansere seruatum. 22. 1.
Caropauperum aucta. 17. 14. *ea & hostis noster, non delicatè habenda.* 16. 7.
Caroli Magni iudicantis industria. 35. 2. *Quinti abdicatio.* 26. 2.
Carpi Episcopi visio 6. 7.
Casibilium accipiter defendit. 22. 1.
Castitas & abundantia cibi aduersantur sibi. 16. 7. *eius pericula.* 42. 7. *seq.*
Casibus mira effecit Deus. 25. 1. *seqq. ijs omnia fieri qui docuerint?* 24. 2. *Casus secundùm Ciceronem quid?* 25. 1. *quid secundum S. August?* 24. 6. *quo modo differat à Fortuna? ib.* 10. *Varij.* 33. 3. *mirabiles Henrici.* 28. 2. *seqq. Magnorum.* 26. 2.
Catharina Aragonia unde? 31. 7. *Senensis Christum præsentem habuit, cùm absentem putaret.* 12. 5. *desiderium Euch. acquirit.* 15. 7. *quamdiu sine cibo vixerit?* 9. 6. *Eiusdem pugna, victoria, visio utilis scrupulosis.* 12. 5. *Ei bonitas Dei reuelata.* 6. 6.
Causa per accid: Fortũa & casus cur? 24. (8. 9.
Cæde quid sit? 22. 7.
Centuplum pro eleemosyna. 20. 8. *receptũ.* 13. 14. *eiusdem fraudatio.* 17. 6.
Cereorum accensio pro sorte adhibita. 34. 9 *superstitio. ibid.*
Cerua S. Ita præluces. 34. 13. *cerua ductrix, victoriæ omen. ab* 12. *S. Aegidium nutrit.* 22. 1. *alia Athenogeni hinnulum quotannis offert. ib. alia Hunnis viam*

Viam ad Scythas monstrat. ib. alia Clodouæo. ibid.
Chalcidij de Christum significatura stella testimonium. 27. 10.
Charitas multos in hac vita retinet. 38. 2. Dei immensa. 6. 1. seq. 11. 6. 7.
Childericus cibo perit. 16. 14.
Chosroù calum fictitium. 5. 1.
Chrismatis diuinitùs aucti miraculum. 14. 8.
Christianorum cadauera supina natantia. 41. 15. ij quantum patiendi amorem & patientiam habuerint? 40. 8.
Christi tota vita arumnis plena. 31 11. alternata vices per prospera & aduersa. 29. 6. Eius vox, Ego sum, quàm potens? 1. 14. bonitate offensi mali. 41. 1 figura, Eliseus miraculosè populũ pascens. 17. 2. Christus patientiæ exemplum. 40. 7. quos mortuos resuscitauerit? 38. 4. ad Patris iudicium prouocauit. 37 4. Philemonem baptizat. 14. 7. serpenti similis. 1. 6. seqq. iudicat quatuor modis. 1. 9. seqq est index cordium. 5. 4. seq. Carpo Episcopo qualis apparuerit, vt miseris cordiam doceret? 6. 7. Furi apparet in occipite oculatus. 7. 6. quomodo per stellam agnitus? 27. 10. 11. quomodo stella fatum? ib. n. 9. in latere panem atrum tingens dulcem facit. 19. 4.
S. Chrysostomus exul à SS. Petro & Ioanne Apostolis prater consolationem, Eucharistiam accipit. 15. 3. S. Paulum peculiariter coluit. 34. 10.
Chrystallinus globus diabolum inclusum habet. 36. 11.
Cibum pretiosiorem nobilioribus dat saculum, at contrarium facit Deus. 16. 1. quàm paternè suis prospiciat Deus? 9. 2. Cilem nauseatum sapidum fecit sanguis Christi. 19. 4. compensat absentem Deum. ib. n. 6. si intelligeret, mallet bonos alere, quàm malos, & cur? 19. 8. eius condimentum fames. 19. 10. nimio pertère Domitius, Septimus Seuer⁹, Valentinianus Imp. & Iouinianus Imp. Childericus, 16. 14.
Ciceronis cum Fortuna pugna. 24. 5.
Citatio ad diuinum tribunal quàm multiplex? 37. 1. à quibus facta? ib. n. 3. seqq. eò citati comparere coacti. 39. 2. seqq.
Cirbara symmetria. 8. 7.
Claues in Vndas sparsa redeunt. 34. 14.
Cleanthis timor Vrsis. 5. 15.
Clemens VI. pont. ad iudicium Dei citatus. 39. 9.
Clementia Dei se sinentis de decreto dimoueri. 39. 11. immensa 6. 1.
Cleantes Fati assertor. 27. 1.
Clodouæi omen de Victoria, cantus, cerua. 34. 12. is viam à cerua ad hostes discit. 22. 1.
Clotho Parca nomen. 27. 1.
Clymene mater Phaethontis. 31. 1.
Cœnredus rex sceptrum relinquit. 26. 2.
Cognitio Dei in quantum se extendat? 3. 6. seqq 5. 4. seqq. & ad ea quæ non sunt. 5. 6. cognoscere quàm pulchrum? 6. 1.
Colendus Deus non ob temporalia. 33. 8.
Colloquiorum piorum vis. 18. 6.
Columba schedam criminis indicem tulit. 25. 12. ea specie S. Spiritum affert Euch: 15. 13.
S. Columba mirificus baculus. 26. 10.
B. Columbanus mortuus à discipulo contra calumniatorem defenditur. 37. 8.
Communio spiritualis S Thomæ, & Augustino quid? 15. 8. S. Francisco qua & quàm vtilis? 15. 4. seq. realis communione efficacior, spiritualis frequentior. 15. nulla excusatio est hanc negligentibus.

tibus. ib. n. 10. quanta ad eam praparatio necessaria? ibid. n 12. indigni à dignis segregantur per S. Thomam Apostolum, & per angelos. ib. 13. indigna quantum peccatum? ib. 14.

Commutatiua iustitia an, & qualis in Deo? 5. 9. eius fructus. 5. 10. Confessio bona est, etsi confessarius sit in alia de aliquo peccato sententia, quàm confitens. 15. 2. à Christo suasa desperato. 41. 13.

Confessariorum & concionatorum est ad spem erigere 43. 8.

Confidentia in Deo, in necessitate summa. 15. 15.

Confirmationis sacramentum miraculo iuuatur. 14. 8. à Nouato negligitur cum fidei damno. ib. n. 9. non negligendum. 34. 4. (4. 5.

Confugiendum ad Christum in malis. 12.

Conradi II. Imp. laus. 28. 2.

Conscientia terror. 37. 10.

Constantini M. patientia, statua ipsius laus. 32. 11.

Consulere Dominum quid? 36. 9.

Contemptus rerum terrenarũ, causa miraculorum. 12. 8.

Contraria arti media vtiliter adhibita. 21. 1.

Contritionis vis. 43. 6.

Conuersio mirabilis philosophi. 21. 15. S. Pauli. 14. 3. & seq. in ea anè Vipera Paulum mordente potuerit conijci, eum homicidam, aut reum esse? 1. 3. seqq. S. Basilij per Euangelium. 34. 5.

Conuiuium Eremitarum. 16. 3. opponitur conuiuio mundi. ib. Peccatoris luctuosum. 40. 14.

Corinthus collibus attollitur. 29. 4.

Corporis dolores quomodo ferendi? 32. 11.

Coruini, cur à coruo nomen? 22. 2.

Corum contra hostem pugnat. 22. 2.

Credendam, & altiora mysteria, ita & iudiciorum Dei iustitiam. 5. 13.

Crœsi casus. 2. 2. consilium bonum ib. n. 3.

Crantor vitam frugalem comparat Ithaca. 16. 11.

Creaturæ innocentibus parent, in statu iustitiæ originalis, & extra eum subinde. 22. 5. ad Creatorem nos ducunt. 27. 12. earum natura ab oratione vincitur. 39. 12.

Creta furem prodit. 25. 14.

Creon Fati mancipium. 27. 1.

Crumena inexhausta nummis. 17. 14.

Crux omnia dulcescere facit. 9. 5. eius signo lupus domatur. 22. 5. Venenum pellitur. ib. n. 6. Crucifixus Polycrates felix. 16. 8.

Cubicula Principum aurea ornantur Fortuna 32. 5.

Cultus martyrum quàm vtilis? 42. 19.

Cura Dei erga homines quanta ex mente Socratis? 10. 1. temporalium non semper mala. ibid. sed Dei pluris faciendo 10. 2.

Curiositatis insignis pœna. 36. 13.

Currum cur Elias, cur Deum dici posuit? 5. 2.

S. Cuthbertus Heriberto mortem impetrat. 38. 1. Et per aquilam Deus piscem mittit. 16. 2.

Cyrus rex cur in plano Persas nouerit habitare? 11. 1. à canibus altur. 22. 1. nimium felicitatis credens, perit. 26. 3.

Daniel inter leones securus. 22. 9. senes docet. 21. 6. Eius & trium puerorum cibus. 16. 3. Eidem de cibo à Deo prospectum. 17. 2.

David quo modo per vias rectas ductus? 29. 5. ad Deum iudicem prouocauit. 37. 3. Oratione Dei decretum mutauit. 39. 1. Tulipa similis, sed & dissimilis. 30. 3.

Debitor

Debitor Deus qualis? 5. 9. *seq.*
Debitorum mirabilis solutio. 26. 7.
Decorticata virga in fortes usurpata. 36. 6.
Decretum DEI quomodo mutet oratio? 39. 11.
Defunctum honorat cerua. 22. 1. *defunctam aquila ib. n.* 2.
Delicias mensæ Lacedamonij remouent. 19. 10.
Demetrius odit fortunam tranquillam. 31. 7.
Demosthenis laudata cum malis consuetudo. 15. 15.
Derelicti ab alijs, à Deo iuuantur. 15. 15.
Desiderium baptismi. 14. 7. 8. *Eucharistia* 1. 1. 2. 3. *seqq.*
Desperandum nulli. 42. 1. *seq. qui desperare maximè soleant? n.* 3. *maximè peccant.* 41. 4. *desperati emendatio à Christo ipso procuratur.* 41. 13.
Detractores absentum quàm insaniant? 7. 15.
Deus unde dictus? 5. 4. *aliquis est.* 5. 2. *seqq. vrsitur ad puniendum bestijs.* 1. 4. *est omniscius* 3. 6. *seqq* 5. 4. *incomprehensibilis.* 3. 2. *seqq. currus similis.* 5. 2. *omnia portat. ibi. in quo curru ipse sedeat?* 5. 4. *omnia nouit.* 5. 5. *remuneratur.* 5. 11. *seqq punit* 5. 15. *est immensa bonitatis.* 6. 1. *& charitatis.* 6. 2. *cur dicatur pater misericordiarũ? ib. longanimis.* 6. 4. *multò quàm homines clementior Carpo Episcopo ostensus.* 6. 7. *solis similis & oculo* 7. 3. *est pater luminum. ib. debet trahere & benefacere* 8. 1. *seqq. alit suos* 9. 2. *homines curat.* 10. 1. *eo præcipuè nitendum docet* 8. *Ignatius.* 10. 2. *Is mundo contrarios mores habet.* 16. 1. *alit pauperes. ib. n.* 2. *omnia est in omnibus.* 3. 1. *succurrens Adamo, Noe, Abrahamo, Agar, Isaac, Iacob, Ioseph, Israelitis.* 1. 6. *& seqq. A Deo timendus ac amandus.* 14. 4. 5. *sortes in manu habet.* 34. 1 *patre, matre, & cognatis magis iuuat* 3. 3. *casus dirigit.* 25. 3. *seqq. iudicum iudex est.* 39. 1. *author & consolator malorum.* 30. 9. *seqq. solus magnus.* 32. 11. *non ob temporalia colendus.* 33. 8. *Dei & Filij Dei fides quomodo philosopho persuasa?* 21. 13. *Dei est noxias bestias frenare.* 22. 9. *Eo nitendum, cùm omnia alia desunt.* 10. 4. *pulsanti aperiendum* 41. 11. *nullum Epicurus agnouit.* 24. 1.
Diabolus mendacijs fallit. 36. 12. *Fortunam & deam cur inuenerit?* 24. 7. *ecquis unio vincitur.* 16. 8.
Diadematis execratio. 32. 21. *eo se suspendit Monyma.* 32. 14.
Diana ab epulo exclusa dictum. 15. 1.
Didacus Lopesius diebus perusigilys B. V. & præcedente die ieiunat. 16. 7.
Didrachma quid? & an à Christo iure exactum? 3. 5.
Dies Domini non desideranda. 40. 5.
Diffidens Deo manet pauper. 13. 13.
Dijs stultè putantur sidera. 27. 12.
Dilectio inimicorum. 10. 5. 6. 7.
Diocletiani ludus in ferium baptismum versus. 14. 6.
Diogenes Platonem & profusum carpit. 16. 1. *eius de paupertate dictum.* 16. 11.
Dipsas qualis serpens? 42. 7.
Discipulus magistrum defensurus ad diuinum iudicium vocat eius calumniatorem. 37. 8.
Discrimen inter bonos & malos. 1. 11.
Distributiua iustitia an in Deo? 5. 11. *eius exempla.* 5. 12. *seq eius fructus.* 5. 14.
Ditescere facit liberalitas in pauperes. 20. 9.
Diuinatio pro industria iudicij. 35. 2.
Diuisio terræ per sortes facta. 35. 4.

Diuites

Diuites egentes 17. 1. *pluribus morbis vexantur.* 9. 6. *ad dandum obligantur.* 9. 7. *seqq. eorum mala,* 16. 8. *seqq amara vita,* 19. 12. *insatiabilitas* 16. 8. *eorum & pauperum metamorphosis.* 16. 4.

Diuitiarum qua felicitas? 32. 5. *qua constantia?* *ib. n.* 6. *seqq. ea faciunt sceleratos, n.* 7.

Dolium vini miraculosè durat. 17. 12.

Dominium prognostico *significatum.* 25. 13. *Dei absolutum* 5. 8. *seqq. hominis in bestias.* 22. 7. & 8. 9.

Domitius nimio cibo perijt. 16. 14.

Dormientibus hominibus Angeli pro eis vigilant. 12. 3. & *ipse Deus, ib.* 4.

Dubitanter cur loquatur Deus? 24. 12. 13.

Duces belli non debere esse crudeles. 39. 2. *seqq. aut nimis seueros.* 39. 14.

Ductrix cerua. 34. 12. & *cerua. n.* 13.

Dulcedo Dei. 18. 1. *seqq. pauperum.* 19. 12. *panis.* 18. 5. *Eucharistiæ.* 19. 3. *sanguinis Christi.* 19. 4. *aquarum, lachrymarum, laborum. ib. n.* 5. *inopiæ & famis. ib. n.* 6.

Duplicia omnia cur ebrijs & furiosis appareant? 32. 1.

Dux belli à puero prostratus. 25. 6.

Eriosorum mala. 10. 8.

Ecclesia bonorum violator *punitus.* 40. 15. *ea nec ab Episcopis* violanda. 37. 12. *eius caput reginam Anglia negantes ad patibulum damnatæ prouocant ad Deum.* 31. 9.

Edendi solicitudo. 9. 1.

Edildrida patiens in morbo. 31. 8.

S. Edmundi abstinentia. 16. 12.

Egestas diuitum. 17. 1.

Egidius vulneratus *cur sanari noluerit?* 32. 31.

Eleazari abstinentiæ exemplum. 7. 14. *Eleazar & Ithamar in ministerio sorte diuisi.* 35. 4.

Electio Sanctorum in patronos antiqua est. 34. 9. 10.

Eleemosyna causa superbiæ. 32. 9.

Eleutherius in carcere à Christo Eucharistiam accipit. 15. 12.

Eliam corui alunt, & vidua. 9. 2. *eius parum, sed potens cibus.* 16. 3. *zelus in* 50 *viros.* 37. 3.

Eligenda non sunt, sed acceptanda mala. 33. 8. *Eligenda qua fortuna?* 31. 7. *eligere semper bonum, immò melius, cuius fuerit?* 1. 9.

Elisabetha vidua lubens misera. 31. 3. *peculiarem patronum sortitur diuinitus S. Ioannem Apostolum.* 34. 11.

Elisæus figura Christi populum pascentis. 17. 2. *eius zelus contra malos pueros.* 37. 3.

Empedoclis stultitia in Aetnam insilientis. 32. 11.

Emptio bouis simplicissima & fidentissima. 20. 7.

Epaminondas parcit victis, ne irritet 26. 2.

Ephod quid? 36. 9.

S. Ephram præsentia Dei *conuertit impudicam.* 7. 11.

Epicurus Deos *omnes è medio cur tollat?* 24. 1. *Deo iram & gratiam negauit.* 8. 2. *eius* assecla *de* Dei *prouidentia malè sentiunt.* 5. 4.

Episcopus à monacho iniuria affectus Deum vindicem *obtinet.* 37. 12.

Epulo & Lazarus in fortuna rota. 26. 6. *Epulonis præmium & pœna.* 31. 6.

Epulum in Natali Christi pauperibus datum. 20. 6. *sacrum non omittendum.* 15. 1.

Equitatus Iesu, pauperes. 20. 6.

Equus hinniens arte regem facit, non est tamen propriè sors. 35. 2. *inuenitur hinnitu, ib. à pictore casu perfectus.* 25. 5.

Eremitæ

Eremitas Deus *miraculosè alit.* 18. 3. & 5. *eorum Vita.* 16. 3. *seq.*
Erkenbaldi iustitia miraculo approbata. 15. 2.
Ernestus II. Dux *puerum expositum reperit.* 28. 8.
Error Vaticinantium Mathematicorum. 36. 13.
Esther quantum auxilium tulerit? 10. 12. *fuit figura B. V. ib.*
S. Ethelo Waldi, confirmationis sacramentum collaturi, ampulla amissa plenior repertur. 14. 8.
Ethnicorum de fortuna disputatio. 33. 1.
Euangelio conuersus S. Basilius. 34. 1. & *S. Antonius, item S. Augustinus, & Alipius. ibid.*
Eucharistia iustitia amatori moriturо negata, miraculosè datur. 15. 2. *Item & S. Chrysostomo, Stanislao Koska, Maria Aegyptiaca, S. Lucia, gladio transfixa, suspenso per triduum. ib num.* 3. *S. Onuphrio ab angelis data.* 15. 9. *est osculum oris. ib. item Friderico Ratisp. ib. Bertranda ib. n.* 10. *Marco monacho. ib. n.* 11. & *alijs pluribus. ib. seqq. eâ solâ Vexit Nicolaus Heluetius.* 19. 2. & *S. Catharina Senensis.* 9. 6. *eâ praesente homines verentur peccare.* 7. 10. *in Viaticum quàm necessaria?* 41. 15.
Eunuchi Candacis conuersio. 14. 1.
B. Eustachius ad diuinum iudicium vocat calumniatorem. 37. 8.
Eustochij Archiep. misericordia in agram. 31. 5.
Exacant diuitia. 32. 7. *Voluptates* 32. 1.
Excusationes à ieiunio friuolæ. 16. 4. 5. & 13.
Experientia discitur Astrologia. 27. 8.
Exul spontaneus S. Maurilius. 34. 14.
Ezechia oratione, Dei decretum mutatum. 39. 11. *Vtilis pœnitentia.* 43. 3.

Fabri Filius Christus, & Gregorius VII. 25. 13.
Fabula de imagine instella Magorũ. 27. 11.
Fœnerari licitè & vtiliter. 13. 14.
Fames ingens quid suadeat? 20. 11. *curatur farinâ à Deo missa.* 17. 4. *ad tentandum immittitur. ib.* 8. *diuitum.* 17. 1. *pauperibus non nocet. ib n.* 2. *cibi condimentum.* 19. 10. *Samaria curata.* 20. 3. *spiritualis Eucharistiæ.* 15. 8.
Farina S. Benedicto miraculosè missa. 17. 4.
Fatum quid sit? 24. 9. *quo sensu toleret S. Aug:* 16. 16. *quo sensu verum sit? ib: & seqq. Deo & libertati arbitrij contrarium.* 27. 13. *seruum non excusat. ib. non accusandum.* 25. 2. *ei stultè permittuntur omnia.* 27. 13. 14. 15. *eius necessitas à quibus asserta?* 27. 1. *quid vulgus, quid veritas de fato asserat? ib. n.* 2. *quomodo refuteturtib. n.* 3. *seqq.*
Fauorinus cum Imperatore simultatẽ gerens cur fuerit admirationi? 6. 8.
S. Faustino in carcerem affert sacram hostiam S. Spiritus. 15. 13.
Fauus distillans quid? 19. 3.
Felicissima fortuna periculosissima. 31. 7. *Felicem esse infelicem.* 32. 1. *felicium metus quis?* 26. 3. *Felicitas Beatorum descripta.* 32. 2. *vtraque huius & alterius vita simul haberi nequit. ib. futura præsenti anteponenda.* 32. 1. *aeterna vera.* 32. 1. *temporalis qua?* 32. 3.
S. Felix frigore rigentem fouet. 17. 13. *pascitur & abscondituir miraculosè. ib:*
Felle tribulationis oculi hominibus aperiuntur. 2. 14.
Femina precacis mores. 42. 6. *seqq. earum friuola excusatio à ieiunio.* 16. 13.
Fera baculo capta. 26. 10.
Ferdinandus III. Legionis rex ad Dei tribunal citatur. 39. 6.

Ferrum struthio & homo digerit. 31. 9.
Festi peruigilium seruans præmiũ à Deo accipit. 13. 12. *festo corporis Christi communicandi desiderium impletur diuinitus à S. Laurentio Iustiniano.* 15. 5.
Ficus ab angelo allata. 18. 2. *miraculosè aucta.* 17. 12.
Fidelitas Dei. 5. 9. *seq. fidelis & infidelis seruus.* 17. 5. 6.
Fides non habenda fortunæ. 26. 6. *fide tangendus Christus.* 12. 6.
Fiducia in Deum eius compensatione liberali accenditur. 14. 4. 5. *pauperũ* 20. 10. *multis miraculis confirmatur.* 17. 4 *seq. diuites facit.* 13. 12. 13. 14.
Filia malè educata matris insignem mercedem reddit. 43. 5. *duæ pauperes à B. V. dotatæ.* 13. 1 *filium à patre flagellatur.* 30. 5 *filius Dei, patre non minor, nec minore honore colendus.* 21. 12. *seq. Dei filij cruce & morte insignes.* 31. 2. *Spartanorum ib: suis prouidet Deus.* 20. 1 *prodigo quantam Deus misericordiam exhibeat?* 41. 7. *filiorum signum castigatio parentis.* 31. 1. *eorum in parentes pietas, aut crudelitas.* 35. 2.
Fimbriæ tactus sanat. 12. 7. *& S. Iacobi. ib. n.* 7. *& monachi cuiusdam.* 8.
Finis omnium idem. 33. 6.
Flagellatio Spartanorum iuuenum. 31. 2. *aliorum ib.* 3.
Flagellis se offert paratum Dauid 30. 3. *Attila. ib.* 4. *Dei, Alaricus & Attila. n.* 7. *& 8.*
Flaminius baptismus. 14. 7.
Flos homini comparatus. 30. 2.
Fons ex arbore, dente, rupe 17. 16. *Sanij & electi.* 12. 9. *mortua viuificans.* 4. 1.
Fortè, forsan, fortasse, fortuitò an liceat dicere? 24. 6. 7.
S. Fortunatum mortuum resuscitauit, querentem se suscitatum. 38. 3.
Fortunati crumena quàm sana? 13. 8. *hoc cognomen cur datum Iacobo principi?* 25. 11.
Fortuna quid sit propriè? 24. 8. *seq. quomodo differat à casu?* 24. 10. *quid illa poëtis, oratoribus, philosophis, & alijs?* 24. 2. 3 *fortuitis casibus contraria est. ib.* 1. *qua melior?* 31. 7 *bona & mala.* 25. 1. *eius varia nomina & causæ. ib. aurea, viscata, cum Pluto picta.* 32. 5. *inconstans. ib. n.* 6. *fortuna & felicitas quomodo differant.?* 32. 4. *eius exemplum S. Eustachius, Sosa.* 32. 14. *&* 33. 4. *eius mirabilis in Henrico varietas.* 28. 2. *seqq. Sanij insultus.* 33. 3. *alteratio* 29. 3. 4. *eius urna quæ nam licita, vel illicita?* 35. 13. *eius scala. & inconstantia.* 26. 1 *seqq. non est Dea ib. n.* 1. *est stultè omnia tribus* 24. 3 *eius nomen ab Augustino retractatum. ib. n.* 4. *qui eam impugnarint? ib. & seqq. quid sit? ib. n.* 7. *eius refutatio ib.*
Fouea Ceade. 22. 7.
Fraga tempore hiemis agro data. 19. 7.
Francisci Caraffæ vocatio per sortes. 35. 9.
Franciscus, à puero IESV dictus, in Natali Christi epulum pauperibus dat. 20. 6.
